NOTIZIE ISTORICO-CRITICHE INTORNO AL B.M. ADELPRETO, VESCOVO E COMPROTETTORE...

Benedetto Bonelli



Ex Dono Ill.mi Magistratûs Tridentini
anno 1765.

L'Autore anonimo (il Padre Benedetto Bonelli, nato a Cavalese nel 1704, morto in sullo scorcio del secolo passato) s'è proposto di dare in questo volume la serie cronologica dei Vescovi di Trento, illustrata da documenti inediti, e da notizie di varia specie. Il lavoro può stare da sè, in certo modo; onde il titolo particolare: Monumenta Ecclesiae Tridentinae; ma esso può servir di compimento (e il frontispizio vi accenna) all'opera: Notizie istorico-critiche della Chiesa di Trento; di cui l'erudito Francescano diè fuori i Tomi I e II; e la prima parte del III.

Circa alla 1.a parte del Tomo III* non sarà inutile avvertire, che è diventata libro rarissimo, per esserne, in gran parte, andati a male gli esemplari in un incendio, che devastò, molti decennj addietro, i magazzini della Tipografia editrice.

B. Malfatti

(*) Mancante all'esemplare Magliabechiano

MONUMENTA ECCLESIAE TRIDENTINAE

VOLUMINIS TERTII PARS ALTERA

IN QUA CONTINETUR

TRIDENTINORUM ANTISTITUM SERIES UNIVERSA

COMMENTARIO HISTORICO-DIPLOMATICO ILLUSTRATA:

ACCEDUNT

Catalogi Decanorum, Canonicorum, Praepositorum, ac Suffraganeorum ejusdem Ecclesiae: necnon Praepositorum Regularium S. Michaëlis ad Athesim, ac S. Mariae in Augia, nunc Gries: atque MSS. Codicum Episcopalium, & Capitularium Tridenti.

ITEM

Vindiciae Georgii Hackii Episcopi Tridentini: Collectanea Hinderbachiana in Judaeos B. Simonis Innocentis interfectores: atque Documentorum Decas.



TRIDENTI, MDCCLXV.

Ex Typographia Episcopali Joannis Baptistae Monauni.

SUPERIORUM PERMISSU.

Docet Sapientum auctoritas, experimento innixa; quantum Religioni Catholicae propagandae, quantum Ecclesiasticae disciplinae firmandae aut restituendae, quantum denique moribus recte constituendis conferat, suorum cuilibet Ecclesiae Pastorum veram continuamque successionem innotescere, atque res ipsorum gestas, ut obscuritas, & longinquitas temporum patitur, non ignorari. Certum est enim, omnis Historiae, inprimis vero Ecclesiasticae cognitionem, testem esse temporum, lucem veritatis, vitae magistram, Cl. Vir Jo. Hieronymus Gradonicus in Praef. ad Seriem Pontif. Brixian. n. 1.

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO

DOMINO DOMINO

CHRISTOPHORO SIZZO

EPISCOPO ET S. R. I. PRINCIPI TRIDENTI,
MARCHIONI CASTELLARII &c. &c.

CONSULES AC PROVISORES CIVITATIS TRIDENTI.



Um primum intelleximus jam absolutum, praeloque paratum Volumen, quod Seriem Tridentinorum Antistitum complectitur universam, una cum Catalogis Decanorum, Canonicorum, Praeposito-

rum, & Suffraganeorum, ac aliis pluribus memoria dignis, temporum injuria facile interituris, ad Ecclesiam Tridentinam, totumque Principatum spectantibus; nulla mora cogitavimus Typographo illud edendum committere, ac CELSITUDINI TUAE REVERENDISSIMAE nuncupare. Quandoquidem nihil nobis esse debet antiquius, quam curare, ut prisca Patriae nostrae Monumenta, praeclaraque Majorum nostrorum facinora, ex Tabulariorum tenebris eruantur, atque ita in bono lumine collocentur, ut, quoad fieri licet, ab anilium fabellarum foece depurgata spectentur; illudque cumprimis agere, ut emendatiora auctioraque Gesta nostrorum Praesulum, aliarumque praecipuarum Dignitatum, eademque ad nostram usque aetatem rite deducta, sera posteritas habeat. Quis namque, nisi rerum sacrarum profanarumque prorsus imperi-

peri-

peritus, nesciat, edaci rerum tempore plura intercidisse Monumenta, quae posteri frustra conquirant? Utinam quantum Majoribus nostris egregia & illustria gerere solemne fuit, tantum alii fuissent solliciti aut ab se reperta eorum Documenta sancte custodire, aut ea futurae aetati evulgare; non esset profecto, ut tanta Monumentorum inopia, quoad antiquiores Episcopos, qui solo nomine per Diptycha innotuere, nostris temporibus laboraremus. Ne autem posteri hoc ipsum nobis verterent vitio, quod aegre in aliis ferimus, e re futurum existimavimus praesens Opus publici juris faciundum mandare, Tibique inscribere, velut illi Principi ac Pastori optimo, singulari quodam modo a Summo Ecclesiae Hierarcha, haud absque Divino nutu, ad hanc Dignitatem evecto, qui praedictam Seriem glorio-

sissimo

ſiſſimo ſuo nomine claudit atque coronat. Quod ſi Geſta Ducum Tridentinorum a Jano Pyrrho Pincio Mantuano conſcripta, ſummo jure nomen praeferant Tridentini Principis & Epiſcopi Chriſtophori I., *quis non videat decuiſſe multo magis, Tibi* Chriſtophoro II. *a nobis Opus hoc Antiſtitum Tridentinorum dicari? A nobis quidem, quibus una eſt patria, quorumque profecto intererat typis ipſis perpetuo teſtari communem hujus Urbis laetitiam de tua glorioſa aſſumptione, quam Tibi nihil cogitanti, quin imo refugienti, ac etiam lacrymanti, obtigiſſe nemo unus familiarium tuorum ignorat: Opus autem hoc, utpote quod res Praedeceſſorum tuorum propius attingit, latiuſque perſequitur: Tibi vero Mecoenati itidem ampliſſimo, ex Patricia hujus Civitatis Gente, in qua vel retroactis temporibus plures, qua morum ac*

fidei

fidei integritate, qua eruditione & doctrina, qua etiam rerum gerendarum dexteritate, haud vulgarem apud bonos omnes famam sibimet pepererunt, patriamque hanc egregie illustrarunt. Quorum meminisse juverit, non quod CELSITUDO TUA *aliena gloria indigeat, ut supra Tridentinae Ecclesiae Candelabrum praeluceat; sed quia Sol ipse, quamquam suapte natura coruscus, ac inter Planetas facile princeps, a Stella, quae Lucifer dicitur, praevenitur, atque ab ipsis Planetis fulgidior demonstratur. Accedit, eam nos in Te indolem ad bene merendum de re publica admirari, ut Civitati ac Principatui universo, si Superi faverint, jure possimus fausta quaeque spondere. Nonne palam nobis omnibus est, Te Praesulem esse recti & justi quam tenacissimum, ac animo quoque, ubi pietati locus fuerit, ad miserendum prono*

haud

haud minus praeditum, nec non ad benefaciendum a natura quodammodo comparatum, praecipue in pauperes liberalem, gravem simul ac perhumanum, in audiendis, admittendisque Subditis facilem, atque ne id genus alia plura consectemur, quae difficile brevis oratio perstringeret, veri nominis Pastorem, in id potissimum intendentem cogitationes curasque suas, ut universae suae Dioecesis Paroeciis, quae morte intercedente propriis viduantur animarum Rectoribus, nullo habito humano respectu, optimos quosque praeficiat? Quae quidem omnia ad bonum publicum etiam atque etiam conferre, communemque nobis polliceri felicitatem, nemo prudens est, qui non facile intelligat. Atque hujusmodi bonum eo magis sperandum nobis est, si animum advertamus nostrum ad multiplices erga summos Principes

tuae

tuae obſervantiae ſignificationes; videlicet nedum in iterato perceleri tranſitu Romanorum Regis Joſephi *cum ſumma totius Urbis exul atione; ſed & in gemino ſplendidiſſimo apparatu & pro nuper excepta* Maria Ludovica *Hiſpaniarum Infante, ac Sponſa* Leopoldi *Archiducis Auſtriae, Magnique Ducis Etruriae, rurſumque cum eadem Infante permagnifice ſuſcepto Regali Sponſo, tota eadem Civitate ac Vicinia plaudente: ut nihil dicamus de tua Oenipontana ad Regias Imperiales Majeſtates profectione, multoque tuo erga eaſdem obſequio, eo animo a Te certe praeſtito, non ut tua quaereres, ſed quae Eccleſiae Sponſae tuae ſunt, ac* Jeſu Chriſti. *Neque ambigimus, ob multiplicia, eaque luculentiſſima, Tibi ab Auguſtis exhibita, Caeſareae clementiae, ac benignitatis argumenta, illud in Eccleſiae ejuſdem pa-*

trocinium, profectum, utilitatemque cessurum, vel posteaquam inopinata lugendaque mors Augustissimum Caesarem Franciscum I. *in majori Regalium Nuptiarum laetitia, ad humanae vicissitudinis exemplum, nobis non ita pridem eripuit; quum superstitem reliquerit Augustum Filium, paulo ante Romanorum Regem, nunc vero Imperatorem, in quo, ejusque Regia nusquam desitura sobole, vigebit sane Augusti Patris memoria immortalis. Alia CELSITUDINIS TUAE REVERENDISSIMAE praeconia percensere, quum nobis tua vetet modestia, reliquum est, ut hoc gratulantis gratique animi qualecumque argumentum aequi bonique consulas, illudque agas, ut pro tua maxima humanitate ac beneficentia, Tibi plane ingenita, pro nostra vero summa fide ac obsequio, sub tuo favore & praesidio, longa quiete, diuturnaque pace perfrui valeamus.*

PRAE-



PRAEFATIO.

I. Me sciscitanti, cur hanc secundam Voluminis tertii Partem Latine conscripserim, ac seorsim vulgaverim, quum tamen Italice sub titulo: *Notizie Istorico-Critiche della Chiesa di Trento* &c. tria priora Volumina ediderim, mei consilii rationem paucis aperiam. Id quippe a me actum non tam proprio motu, quam plurium hortatu (praesertim vero Illustrissimi ac Rmi D. Alberti Prackii Griesensis Praepositi, quem honoris caussa nomino) actum, inquam, & ne prioris Partis moles nimium excresceret, & ne Italicum idioma nescientes, vel ejusdem parum gnari, nosse autem cupientes *universam nostrorum Antistitum Seriem* rite digestam, utpote hactenus ineditam, suo desiderio frustrarentur. Quapropter operae pretium me facturum existimavi, si hujusmodi Seriem singulari Commentario literis consignarem ita deductam, ut a ceterorum Catalogorum aberrationibus, quae identidem offenduntur, Superis faventibus, procul abesset.

II. Ne autem a veritatis tramite ego ipse diverterem, prae oculis habui Ecclesiae nostrae Diptycha cum Udalriciana saeculi XI. tum Adelpretana saeculi XII., nec non quo ad nobis propiores Antistites, adhibui MSS. Catalogos saeculi XIV. & XV., aliosque etiam subsequutis temporibus ordi-

natos, partim editos, partim ineditos; ea tamen lege, ut iisdem fidem neutiquam adjungendam crediderim, nisi quo ad ea, quibus illorum Scriptores aut coaevi, aut quasi coaevi fuere, aut quae ipsi aliqua veri similitudine posteritati mandarunt, sive quae etsi longe distantes, ex monumentis legitimis deduxere. Hinc quum me haud pudeat profiteri per quem profecerim, fateor quo ad posterioris aevi Episcopos mihi adjumento fuisse brevem Catalogum, quem texuit anno 1762. tunc sodalis meus P. Josephus Hippolytus de Hippolytis Perginensis, si quis alius Monumentorum Ecclesiae Tridentinae solertissimus indagator.

III. Quod si cuipiam videatur admodum parca & jejuna, solisque nominibus constans Praesulum antiquiorum, quam damus, notitia, id haud nobis vertendum vitio, sed unice tribuendum incendiis, ac spoliis, aliisque id genus adversis multis, quibus obnoxia fuisse Tridentina Tabularia, proptereaque Praesulum eorumdem memoriam intercidisse, certissimum est. Porro ita deficientibus monumentis, satius esse nemo negaverit, fateri ingenue, quod nescimus, quam divinare. Quod vero alios plerosque spectat, quorum memoria temporum injuriam evasit, ea ratione brevior ero, quia in eorum gesta secundo Volumine latius excurri: inferenda tamen pro re nata curavi nonnulla integra Monumenta, quae opportuniora existimavi, quaeve in Collectionibus secundi ac tertii Voluminis desiderantur. Et quum in dicto secundo Volumine nostrorum Antistitum Catalogum ultra *Henricum* III. nequaquam protraxerim, ideo in iis recensendis qui ipsum excepere, quantum ad praecipuos saltem, calamo paulo fusiori versabor.

IV. Praefatam Antistitum Seriem excipiunt *Catalogi Decanorum*, *Canonicorum*, *Praepositorum*, ac *Suffraganeorum Tridenti*, quos ex sinceris tabulis ea qua par erat accuratione ac diligentia concinnavit meorum studiorum indefessus adjutor P. Joannes Chrysostomus de Avolano. Ut vero

prae-

praedictus Decanorum Canonicorumque Catalogus copiosior ac firmior evaderet, ei adtexendam censui *Appendicem Fuithenianam*, utpote quae plura scitu digna complectitur, quaeve post eumdem Catalogum jam praelo paratum ad meas manus pervenit. Quod si in eo, subsequentibusque plura nostram diligentiam effugerint, aut aliquis error exciderit, veniam facile nobis dandam speramus; improbi enim, quin imo impossibilis laboris est, omnia documenta sub vetustorum Codicum pulvere latitantia perlustrare, ac in tanta nominum ac numerorum multitudine ne latum quidem, ut ajunt, unguem a veritate deflectere. Nobis sat fuerit, ea quae invenimus aliis nota fecisse, diligentioribus, nobisque felicioribus relinquentes, quos praeter voluntatem admiserimus nominum defectus supplere. Porro ne Dignitatum hujusmodi Catalogos texere insolens videatur, noverit lector, id ipsum praestitisse viros clarissimos, qui Episcoporum Syllabos ad diversas sive Germaniae, sive Italiae Ecclesias spectantes ordinarunt, vel auxerunt, puta Christophorum Gevvoldum, Fratres Mezgeros Ordinis Benedictini, Ferdinandum Ughellum Ordinis Cisterciensis &c.

V. Adjungendos quoque existimavi *Catalogos Praepositorum Regularium S. Michaëlis ad Athesim*, atque *S. Mariae in Augia & Gries* (quos rite fuisse digestos ab iis, quorum interérat, minime dubitaverim) crebra enim fit eorum mentio in nostris Tridentinis tabulis, ac nemo non videt, vel ipsos Tridentinae Ecclesiae decorem adjicere. Unde & laudati Mezgeri atque Ughellus similes Praepositorum Regularium, ac Abbatum Elenchos inserere consueverunt. Quorum exempla nos jam pridem sequuti, geminos alios Catalogos Abbatum S. Laurentii, & Abbatissarum S. Michaëlis Tridenti Volumine secundo pagg. 397. ac 568. descripsimus, heic ne actum ageremus, a nobis praetermissos.

VI. Subjiciendum praeterea judicavi *Catalogum MSS. Codicum* Bibliothecarum Episcopalis, atque Capitularis, more

Cl. Viri Jo. Hieronymi Gradonici Clerici Regularis Theatini, qui Seriei Episcoporum Brixiensium adjecit Elenchum MSS. Codicum illius Bibliothecae Capitularis. Maxime quum hujusmodi Catalogus notabilia plura, quae ad Tridentinos Praesules pertinent, complectatur, sitque potiori sui parte unum ex Anecdotis V. C. Gentilotti infra saepius laudandi.

VII. E re futurum insuper arbitratus sum *Vindicias Georgii Hackii* Tridentini Episcopi superaddere, quemadmodum similes Volumine tertio ad *Henrici de Metis* ejusdem Georgii Praedecessoris defensionem lucubravi. Adtexenda item duxi *Collectanea Hinderbachiana in Judaeos*, utpote nedum ad Causam B. *Simonis* Innocentis contra Hebraeos, Hebraeorumque Fautores, verum etiam ad majorem *Hinderbachii* nostri commendationem apprime facientia. Tandemque subdidi *Decadem Documentorum*, quae publica luce donanda viris auctoritate pollentibus visa sunt.

VIII. De Latini stili nitore nulla mihi cura fuit, magisque amavi ab indoctis intelligi, quam a doctis laudari; neque uti assolent nonnulli paulo delicatiores, abhorrendum censui a priscorum Diplomatum phrasi, ut ut minus latina. Consectentur alii, per me licet, phaleratum sermonem, atque ornatum; mihi veritas quo nitidior, eo pulchrior adparet. Hinc Pincianas amplificationes, Rhetori potius, quam Historico convenientes, nihil moratus, in id unice incubui, ut & simplicem veritatem sine fuco verborumque pigmentis referrem, & antiquorum Chronicorum more, secundum ordinem temporum, paucis multa complecterer.

IX. Sollicitior quidem multo fui de veritate ex Veterum Monumentis eruenda, deque aliis, quae proposito nostro magis inservire judicavi. Ob id tamen ita mihi adblandiri nolim, quasi vero reliquis omnibus, qui de rebus nostris scripsere, longe felicior, rem produxerim illimem, nullius spongiae indigam, ac omnibus numeris absolutam. Probe enim novi quam sim exiguus, quamve illis ipsis obnoxius

noxius

noxius erroribus, qui in aliis notantur. Id unicum, quod sancte testari possum, est, soli me studuisse veritati litare, ac pro ipsa bono in lumine collocanda nullis laboribus pepercisse, ita ut si quis error irrepserit, ex humana quadam conditione ac infirmitate, praeterque omnem voluntatem contigerit.

X. Neque morosus Censor obtruserit, nos in pertranseundis silentio Majorum animi infirmitatibus, celebrandique e contrario praeclaris eorum facinoribus, consuluisse quidem famae ipsorum, ac nomini, sed fidem historicam prodidisse. Hujusmodi enim Censori, quicumque fuerit, praesto est responsum, nos in uno vel altero neutiquam dissimulasse quod palam omnibus erat, merueratque improbari; nec ullum, nisi pro suo quemque merito, a nobis fuisse laudatum. Si quid autem humanum, haud ita evulgatum, nonnemo ex aliis admiserit, satius judicavimus praetermittere, quam revelare, utpote a Divinis edocti literis, non imitari Cham, qui nudata Patris verenda suis fratribus nunciavit, sed potius Sem & Japhet, qui ea qua par erat modestia, injecto retro pallio, ipsa occuluere. Illud insuper prae oculis habuimus, commendari quidem in Evangelio Columbae simplicitatem, quae falsum aversatur, sed & Serpentis prudentiam, quae verum, nisi quum opus fuerit, non manifestat; nec, docente magno ipso Augustino, qui plura de mendacio, & contra mendacium scripsit, adversari ullo pacto veritati, hanc prudenter aliquando reticere, sed temere ipsam negare. Unde inquit: „ Licet narratori rerum occultare quidquid occultandum videtur, mentiri autem nunquam licet. (a) Quamvis enim omnis qui mentitur velit celare quod verum est, non tamen omnis qui vult quod verum est celare, mentitur.... Non est ergo mendacium cum silendo absconditur verum, sed „ cum

(a) L. de Mendacio cap. 10. n. 17.

„ cum loquendo promitur falsum. " (a) Maxime quum ab opposito scribendi genere nos deterruerit etiam sententia pii doctique morum magistri P. Francisci Henno, tradentis: „ Peccare graviter Historicos, qui sub praetextu inte„ gritatis historicae, aut terroris lectoribus incutiendi, scri„ ptis evulgant occulta mortuorum scelera, cum nulla ratio „ possit evulgationes illas cohonestare; unde vel debent „ abstinere, vel nomina tacere. " (b) Quae quidem dicta velim, non quod multa reprehensione digna, a nobis fuerint silentio obvoluta; sed ut in paucis, iisque facile indulgendis, ejusdem silentii ratio habeatur.

XI. Quod autem spectat Veterum quorumdam nomina similia eorum, quibus nunc gaudent quaedam Nobilium Familiae, quotquot haec nostra legerint, admonemus, nostrum haud fuisse institutum Genealogias texere, favoremque exinde captare; sed unice morem sequi aliorum magni nominis Scriptorum, qui ad pleniorem priscarum rerum notitiam id ipsum agere consueverunt.

XII. Igitur si quid forte boni invenerit lector in hac nostra qualicumque lucubratione, Deo tribuat, cujus est totum, quod est optimum: quidquid vero mali, abjecta censoria virga, depositoque supercilio, humanum dicat, & parcat, ut vel ipsi ad errorem prono, sive in errorem prolapso, parem ceteri veniam indulgeant.

FR.

(a) L. contra Mendac. cap. 10. n. 23.
(b) Tract. in Decal. Disp. 8. q. 3. art. 2. concl. 5.

FR. JOSEPH MARIA DE VEDANO

Ordinis Minorum, Lector Jubilatus, & in Universa Cismontana Familia tam Observantium, quam Reformatorum, & Conceptionistarum Commissarius Generalis, & in Domino Servus.

CUM juxta Apostolicas, nostrique Ordinis Constitutiones de mandato nostro idonei Censores Opus quoddam ab Admodum Reverendo Patre N. N. nostrae Reformatae Provinciae Sancti Vigilii elaboratum, cui titulus est: *Monumenta Ecclesiae Tridentinae Voluminis tertii Pars altera*, recognoverint, illudque ab ipsis revisum & approbatum fuerit: Nos praesentium tenore, ad salutaris Obedientiae meritum, facultatem facimus, quatenus servatis de reliquo servandis, id ipsum typis mandari possit & valeat.

Datum Romae ex Aracoelitano nostro Coenobio die 11. Junii 1765.

F. Joseph Maria de Vedano Commissarius Generalis.

L. ✠ S.

De Mandato Rmi in Christo Patris
Fr. Antonius a Fundo
Secretarius Generalis.

LEgi Librum, cui titulus: *Monumenta Ecclesiae Tridentinae Voluminis tertii Pars altera* &c., eumque, ingenti sane labore, & eruditione comparatum, ut ad illustrandam Tridentinam Ecclesiam in lucem publicam prodeat, mereri conseo. Tridenti die 10. Septembris 1765.

Franciscus Antonius Redolfi
Provicarius Generalis.

IMPRIMATUR.

Sign. die 10. Septembris 1765.
Brochetti Canonicus & Vic. Gen.

TRI-

TRIDENTINORUM ANTISTITUM
TABULA CHRONOLOGICA.



SERI-



SERIES
ANTISTITUM TRIDENTINORUM
AD NOSTRA USQUE TEMPORA PRODUCTA.

I. JOVINUS.



Unc, qui *Sancti* titulo apud Bollandianos 26. Junii in Notis ad Acta S. Vigilii, ornatur, praedicata prius a Sancto *Hermagora* Aquilejensi Episcopo, ac Divi *Marci* Evangelistae Discipulo, Christi Fide, Ecclesiae Tridentinae prima fundamenta jecisse, inveterata ejusdem Ecclesiae Traditione didicimus. Neque difficile creditu est, maturius illuxisse Tridentinae Civitati Christianae Fidei lumen; cum enim hoc, *Paulino Nolano* teste, mox *Potioribus Urbibus* fuerit inlatum, mirum neutiquam est, ad Tridentinam quoque continuo pervenisse Urbem, utpote tunc in Rhaetia certe potiorem, ac facile principem, totiusque Provinciae caput, & januam Italiae, atque Germaniae, adeoque Romanorum commeatu valde frequentem. Quod autem nonnemo (cujus nomini, ne ejus videar inquietare Manes, parcendum duco) haud veri-

tus sit inficiari Adventum *S. Marci* ad oras Aquilejenses pro dissemimanda in latissima Provincia Christi Fide, permotus inter cetera silentio S. *Petri Damiani*, elumbe est ac prorsus evanidum, videturque mihi, qui ita opinatur, arundineo baculo innixus; id enim nullo negotio exsufflatur nedum Martyrologio, quod *venerabile & perantiquum* habebatur ab *Adone* Viennensi in Gallia Antistite, qui decessisse fertur an. 875., verum etiam sat perspicuo ac veteri testimonio petito ex Hymno V. *De S. Marco Evangelista*, qui haud dubie *S. Paulinum* ab anno 776. ad an. 802. Patriarcham Aquilejensem agnoscit auctorem, ubi ita lego:

Sic a beato Petro missus adiit
Aquilejensem dudum famosissimam
Urbem, sacrati verbi pullulantia
Disseminavit, satoque centuplices
Fructus ad alta vexit felix horrea.

Haec quidem, & pleraque alia veterum testimonia (a quibus longius recensendis supersedeo) potius traditionem Aquilejensem, quam Tridentinam certiorem reddunt. Ad hanc tamen itidem adstruendam vetusta non desunt monumenta; quandoquidem nonnisi ex eadem Tridentina traditione in perantiquis S. Vigilii Actis, hic dicitur *ab Aquilejensi Episcopo* consecratus; atque nonnisi ex eadem, tempore *Udalscalchi* Tridentini Saeculo IX. Episcopi idem S. *Vigilius* conjungi consueverat Sancto *Hermagorae*. Eidem traditioni videtur inniti nostrum Diptychum Udalricianum, quod plane tanto magis praestat Aquilejensium Patriarcharum Catalogo, quanto praeferendum, ut nemo non videt, veri nominis Diptychum, habenti dumtaxat speciem Diptychi, cujusmodi est Aquilejensis ille Catalogus. Hac traditione antiquissima imbutus Bartholomaeus Tridentinus Ordinis Praedicatorum saeculi XIII. scripsit: *Dum in omnem terram sonus Apostolorum exiret, JOVINUS in hac civitate* (Tridentina) *primus fuit Pontifex*, quemadmodum legere est in membraneo Codice Sangeorgiano Vallis Oenanae fol. 42.

Neque difficultatis negotium facessit Scriptorum antiquiorum silentium, cum verissimum sit, quod adseruit celebris P. Germonius, vir alioquin ad sincera judicanda veterum monumenta minime facilis, *de Veter. Reg. Franc. Diplom. &c.* Discept. I. cap. VII. pag. 105. *non semper valere istud argumenti genus, quod ex Auctorum silentio deducitur; eoque male usos quosdam hujus nostri aevi Criticos, multa a Majoribus nostris prudenter tradita temere rejecisse.*

II. ABUNDANTIUS.

EJus, ac proxime sequentium nuda, solaque nomina, ceterorum more antiquiorum Diptychorum, recensentur in sacris Tridentinae Eccl. Diptychis, a quibus minime recedendum crediderim, vel in eo, quod eosdem spectat, ceu veri

veri nominis Episcopos, & non tantum, uti nonnulli commenti sunt, simplices animarum curatores. Hinc rem acu tetigisse mihi videtur Laurentius Beyerlinckius, ajens: *probabilius existimamus, a Jovino omnes illius successores fuisse Episcopos*. Id certum censuisset, si praefata Diptycha habuisset sibi comperta. Rite quoque in rem nostram scripsit praeclarus Abbas Ferdinandus Ughellus, inquiens: *quid prohibet, quin dicantur etiam Episcopi, tametsi non habuerint certas sedes, fuerintque aerumnoso labore jactati, desaevientibus tyrannis, quando vigilantior cura, laborque videntur Episcopum facere, non sedes ornatior, ac redditus pinguiores?*

III. CLAUDIANUS. Aliis *Claudius*.
IV. MAGORIUS. Aliis *Magosius*, *Magnosius*, *Major*, & *Magorianus*.
V. ASPIDUS. Aliis *Aspidius*.
VI. SAMBATIUS. Aliis *Sambutius*, & *Lambucius*.
VII. VALENTINUS.
VIII. GENIALIS.
IX. FIDELIS. Aliis *Felix*.
X. VALERIUS.
XI. QUARTUS. Apud alios *Guarinus*, & *Guarianus*.
XII. MAGORIANUS.

Ab aliquibus *Majoranus*, atque etiam *Magroninus* appellatur. Ceterum idem *Magorianus*, ac supra memoratus *Claudianus*, non re, sed nomine dumtaxat similitudinem habent cum Sanctis Divi Vigilii fratribus *Claudiano*, & *Magoriano*.

XIII. ADEODATUS I.
Qui etiam *Theodatus*, *Theodotus*, ac *Theodorus* nuncupatur.

XIV. PROBUS.
XV. MONTANUS.

Presbyter Michaël Angelus Marianus in suo *Trento* heic impresso an. *1673*. notat pag. *226*., quod ex hactenus recensitis Praesulibus, in Castro Veteri Tridenti, ubi eorum Imagines depictae cernuntur, *quattro portano gloria di Beati*. Nunc easdem Imagines tempus, ac coeli intemperies labefactavit. Certum tamen est, ita non fuisse honestatos in sacris Ecclesiae nostrae Diptychis.

XVI. CYRIACUS.

Hic primus putatur Mitram Pontificiam usurpasse, priores autem solum baculum pastoralem gessisse. Error autem hujusmodi alteri fortasse locum dedit, ut idem primus Tridentinorum adsereretur Episcopus, quemadmodum recte Beyerlinckius animadvertit, apud quem non *Cyriacus*, sed *Syriacus* nuncupatur. Quod si quis miretur, nos non habere nisi nuda nomina praefatorum omnium Antistitum, miretur potius, non nisi nuda nomina ostendi quoque posse aliorum plurium, qui nobis multo propiores sunt, ac de quibus nemo unus fa-

nae mentis dubitaverit: id quod argumento est, Tridentina Monumenta, vel quo ad posteriores Episcopos, injuria temporum periisse. Quid ergo mirum, si priorum memoria interciderit? Hinc in rem nostram quadrare videtur illud Prudentii:

O vetustatis silentis
Obsoleta oblivio,
Invidentur ista nobis,
Fama & ipsa extinguitur.

Haec circa tempora, nempe infra an. 364. & 378. valde famosus evasit in Orientis Imperio sub Valente, *Festinus quidam Tridentinus*, ut qui *regere Asiam proconsulari potestate exorsus*, *velificatione tranquilla*, *ut ajunt*, *ferabatur ad gloriam*; teste Ammiano Marcellino Lib. XXX. pag. mihi 537.

XVII. ASTERUS.

Aquilejensi Concilio An. 381. coacto interfuisse constat, illamque protulisse sententiam: *Cum evidentes blasphemias Palladius defendat*, *damnatum se ex Concilio Aquilejensi cognoscat*. Tametsi ejusdem Concilii Acta, quae nunc supersunt, in plerisque vitiata, eum sub *Abundantii Tridentini* nomine exhibeant, nihilo tamen secius vero simile mihi videtur, illorum Actorum sequioris aevi scriptorem aut Siglam *A*, qua forte nomen Tridentini Praesulis indicabatur, usitatiori nomine *Abundantii*, quam *Asteri*, intelligendam putasse; aut ex non rite expresso, sive intellecto nomine, quodammodo divinando, *Abundantium* reddidisse. Nomina in vetustis membranis scripta saepius difficile legi posse, nemo unus diffitebitur, qui ipsas exploratas habuerit. Ceterum omnes Tridentini Catalogi, Pictura, sive Imago in Castro Boni Consilii, Acta S. Vigilii, ipsaque Diptycha Tridentinae Ecclesiae, *Asteri* nomen constantissime tenent; ac signate antiquus Catalogus MS. penes me, notat, Episcopum Tridentinum, nomine *Asterium*, fuisse *in Concilio Aquilejae anno Domini* 381., neque desunt, qui ad concilianda hujusmodi documenta autumant ipsum, more plurium aliorum Praesulum, fuisse binomium. Utile quidem nemo cordatus negaverit, novis retectis Veterum scriptis, recentiores Episcoporum Catalogos corrigere, non autem vetusta Diptycha; quive ex invento novo Episcopi nomine se reperisse continuo putat novum Episcopum, facile decipi potest, cum certissimum sit antiquos legenti Codices, nomina idem significantia in iis grandi varietate enunciari, eamdemque personam multum differenter in iisdem saepius adpellitari: quae quidem varietas non in pluribus tantum Monumentis, sed & in uno solo, aliquando deprehenditur. Apographa praesertim hujusmodi transformationibus nominum scatent. Quod si cui videatur mirum ac omnem fidem superans, heic vocari

Aste-

Asterum illum ipsum, qui in praefatis Actis *Abundantius* nuncupatur, miretur potius ipsissimum illum, qui perpetuo vocitatur in omnibus Catalogis, ceterisque omnibus Documentis *Udalricus de Liechtenstein Episcopus Tridentinus*, nihilo tamen minus in sex Epistolis Encyclicis pro Diaetis Imperii an. 1501. nominari *Leonardum*. Miretur praeterea in Diplomate *Maximiliani I.* Coloniae 30. *Julii* 1505. promulgato apud To. 1. Boicorum Scriptorum Cl. *Oefelii*, cum ceteris subscriptum legi *Petrum Episcopum Tridentinum*, de quo tamen nomine reliqua omnia Documenta alte silent. Unde hoc rogo? Fateamur necessum est, aut ita dictos Tridentinos Episcopos fuisse binomios, aut in hujusmodi nomina errorem irrepsisse. Idem esto in casu nostro judicium; adeo verum est, ex novo Episcopi nomine haud statim exsculpendum novum Antistitem: maxime ubi obstant, uti in re de qua nunc loquimur, Ecclesiae Diptycha, quorum auctoritas, apud rerum sacrarum peritos, semper spectabilis fuit.

XVIII. S. VIGILIUS.

Fuit Romanus genere, Civisque Tridentinus, neque obfuit aetas annorum circa viginti, quin post *Asteri* obitum, ob eminentem ejus sanctitatem, atque doctrinam, quam sibi comparavit Athenis, communi populi acclamatione circa an. 388. Antistes salutaretur. Quod in Tridentina Sede *Asterum* exceperit, nedum Acta, quae nunc in Tridentina Ecclesia leguntur, diserte testantur, verum etiam quae sunt apud Equilinum Episcopum *Petrum de Natalibus*, utique ab ipso deprompta ex *antiquis Libris*, & *Passionariis*, cujus proin auctoritas in pretio est, apud *Henschenium*, *Jos. Saxium*, *Apostolum Zenum &c.* Post *Jovinum* ad usque *Vigilium* alios *sexdecim* praecessisse Episcopos adseverat Fr. *Bartholomaeus* integro saeculo *Petro de Natalibus* antiquior, ac etiam Diptychum Udalricianum.

Itaque *Vigilius* noster a *S. Valeriano* Aquilejensi Episcopo consecratus, nulla mora ad repurgandam a superstitiosis Paganorum ritibus cum suam Dioecesim, tum etiam finitimas, Veronensem scilicet, atque Brixiensem, suum intendit animum. In partem sollicitudinis pastoralis sibi adscivit *Sisinnium* Diaconum, ejusque Socios *Martyrium* Lectorem, & *Martyrii* fratrem *Alexandrum* Ostiarium, gente Cappadoces, qui ab ipso ad Ananiam destinati, atque Ethnicorum Ambarvalibus obsistentes, gloriosum inibi Martyrium consummarunt quarto Calendas Junias, Feria sexta, anno 397. Quibus ipse *Vigilius* geminas excitavit Basilicas, alteram in loco Martyrii, Tridenti alteram, in cujus memoriam suffectum aliquis suspicari posset splendidum eorumdem SS. Martyrum Sacellum, quod exstat in Palatio Gallassiano. Postea ipse quoque in Randena Valle furentibus in cum

in eum Paganis occubuit ſexto Calendas Julias, veriſimilius, ſi fides ſit pluribus Criticis, anno Chriſti 400., primo Stiliconis Conſulatu, poſt duodecimum ſui Epiſcopatus annum. Martyrii palmam jam adepto, Cathedrale Tridentinae Civitatis Templum, ubi recondita ſacra ejus Lipſana, dicatum eſt, cum antea SS. MM. *Gervaſio* & *Protaſio* ab eodem fuiſſet inſcriptum.

Accepit Epiſtolam a *S. Ambroſio* ad an. 388. ex qua colligere licet, aliam prius fuiſſe ab ipſomet *Vigilio* ad eum datam, tametſi illa interciderit, uti innuit illud ejuſdem Ambroſianae Epiſtolae initium: *Popoſciſti a me inſtitutionis tuae inſignia*. Porro ambae verſari debuerunt circa conjugia cum *alienigenis*, ſcilicet, aut Haereticis, ſive Paganis, a quibus contrahendis pro zelo utriuſque Praeſulis deterrendi erant Chriſti Fideles; potiſſimum cum in Tridentino territorio ea tempeſtate ſuppeterent tot Virgines, totque Viduae Chriſtianae, ut minime opus eſſet, Chriſtianos Maritos cum Virginibus Viduiſve *alienigenis* matrimonium inire. De praefatis etiam Anaunienſibus Martyribus idem noſter ſanctus Antiſtes ſcripſit Epiſtolas ad *S. Simplicianum* Epiſcopum Mediolanenſem an. 397. nec non ad *S. Joannem Chryſoſtomum* Conſtantinopolitanum Antiſtitem an. 398. Conjectare quoque fas eſt, miſiſſe tunc Literas etiam ad *S. Gaudentium* Brixienſem Epiſcopum, cum vel hunc, haud minus quam illos, ſacris dictorum Martyrum Reliquiis donatum voluerit, quemadmodum argui facile poteſt ex ejuſdem *Gaudentii* Tractatu *de die Dedicationis Baſilicae Concilii Sanctorum*, ubi fatetur: *Recepimus* (utique a proximo Tridentino noſtro Vigilio) *ſanctos Cineres Siſinii, Martyrii, & Alexandri, quos nuper in Anaunia venerandae religionis cultui attentius inhaerentes, gens interfecit ſacrilega, flammiſque adhibitis concremavit, ut holocauſtum Deo ipſi fierent, qui Chriſtianos ſuos victimas Daemoniis miniſtrare, increpatione juſtiſſima vetuiſſent*. Quae autem hujuſmodi ſanctorum Cinerum occaſione ſcripta videtur a noſtro *Vigilio* ad *Gaudentium* Epiſtola, ea forte fuerit ex tribus ejuſdem *Vigilii*, quas indicat *Petrus de Natalibus* in Catalogo Sanctorum *L. 6. c.* 10. inquiens: *Hic ad Simplicianum quemdam in laudem Martyrum ſcripſit Libellum: item Epiſtolam eorum geſta, ſupplicia, & funera ſuo tempore apud Barbaros continentem. Item ad Joannem Chryſoſtomum Epiſtolam &c.*

Ceterum *Vigilio* noſtro perperam adjudicantur Libri V. adverſus *Eutychen* ſcripti, qui *Vigilii* nomine circumferuntur; neque facile crediderim ad *Vigilium* noſtrum ſpectare *Celſi cujuſdam Epiſtolam ad Vigilium Epiſcopum de Judaica incredulitate in altercatione Jaſonis, & Papiſci*, inter Opera *S. Cypriani*, ut quae tempore ad *Vigilium* noſtrum ſuperiori, ſcripta fuiſſe videtur. Ejuſdem tamen *Vigilii* noſtri meritis jure lon-

ge

ge aequissimo refertur accepta insignis de barbaris gentibus victoria, quam sub *S. Innocentio I.* Pontifice, *Honorius* Imperator mirifice obtinuit. De Gestis quoque, sive Actis passionis Sancti Praesulis, missis ad eumdem Pontificem, dubitare non licet.

Ejus Mater fuit *S. Maxentia*; Fratres *SS. Claudianus* & *Magorianus*, qui utpote una cum *S. Juliano* Presbytero, D. Vigilii Martyrio praesentes, *ictibus quidem lapidum conquassati, sed non comminuti, cordis martyrio Confessorum gloriam in coelis possederunt*.

Sub eodem claruit *Jacobus Vir Illustris*, ac *Comes*, sive Rector Rhaetiae Provinciae, *desideriorum coelestium vir fidelis*. Fertur quoque tunc floruisse *S. Remedium*, una cum *SS. Abraham* & *David*, quorum mentio in Actis S. Vigilii apud Donatum Fetium, laudatis tamquam genuinis in Libro, cui titulus: *Memorie Antiche di Rovereto* pag. 29. Neque facessat difficultatis negotium, quod *S. Remedio* modo tribuatur titulus *Nobilis*, modo *Comitis*; quippe haec ipsa variatio legitur quoque in Actis *SS. Nerei* & *Achillei* apud Baronium (in Notis ad Martyrol. Rom. 31. Maji, *Flacci Nobilis &c.*) dignum plane, qui circa hujusmodi titulos consulatur.

De antiqua Missa propria S. Vigilii cum propria Praefatione, deque antiqua ejus Legenda, & Actis videsis *Vol. 2. pag.* 268. *ac seq.* nec non *pag.* 319. *ac seqq.* De gloria etiam ejus posthuma nedum in Urbe Tridentina, verum etiam in Orbe reliquo longe amplissima, de pluribus numero Templis vel in aliis Dioecesibus ejusdem nomini dicatis, deque illius Cultu praesertim in Italia longe lateque diffuso, nec non de veteribus Martyrologiis, vetustisque Breviariis ejus memoriam recolentibus, consulendus Cl. Vir Josephus Reschius *Annal. Sabion. saec. IV. pag.* 218. *ac seqq.* Temperare autem mihi neutiquam possum quin adjiciam, quod teste Ughello To. 4. *Ital. Sac.* col. 414. Beatus *Antoninus* Episcopus Bergomensis *anno* 727. *Templum in monte substruxit in honorem S. Vigilii Tridentini Episcopi & Martyris, quem olim cum matre & fratribus incoluerat*: in quam rem videsis nostrum *Vol. 2. pag.* 320. *ac* 342. Placet etiam referre quod discimus ex Epistola *Andreae Conteri* Salodiensis Archipresbyteri, Calendis Septembribus 1751. data, videlicet inter Sanctorum Reliquias, quae in suo Archipresbyterali Templo coluntur, fueruntque recognitae, atque ab anonymis segregatae an. 1580. die 29. Julii a *S. Carolo Borromaeo* Visitatore Apostolico, recenseri Panniculos Sancti Vigilii nostri sanguine tinctos. Simulacrum quoque lapideum inibi exstare, cum Inscriptione supra caput: *Cupiebam anathema esse*; ad pedes vero: *D. Vigilio E. & M.* Quae optime cohaerent cum iis, quae in ejusdem Martyris Actis *cit. Vol. 2. pag.* 332. leguntur.

Po-

Postremo si quis a me nosse aveat, quo sensu accipiendus sit *Joannes de Polemar*, seu *Palomar*, Archidiaconus Barcinonensis, ac Apostolici Palatii Causarum Auditor, qui in Basileensi Concilio an. 1433. in *Orat. de Civili Dominio Clericorum* dixit: *Fuit Sanctus Virgilius* (lege *Vigilius*) *Episcopus Tridentinae Ecclesiae, CIVILI DOMINIO OPULENTAE*, praesto sum ut respondeam, id eo sensu intelligendum, quo de Ecclesiae facultatibus pronunciavit S. Augustinus *Tract. 6. in Joan.* ab eodem Scriptore laudatus, inquiens: *Columba Ecclesia: quid clamas? non devoravimus Villas, Columba illas habet. Quaeratur quae sit Columba, & ipsa habeat. Nam nostis, Fratres mei, quia Villae istae non sunt Augustini, & si vos non nostis, & putatis me gaudere in possessione Villarum, Deus novit.*

XIX. EUGIPPIUS.

Notat Innocentius a Prato ex Ambrosio Franco, hunc Ecclesiam Tridentinam administrasse usque ad annum Domini 425. De eo, magna quidem, ut mihi videtur, verisimilitudine, Beyerlinckius inquit, quod *Ecclesiam Vigilii honori aedificavit*. A Jano Pyrrho Pincio appellatur *Rugippus*; ab aliis *Regippus*, & *Agippus*. Circa haec tempora, *Alaricus* Gothis, Alanis, Hunnisque aliquot subsequentibus, ex inferiore Pannonia digressus,... *per Tridentinum Saltum* in Venetiam 14. Cal. Sept. descendit, teste Carolo Sigonio Lib. 10. *de Occid. Imp.* ad an. 401.

XX. QUARTINUS.

Apud eumdem Pratum ex Franco, ad An. 458. rerum potiebatur.

XXI. PEREGRINUS.

Teste laudato Prato usque ad an. 499. Ecclesiam gubernavit. Hoc quinto Saeculo inter Alpes Tridentinas floruit *S. Valentinus* Rhaetiarum Episcopus, mortuus circa an. 470. sepultusque in *Majes* prope Castrum *Teriolense*; cujus discipulus in *Majes* fuit *S. Lucillus*, qui deinde se addixit *S. Severino* Noricorum Apostolo, defuncto an. 482. Praefatus Sigonius *ibid. Lib.* 14. ad an. 476. refert, *Odoacrem* Herulorum & Turcilingorum Regem *ex Norico in Italiam per Alpes Tridentinas, ac fines Veronenses intrasse*.

XXII. GRATISMUS.

Apud alios *Gratiosus*, qui sedit in Cathedra Tridentina ab An. 499. usque ad An. 538. eodem Prato auctore. Unde autem Francus, cujus testimonio nititur Pratus, praefatas Epochas derivarit, plane ignoro. Crediderim tamen eas sibi non somniasse, sed potius deprompsisse ex Codicibus, qui modo desiderantur. Quandoquidem negari haud potest, Francum ipsum fuisse

nostra-

nostrarum Antiquitatum quam solertissimum indagatorem. Ceterum ex hactenus descripta Tridentinorum Antistitum Serie colligitur, nullum inter eos recensendum *Lucanum*, nullumque *Vigilium II.*, quos nonnulli proprio cerebro procudenrunt.

Circa praedicta tempora evenere, quae a Cassiodorio narrantur, nempe *Theodoricum Regem* imperasse Var. L. 1. Epist. 11. *Servato Duci Rhetiarum*, ut Mancipia in Provincia, cui praesidebat, a *Breonibus* militibus ablata, curaret sine mora restitui; declarasse Var. L. 2. Epist. 17. *Honoratis Possessoribus*, *Defensoribus*, *& Curialibus Tridentinae Civitatis*, se exemisse *Butilianum Presbyterum* a *fiscalis calculi*, sive tributi, solutione, ac vetuisse, quo minus id, quod ei remiserat, ab aliis exigeretur; mandasse L. 3. Epist. 48. *Leodifrido Sajoni*, ut eo impulsore, in *Veruca Castello* (nunc *Dostrento*) *universi Gothi & Romani* circum illud consistentes sibi domicilia construerent; jussisse *Possessoribus Feltrinis* Var. L. 5. Epist. 9. ut erigendis muris Tridentinae Civitatis suam opem conferrent, atque hujusmodi *pedaturam murorum omnes*, *qui vicinitate jungebantur*, *in commune subirent &c.*

XXIII. ADEODATUS II.

Hujus nomen apud Pincium, & alios varias, sicuti & *Adeodati I.* Vixit circa an. 550. usque ad annum circa 576. Forte longo hoc annorum intervallo defuit nonnullus, qui in sacris Ecclesiae Tridentinae Diptychis locum habere non meruit. Ceterum sub nostro *Adeodato*, anno scilicet aerae vulgaris 564., accidit *Venantii Fortunati* ex Alpibus Juliis in Alpes nostras Tridentinas adventus. Quippe *Epigram.* 72. *L.* 4. ab se antea emensi itineris stationes mansionesque designans, testatur, eo ipso in itinere apud Majas visitasse Templum *S. Valentini*, illis verbis:

Inde Valentini benedicti Templa require.

Celebre tunc quoque fuit Templum *in quodam loco Beati Laurentii* & Reliquiis & nomine, ac etiam miraculis consecratum, nempe *apud Brionas Italiae Castrum*, sive Sarnonici in superiori Anauniae parte, ut satis persuasimus *Vol.* 2. *pag.* 286. De hujusmodi Templo videri potest idem Venantius Fortunatus *L.* 8. *c.* 14. nec non Gregorius Turonensis *de Gloria Martyrum* L. 1. c. 42. Sub *Adeodato* nostro Monasticum amplexus est Institutum noster *Secundus* (*Secundinus* quoque vocitatur) *de Tridento*, nempe circa an. 566. Sub eodem contigit *Langobardorum ingressus in Italiam secunda Indictione Mense Majo*, videlicet aerae vulgaris anno 569. in qua epocha statuenda concordat cum eodem *Secundo* nostro *Tridentino* etiam *Marius Aventicensis*. Quei vero

vero isthaec Epocha conciliandа sit cum ea, quae apud Paulum Diaconum, & Sigebertum Gemblacensem, constituit pro hujusmodi ingressu an. 568., viderint alii. Si autem verum sit, quod Eningius *fol.* 540. ac Anonymus Tridentinus *pag.* 168. testantur, exstitisse *prope Tridentum Monasterium S. Georgii* eorumdem Langobardorum temporibus, verisimile erit illud incoluisse nostrum *Secundum*. Quod *Ecclesia S. Georgii post Castrum Tridentinum* substiterit etiam an. 1266. habetur ex Testamento *D. Cubitosae f. q. D. Riprandi de Arco*.

XXIV. AGNELLUS.

Angelus quoque non semel nominatus, cujus Episcopatus initium est ab Anno 576. vel 577. uti elicitur ex quodam vetusto Codice celebris Monasterii Weingartensis, sciteque adnotavit Cl. Vir Josephus Comes Garampius Ariminensis, Vaticanae Basilicae Canonicus, cujus Epistolam dedimus *pag.* 483. primae Partis hujus Voluminis: in quo quidem Codice locupletissimum de eo testimonium perhibet supra laudatus coaevus Scriptor *Secundus Servus Christi* de Tridento. Constat autem ad Tridentinae Ecclesiae clavum sedisse etiam an. 591. In eo culpandus idem *Agnellus*, quod Tribus Capitulis faverit, pluribusque Schismaticorum Patriarchatus Aquilejensis Pseudo-Synodis interfuerit. Verumtamen hujusmodi vitium commune ipsi fuit cum *S. Ingenuino* Episcopo Sabionensi, cui arcta erat necessitudine junctus; neque diffitendum illud fuisse ab ipsis ante mortem congrua poenitentia expiatum. Hinc inter Sanctos referri meruit *Ingenuinus*, ac inter Divos *Agnellus* quoque a plerisque adnumeratur, tametsi nullo cultu a Tridentina Ecclesia hactenus honestatus.

Adeo autem ab omni veri specie abhorrere mihi videtur, quod nonnemo commentus est, nempe *Ingenuini* Sanctitatem, ac Cultum ortum duxisse a Pauli Diaconi immani errore, quasi vero Trium Capitulorum Historiam omnino perverterit, ac reapse Schismaticos pro veris Catholicis venditarit; ut e contrario, si opus esset, nullo negotio probare possem, ipsam ab eo fuisse vere periteque descriptam. Ceterum quod nostrum spectat *Agnellum*, unum est, de quo nulla mihi suboritur rationabilis dubitatio, nimirum in sacris Diptychis recenseri una cum reliquis Tridentinis Episcopis, qui in communione catholica obierunt. Ut ipsum facti poeniteret, potuit multum conferre paulo ante laudatus *Secundus*, *Theodelindae* Langobardorum Reginae piissimae oppido acceptus, atque a *S. Gregorio* Papa impense commendatus, veritatemque circa Tria Capitula ab eodem edoctus, Hinc haud immerito a Cl. Ludovico Thomassino *De Vet. & No. Eccl. Discipl. part.* 1. *L.* 1. *c.* 21. *n.* 6. inter

Epi-

Episcopos, qui *ad unitatem redire Ecclesiae*, recensetur *Tridentinus*. Tum quoque ad detergendam hujusmodi Schismatis maculam juvisse videtur ea caritas, quae operit multitudinem peccatorum; illa, inquam, caritas, quam *Agnellus*, una cum eodem *S. Ingenuino* exercuit in redimendis Langobardis captivis in Castro *Ferruge*, atque aliis etiam ejusdem gentis in Galliam abductis in libertatem itidem adserendis. Ad excusandum etiam peccatum, quod *Agnellus* noster una cum aliis numero plurimis schismati adhaerendo peccavit, in mentem veniunt verba S. Gregorii *L.* 3. *Epist.* 14. ad parcendum Felici Diacono, olim Schismatico, sed postea converso, prolata: *non in haeresim incidit, sed a sacris Generalis Ecclesiae mysteriis, quasi rectae studio intentionis erravit*.

Porro eodem *Agnello* nostro vivente, alia plura memoratu digna in Tridentino Territorio contigere; nempe *Anagnis* Castrum in potestatem Francorum venit: extinctus in *Campo Rotaliano*, sive *Rotbtaliano*, apud (uti mihi videtur) *la Roccbetta*, Comes Langobardorum de *Lagare*, sive Lagaro, *Ragilo* nomine; Vallis Anaunia ab iisdem Francis occupata, ac Tridentina quoque Urbs devastata, sed ab *Evino* ejus Duce vindicata; Nuptiae *Theodelindae*, *Garibaldi* Regis Bajoariorum filiae, cum *Autbari* Langobardorum Rege in *Campo Sarnis* Vallis Lagarinae apud *Burgettum* celebratae; Tractus Tridentinus inundatione Athesis, peste, ac etiam nova Francorum irruptione infestatus: in demortui *Evini* Tridentinorum Ducis locum suffectus Dux *Gaidoaldus*, vir bonus ac fide catholicus. Haec quidem videri possunt apud Paulum Diaconum, a quo etiam discimus, & quod *baptizatus est puer Adaloadus* (Agilulfi & Theodelindae post mortem Autharis filius) *in Sancto Johanne in Modicia*; & quod *susceptus de fonte est a Secundo Servo Dei de Tridento*; & *quod mense Martio defunctus est apud Tridentum Secundus Servus Christi, qui usque ad sua tempora succintam de Langobardorum gestis composuit Historiolam*. Ad quae postrema verba de *Secundi* morte, animadvertendum, eam a Bibliographis conjectari sequutam circa an. *615.*, anno autem *599.* (secundum unam ex Epistolis S. Gregorii Magni eidem inscriptam, quae praefert *Indictionem II.*) ipsum habuisse *aetatem ultra quinquagenariam*, nempe uno aut altero anno *quinquagenaria* majorem. Ex quo consequens est, ejusdem ortum contigisse circa an. 547. conversionem ad Ordinem Monasticum circa an. *566.* ac aetatis 19., ad annum vero *615.* ipsi emortualem, eumdem pertigisse ad aetatem annorum circa 68. Quod autem adtinet ad dictam *Historiolam*, haec forte complectebatur Fragmetum a nobis descriptum *part.* 1. *pag.* 483. hujus Voluminis, Fragmentum, inquam, quod *Secundus* ipsemet scripsit ad an. 580. Ex hujusmodi autem Frag-

mento constat, nostrum *Secundum* in computandis annis Mundanis adhibuisse calculum Eusebianum, eosque *ad usque Passionem Domini* perduxisse, enumerando *annos* 5229.; adhaesisse Traditioni de Mundi duratione sex mille annis; Jesu Christi Passionem cum anno vulgaris aerae 30. conjunxisse; annos computasse a Paschate, quod eodem anno aerae vulgaris 30. celebratum fuit die 6. Aprilis Feria quinta; pro *Civitate Tridentina*, ubi *locus* est *Anagnis*, nunc dictus *Castrum Nani*, accepisse more Veterum nedum Urbem gentis caput, sed & Dioecesim universam. Memoria recolantur dicta loco citato.

XXV. VERECUNDUS.

Hujus Antistitis epocham alii statuunt circa an. 603., alii circa an. 615. Nos profiteri malumus, quod eam ignoramus, quam pronunciare quod nescimus. Hoc quidem adseveranter dicimus, hunc Episcopum *Verecundum* toto coelo differre a memorato Christi Servo *Secundo* Tridentino, nihilque cum ipso habere commune, praeter aliqualem nominis similitudinem, quodque eadem tempestate ambo floruerint. Ceterum nedum de *Verecundo* nostro, ac de proxime ipsum excipientibus Episcopis, sed & de gestis in Tridentino territorio Saeculo VII. nihil reperire potuimus literis commendatum, praeterquam illud, quod a Paulo Diacono accepimus *Rer. Langob.* L. 5. c. 36. ubi de *Alachi* Tridentinorum Duce loquitur in haec verba: „ Hic dum „ esset in *Tridentina* Civitate, cum „ *Comite Bajoariorum*, quem illi „ *Gravionem* dicunt, qui *Bauzanum* „ & reliqua Castella regebat, con„ flixit, eumque mirifice supera„ vit. Qua de causa elatus con„ tra Regem suum *Pertarit* manum „ levavit, atque se intra *Tridenti*„ *num Castellum* (Veruca, nunc „ *Dostrento*) rebellans communivit. „ Contra quem Rex *Pertarit* pro„ gressus, cum eum extrinsecus „ obsideret, inopinate subito *Alachis* „ cum suis Civitatem egressus, Re„ gis Castra protrivit, Regemque „ ipsum fugam petere compulit. „ Qui tamen postmodum faciente „ *Cuniberto* Regis filio, qui eum „ jam olim diligebat, in Regis „ *Pertarit* gratiam reversus est. Qui „ Rex, cum eum aliquotiens in„ terficere voluisset, *Cunibertus* ejus „ filius semper prohibuit hoc fieri, „ nec destitit apud Patrem obtine„ re, quin etiam ei Ducatum Bri„ xiae contribueret. “

XXVI. MANASSES I.

XXVII. VITALIS I.

XXVIII. STABLISIANUS.

XXIX. DOMINICUS.

Sub ejusdem Effigie, quae visitur in Castro Veteri Tridenti, appellatur *Domnicus*. Alibi *Dumpruccus*,

nus, ut puto ego, ex vetusto nomine *Dompnicus*.

XXX. RUSTICUS.

XXXI. ROMANUS.

XXXII. VITALIS II.

XXXIII. CORENTIANUS.

XXXIV. SISEDITIUS.

XXXV. JOANNES I.

XXXVI. MAXIMINUS.

Apud alios *Maximus*. Cum quo Episcopo nihil simile habere arbitror, praeter purum putumque nomen, *Maximinum* illum, de quo loquitur Epitaphium in Parochiali Ecclesia S. Joannis Baptistae Flavonii in Anaunia:

Bonae Memoriae & perpetue sequritati. bene quiescant. reliquias sic *Maximini*

XXXVII. MAMMO.

XXXVIII. MARIANUS.

XXXIX. DOMINATOR.

Mirum esset, omnemque excedens fidem, tot numero Tridentinos Praesules VII. ac etiam VIII. Saeculi, solo nomine innotuisse, nisi aliunde certo constaret, nos grandem, ac nusquam satis lugendam jacturam fecisse omnium pene ante Saeculum XI. Monumentorum, solaque Tridentinae Ecclesiae Diptycha, ab injuria temporum vindicata, ad id supplendum superesse. Ceterum sub posterioribus recensitis Episcopis, iis nimirum qui ad VIII. Saeculum spectant, plura memoratu digna contigisse in Ditione ac Dioecesi Tridentina certum est, puta an. 722. *S. Corbinianum*, Frisingensem postea Episcopum, per Vallem Venustam & Athesinam, Romam peregre egisse, *Husingo* tunc Tridenti Comite: an. 723. reducem ad Tridentinos fines pervenisse, ac non longe a Castro in prata, quae appellabantur *Rumanniana;* tum apud Majas Ecclesiam S. Valentino erexisse ac dedicasse; an. 730. ejus sacrum Corpus Frisinga in Majas translatum; an. 739. Corpus ejusdem *S. Valentini* a Castro Majensi in Tridentinam Urbem delatum; an. 742. Corpus S. *Quirini* Martyris Roma per Vallem Athesinam ad Lacum Tegeranum deportatum, exstructumque ob insigne miraculum ad Dalserum sive Talserum amnem Sacellum; an. 770. Conventum Bulsanensem sub *Tassilone Bajovarorum Duce* celebratum, fundatum Monasterium Inticense, Corpus praefati *S. Valentini* Tridento Patavium, sive Passavium advectum, exuvias laudati *S. Corbiniani* Maiis Frisingam reductas &c. In quibus omnibus quis non miretur de alto silentio quod circa Antistites Tridentinos ea tempestate viven-

viventes, Scriptores servarunt, tametsi de eis loquendi opportuna esset occasio? Ut vel hinc palam sit, imbecille nimis, ac infirmum esse inficiale argumentum, ab Auctorum silentio petitum, cui severioris ac intemperantioris Critices Studiosi nimis indulgent, ac plus aequo deferunt.

XL. URSUS.

Carolus Cointius To. 6. *Annal. Ecclesiast. Francor.* ad an. Chr. 774. expendens Catalogum nostrorum circa haec tempora Episcoporum, colligit, *Ursum Episcopum Tridentinum fuisse, cum Tridentum a Longobardis ad Francos transiit*. Id notatum lego a Cl. Viro Jo. Benedicto Gentilotto in suis MSS. Additamentis ad Pincium. Porro Tridentum obtemperasse antea Langobardis patet ex Actis *S. Valentini* Pataviensis, sive Passaviensis Episcopi, testantibus ejus *Sacrum Corpus Tridentum translatum a Longobardorum gente e castro Magiensi*, ac postea *jussu Ducis Thassilonis propriae Sedi honorifice restitutum*. Id ipsum quoque constat ex Actis *S. Corbiniani* Frisingensis Episcopi, in quibus legere est: *Cum ad Tredentanum Castrum vir Dei pervenit, ubi tunc a Longobardorum Rege Comes nuper erat positus, nomine Husingus, hic quoque cum viri Dei emissarium* (proletarium nempe equum, sive ad propagandam sobolem destinatum) *valde decorum forma vidisset, emere concupivit &c.* Nihilominus tamen ambigendum neutiquam est, deinceps paruisse *Carolo Magno*, post videlicet ab eo superatum *Desiderium* Langobardorum Regem an. 773., nec non *Pippino* ejusdem *Caroli* Filio an. 787. uti videre est *Volum.* 2. *pag.* 38. Profecto Annales Bertiniani To. 2. *Scriptor. Rer. Ital.* Cl. V. Lud. Ant. Muratorii *pag.* 501. ad eumdem an. 787. testantur, *Carolum* Regem jussisse fieri exercitum in partibus Italiae contra *Tassilonem* Bajoariae Ducem, ubi *Pippinus Rex cum suo exercitu usque ad Trianto* (id est *Tridentum*) *partibus Italiae veniret, ipseque ibi remaneret, & exercitum suum pleniter extenderet usque ad Bauzanum*. Ferunt, eumdem *Carolum Magnum* donasse Tridentinae Ecclesiae *Ripam cum Judicaria tota*, sed de hujusmodi donatione Diploma desideratur; cum tamen non desit de alia simili ab ipsomet facta Ecclesiae *S. Martini* Turonicae Civitatis: de donatione, inquam, *Insulae cum Castello Sermionense quae est sita in Lacu Minciadae* (sive Benacensi, unde Mincius egreditur) ac *Vallis illius quae vocatur Camonia &c. cum montibus & alpibus a fine Treentina qui vocatur Thonale usque in finem Brixaneinse seu in giro Bergamasci &c.* Hujusmodi Diploma habet in fine *Data XVII. Kal. Augusti. Anno VI. & primo Regni nostri*; nec non *Actum Papia Civitate &c.* Refertur ab Erud. Jo. Bapt. Blancolino L. 4. *Notizie Storiche delle Chiese di Verona* pag. 499. ac seqq.,

seqq., ejusdemque meminisse juverit, eo quod expressa in ipso donatio verisimilem reddat quoque donationem, quae itidem Ecclesiae Tridentinae *S. Vigilii* ab eodem *Carolo* facta dicitur in uno Diplomate *Caroli V.* nec non in pluribus Editis ac Manuscriptis. De transitu ejusdem *Caroli Magni* per Randenam Vallem nil dicam, cum Chronicon de eo loquens suspectum ipse Marianus habuerit *Trento* pag. 549. neque ego dubitaverim, velut spurium ac adulterinum explodendum.

XLI. CLEMENTIANUS.

XLII. AMATOR.

Iste, Cointio auctore ad an. 795. num. 25., interfuit Forojuliensi Concilio coacto sub *S. Paulino* Patriarcha Aquilejensi. Sed in hoc errat idem Cointius, dum putat hujusmodi Concilium celebratum dicto anno 795., nam a laudato *S. Paulino* illud congregatum anno 796. late probavit Cl. Jo. Franciscus Madrisius in Dissert. de Concil. Forojulien., ubi tamen ipse haeret dubius num anno 796. in Tridentina Cathedra consederit *Amator*, *vel Hildegarius*. Ego nihilominus Cointio in hac parte fidem derogare nolim, donec contra ejus testimonium, contrarium Monumentum producatur.

XLIII. HILTIGARIUS.

Epocha hujus Episcopi ab Ughello, & Cointio statuitur ad an. 802., a Pincio, & quibusdam MSS. circa an. 803., ab aliis an. 804., a Beyerlinckio autem circa an. 805., ut vel hinc pateat rem esse incertam. Ipse renovavit Altare B. Vigilii, Reliquiasque Sanctorum pretiosissimas inibi condidit. Hinc quantum conjectura adsequi possum, ab eo originem duxit Epitaphium illud incipiens *Suscipit Athletas &c.* quod legere est *Vol. 2. pag. 25.* Circa haec tempora ferunt transiisse per Tridentum in Germaniam Leonem III. Summum Pontificem.

XLIV. DANIEL.

Inter hunc *Danielem* & *Hiltigarium* Diptycha nostra Tridentina perperam intrusum demonstrant *Voldericum*, seu *Ovaldericum* Tridentinum Episcopum.

XLV. HEIMPERTUS.

Aliis *Heimbertus*, & *Eribertus*. Claruit anno 827., quo per *Andream* Archidiaconum suum Mantuanae Synodo interfuit. Talis Archidiaconus refertur quoque in Monumento de anno 845., in quo memoratur etiam *Palatium Tridentinum*, *Liutfridus Dux*, *Curtis Ducalis &c.* Hujusmodi Documentum continet

Pla-

Placitum habitum in Civitate Tridenti Hlotarii Imperatoris anno XXV. & Hludovici Regis ejus filii anno V. die XXVI. Februarii, Indictione VIII. quod quidem *Placitum, sive Judicatum, scripsit Grimualdus Notarius Civis Tridentinus.*

XLVI. UDILSCALCHUS.

Dictus quoque *Odescalchus*, *Holdescalcus*, & *Hydelsalcus*; qui vivebat an. 855. & adhuc in vivis fuisse videtur an. 864. De eo testantur Monumenta producta Vol. 2. pag. 357. ac seq. *de Dote S. Quirici & Jolitae de Tramino*, *de Dotibus Ecclesiae S. Vigilii de Castello*, *de Dote S. Mariae Virginis in Caldare*, in quibus memoratur quidam *Regnardus de loco Fornace*, tamquam *Defensator Ecclesiae*, nec non quidam *Henricus filius cujusdam Regmeno Comitis qui fuit habitator in Vico Tramino &c.* Testatur quoque olim repertus antiquissimus Liber Plebis Bletii Vallis Judicariarum, aliaque Monumenta eodem Volumine secundo relata. Ejusdem Antistitis aevo pro Regiis Conventibus celebrandis, Populorumque foedere ineundo, frequentior evaserat Urbs Tridentina. Sub eo an. 860. in sacra Aedicula Campestri subtus Vezanum Oppidum reconditae Reliquiae *S. Valentini* Martyris, quae postea una cum Reliquiis *S. Parentini* inventae sunt; de quibus lege sis *Vol. 2. pag. 234. ac seq.*

XLVII. ADELGISUS.

Apud nonnullos *Adelchisius*, nec non *Aldegisius* nominatus. Praeerat Tridentinae Ecclesiae an. 874., adhuc vivens anno 881. Gravis ipsi controversia fuit cum *Adelardo* Episcopo Veronensi *de quibusdam rebus Asianae Villae*, per quam probabilius intellexerim *Asionam*, sive *Asionem Campaneam*, cujus habetur mentio in Testamento Pacifici an. 844., seu *Vicum Asionam* relatum in alio Documento de an. 1102. estque antiquissimus Agri Majoris Veronensis, qui modo dicitur *Sona*. Qua de re plura *Vol. 2. pag. 42. ac seqq.* Ad tempora ejusdem *Adelgisi* spectare videntur, quae legere est in Annalibus Fuldensibus *To. 1. Script. Germ.* apud Freherum ad an. 883., quaeve videntur alludere ad grandem lapidum congeriem prope Marcum in inferiori Valle Lagarina. Namque ibi refertur: *Mons quidam in Italiae partibus de loco suo motus, in Athesim fluvium cecidit, ejusque meatum interclusit. Hi autem qui apud Veronam, & in contiguis locis ejusdem fluminis habitabant, tamdiu utilitate ejusdem carebant, donec idem fluvius per eundem montem quasi cavernulas faciens ad suum alveum rediret.*

Quousque autem *Adelgisus* noster vitam protraxerit, mihi profecto incompertum. Me quidem non fugit, quod refert Guillielmus Godefri-

defridus Leibnitius in suis ad *Carmen Panegyricum de Laudibus Berengarii Augusti* Notis To. 2. *Rer. Ital. Script.* pag. 394., nempe *Berengarium* an. 888. Tridentum venisse, pacemque inibi cum *Arnulfo* Germaniae Rege iniisse. Me etiam minime latet, quod ajunt Palatini Socii Editores cit. To. 2. pag. 416. (IV.) nimirum *Arnulfum* Imperatorem Italiam cum valido exercitu ingressurum, per Alpes, Tridentinas descendisse an. 888., id ipsum narrantibus Annalibus Bertinianis ibid. pag. 572. Itidem scio, ibi pro *Oppido Tarentino* legendum *Oppido Tridentino*: sed an adhuc in vivis tunc esset noster *Adelgisus*, plane ignoro.

XLVIII. FRIDEBERTUS.

Appellatur *Tridebertbus* a Pincio, *Theodobertus* ab Ughello, & *Albertus* sub ejusdem antiqua Effigie in Castro Tridentino.

XLIX. GISULFUS.

L. BERTALDUS.

Apud Ughellum *Bartoldus*.

LI. JACOBUS.

Hujus Effigies in Castro Tridentino cernitur inter illas *Bernardi I.* & *Manassis II.*

LII. CONRADUS I.

LIII. JOANNES II.

Heic multo magis urget, quod sub *Dominatore* animadvertimus circa Documentorum defectum, quippe modo memorati Episcopi longe minus a nobis distant, & tamen solis nominibus per Diptycha nobis innotuere, unde omnis notitia in subsequentes Catalogos derivavit. Porro toto non dicam ostio, sed coelo aberrant a vero, qui putant hunc *Joannem* illum ipsum esse, quem nominat Munsterus *L. 3. fol. 643.*, quemve uti fratrem *Bartholomaei* Comitis Tirolensis, ac uti suo tempore viventem memorat *Bertrandus* LXXII. Patriarcha Aquilejensis *L. 7. fol. 69.* Quis enim umquam audivit Comites Tirolenses aevo nostri *Joannis*? Quei isti aequalis esse potuit ille *Bertrandus*, qui claruit Saeculo XIV.? Apage putidissimum anachronismum. Episcopum Tridentinum, de quo loquitur *Bertrandus*, non fuisse *Joannem* hunc, sed *Nicolaum* perquam acceptum *Joanni* Tirolis Comiti, videbimus infra sub eodem *Nicolao*. Interim notare non praetermittimus, tempore nostri *Joannis*, vel successoris *Bernardi*, nempe an. 926. die 25. Decembris, fuisse in Civitate Tridentina *Hugonem* Italiae Regem, fidem faciente Diplomate apud Ughellum Coleti *To. 5. col. 501.* Eodem anno 926., uti notat MS. Catalogus apud me, *Arnoldus Bavariae Dux in Italiam cum militaribus co-*

piis descendit, sed prope victus, & in Bavariam fugatus fuit; ex quo Tridentina regio inquietudine fuit afflicta.

LIV. BERNARDUS I.

Claruit an. 927. quo in Testamento *Notberii* Episcopi Veronensis memoratur, una cum bonis *in finibus Tridentinis, ubi dicitur Badabiones*. Hos autem *Badabiones*, haud secus quam locum, vel tunc dictum *Sacco*, ad Vallem Lagarinam spectasse, non ad Vallem Randenam, evicimus *Vol. 2. pag. 45. ac seq.* In eodem Testamento nedum mentio fit dicti *Bernardi*, praefatorumque *Badabionum*, sed etiam *Canonicorum S. Vigilii Tridentini*. Necdum vivere desierat an. 932., quo in alio Testamento *Dagiberti* Diaconi Veronensis vocatur *Bernardus praeclarissimus Pontifex*.

LV. MANASSES II.

Cum esset Episcopus Arelatensis Ecclesiae, cujus Infulis potitum fuisse constat jam ab anno 914., Italiam adivit an. 933., atque ab *Hugone* Italiae Rege, cui arcta adeo erat propinquitate conjunctus, ut a Laur. Beyerlinckio in *Archiepisc. Mediolanen.* dicatur ejusdem *Hugonis filius*, Veronensem, Tridentinam, ac Mantuanam Ecclesiam obtinuit, ac dein etiam Marchiam Tridentinam anno 935., in hoc minime laudandus, quod tot Ecclesiarum regimen adfectaverit. Praesertim cum memoriae proditum sit, ad Infulas quoque Mediolanenses transvolasse. Hinc ceu *Archiepiscopus Mediolanensis*, cum aliis magni nominis Archiepiscopis & Episcopis, memoratur interfuisse Synodo Augustanae an. 952. vel 953. In Commonitorio alterius Concilii incerti loci in finibus Burgundiae circ. an. 955. nuncupatur, *Summorum Summus*, *Primorum primus*, *Domnus Manasses*, *Metropolitanae Sedis Arelatensis Archiepiscopus*. Hunc in vivis fuisse an. 960. refert Liutprandus, qui tamen illi nimis infensum se se ostendisse videtur. Ut ut tamen fuerit, Tridentina Ecclesia tamquam intrusum Praesulem minime eum agnovit, ut ex ejusdem Diptychis patet, quibus profecto, nostra quidem sententia, major fides, quam Liutprando, adhibenda. Sub *Manassis* ejusdem tempora claruisse *Hilpoldum*, sive *Hildeprandum* de *Formigaro*, seu *Formiano*, constans est plurium Scriptorum opinio, uti *Vol. 3. part. 1. pag. 338. & seq.* diximus.

LVI. LANTRAMNUS.

In quibusdam Catalogis appellatur *Lantraminus*. Hic videtur ille Episcopus Tridentinus, qui an. 957. die 15. Augusti interfuit Consecrationi Ecclesiae S. Mariae de Muriano. Hunc ipsum sub titulo *Pastoris bonae memoriae Ill. Confratris nostri Episcopi ab luce sublati*, innuit Epistola *Radaldi*, sive *Rodoaldi* Patriar-

triarchae Aquilejensis ad Episcopum Papiensem, quam Cl. V. Gentilottus laudavit exstantem in Mabillon. Mus. Ital. t. 1. par. 2. p. 240. 241.

Circa hujus Episcopi tempora in antiquo MS. Catalogo penes me, notatum lego, *Otthonem Imperatorem descendisse in Italiam per Tridentum ad deprimendos Berengarios &c.* Godefridus quoque Viterbiensis To. 7. *Rer. Ital. Script.* col. 432. narrat eumdem *Othonem collecto exercitu in Italiam per Vallem Tridentinam intrasse.*

LVII. ARNALDUS.

Fuit ex Papiensi Dioecesi, *Arnoldus* alicubi dictus. Subscripsit Ravennatensi Synodo an. 967., ac nondum vitam cum morte commutaverat an. 971. Hunc proxime laudatus Patriarcha *Radaldus ad votum Cleri & Populi Tridentini instanter poposcit consecrandum*, ceu *non solum morum probitate pollentem*, ac *litteratoria doctrina expolitum, sed etiam cunctarum virtutum culmine renitentem.* Nec mirere, quod hic minime adsumptus fuerit ex *Tridentinae Ecclesiae Collegio*; mirere potius de eo, quod refert Leo Ostiensis Lib. 2. *Chron. Casin.* cap. 89. To. 4. *Script. Rer. Ital.* pag. 403. loquens de *Victore II.* PP. A. C. 1055., hunc per Legatum *Hildebrandum* ab Imperatore petiisse Romanos, *quoniam in Romana Ecclesia persona ad tantum officium idonea reperiri non poterat.* Qui velut medius inter laudatum *Arnaldum*, & subsequentem *Rainoardum* statuitur, nempe *Arimundus*, Diptycha nostra ceu commentitium explodunt.

LVIII. RAINOARDUS.

Dictus *Raynvvardus* sub ejus Effigie antiqua in Castro Tridentino, *Raynaldus* ab Ughello; & *Raymundus* a Francisco Adamo Comite de Brandis in *Aquila Tirolensi*, nec non a P. Oddone Koptickio Benedictino in *Coeli Firmiani Splendore*. Ab his duobus adseritur ex illustri familia *de Caldesio* in Valle Solis. In Eggeriana etiam Diplomatum Tirolensium Collectione MS. ad an. 994. refertur inter *Nobiles de Caldes*; toto coelo tamen a veritate alienum est, quod inibi legitur, videlicet: *Raymundum de Caldes electum Episcopum Tridentinum, sed nondum confirmatum* obiisse. Quippe an. 992. die 16. Octobris idem *Reinvvardus* ceu *Tridentinus Episcopus*, ac proinde nedum confirmatus, sed & consecratus, interfuit Dedicationi Halberstatensis Ecclesiae. Anno 993. mense Novembri Veronae, una cum duobus, qui *Amelgausi*, & duobus qui *Amelrici* appellabantur, nec non cum *Tursindo*, *Regimbaldo*, *Joanne*, & aliis (quorum nomina videntur postea relata inter *Fideles*, ac inter *Famulos S. Vigilii* in nostro Diptycho Udalriciano) pariter interfuit Sententiae latae circa *Curtem*, *quae nomi-*

C 2

minatur Ripa juxta Lacum Benacum. Synodali quoque Sententiae subscriptus legitur Veronae an. 995. Indict. 8. die 23. Novembris, in qua nominatur quidem *Rainsardus* apud Cl. P. Bernardum Mariam de Rubeis O. P. in *Monum. Eccl. Aquilejen.* col. 484., sed *Rainoardus* apud Cl. Lud. Ant. Muratorium To. 5. *Antiquit. medii aevi* col. 1004. Ejus emortualis annus mihi inexploratus, sed non dies; namque in Udalriciano Calendario legere est: *IV. Kal. Mart. Ob. Reginvvard. Episcopus*. Porro hic alius fuisse non videtur a nostro *Rainoardo*, sive *Reynvvardo*. Post praedictam ejus Effigiem habetur: *Hic finit annus millesimus a Nativitate Christi*.

LIX. UDALRICUS I.

Ad clavum Tridentinae Ecclesiae sedebat an. 1006. Adeo benemereri studuit de Monasterio Sunneburgensi in Valle Pustrissa Dioecesis Brixinensis, quod a fundamentis erexerat *Nobilis quidam Volcholdus*, ut ipsi *Udalrico*, ejusque Successoribus super idem Monasterium *Mundiburdium*, sive Jus Advocatiae adtributum fuerit, probante *S. Henrico* Imperatore an. 1018. Videsis Documentum *Vol. 2. pag.* 363. *ac seqq.* Ejus mors signata die 24. Augusti circa an. 1022. Singulare in hoc Episcopo illud est, quod ejus Parentum emortuales dies in Calendario, quod *cit. Vol.* 2. publici juris fecimus, notati leguntur; quippe ejus pater *Arbo* dicitur obiisse 30. Novembris, ac mater *Vuillunrga* 27. Apr. De eodem nostro *Udalrico* sermo est apud Cl. P. Carolum Meichelbeckium *Hist. Frising.* To. 1. part. 2. pag. 491. Ipsius tempore laudatum Imperatorem *Henricum* pertransiisse Tridento cum multo exercitu ad sedandos Italiae tumultus, sumendamque Imperialem Coronam, nonnulla MSS. testantur.

LX. UDALRICUS II.

Tridentinam Ecclesiam gubernandam suscepit anno 1022. Primus fuit Tridentinus Princeps ex donatione *Comitatus Tridentini cum omnibus suis pertinentiis & utilitatibus illis, quibus eum Duces, Comites, sive Marchiones hucusque beneficii nomine habere visi sunt*, facta a *Chunrado* Imp. an. 1027. *Sanctae Tridentinae Ecclesiae, in qua pretiosorum Martyrum Vigilii, Sisinii, Martyrii, atque Alexandri corpora requiescunt*; additis anno mox sequenti 1028. Comitatibus Venustano, Bauzanensi, sive Bulsanensi, ac Montis Riteni. Adhiberi autem consuevisse in Donationibus similes formulas de Sanctorum Corporibus in Ecclesiis requiescentibus, ad innuendum ipsas quam religiosissime factas, ex aliis quoque antiquioribus Diplomatibus constat.

Anno 1027. XIII. Calendas Junias Indict. 10. adfuit noster *Udalricus* in Comitatu Veronensi *in Laubia S. Zenonis* coram Impera-

peratore, ex *Monum. Eccl. Aquilejen.* Cl. P. de Rubeis *col.* 500. Anno 1031. Indict. 14. III. Idus Julias interfuit Consecrationi Aquilejensis Templi a *Poppone* Patriarcha solemniter celebratae. Inter Episcopos quoque Concilii Papiensis an. 1046. reperitur. Anno 1048. se exhibuit magnopere commendandum in Inventione pretiosi Christi Sanguinis Mantuae. Ipse *Cryptam* in Ecclesia Cathedrali *fundavit*, *Altare revelavit* (al. *relevavit*) *totamque Ecclesiam in melius mutavit*.

Naturae concessit an. 1055. uti habent Excerpta Necrologii Fuldensis apud Leibnitium To. 3. *Scriptor. Brunsvic.* pag. 768. ac bene notat in Auctariis Ughellianis Cl. Gentilottus. Hoc ipsum ego magis magisque confirmo auctoritate Joannis Staindelii, qui in suo Chronico ad eumdem an. 1055. haec commemorat: *Udalricus Tridentinus Episcopus moritur*, *cui Hatto in Episcopatu successit*. De anno itaque amplius ambigendum non est, uti neque de mense ac die, nempe die 25. Februarii, quemadmodum ipsum Calendarium Udalricianum a me Vol. 2. productum diserte testatur.

Ab hoc praeclarissimo Antistite habemus Codicem Liturgicum, ab ejus nomine *Udalricianum* nuncupatum, vel ob praefixum Calendarium Necrologicum, insertaque Missae Canoni sacra Diptycha (in quibus idem Praesul ornatur titulo *Benignissimi*, atque ob *serenissimam pietatem* commendatur) auro cedroque pretiosiorem. Post initium ejusdem Canonis habetur: *una cum beatissimo famulo tuo Papa nostro Ill. & Antistite nostro N. & Rege nostro N. &c.* Ad Communionem Panis & Vini, quam aliis dederit Diaconus, praescribitur, ut dicat: *Perceptio Corporis & Sanguinis Domini nostri Jesu Christi proficiat animae & corpori tuo in vitam aeternam*. Ex praedicto Codice sub *Ordine ad Catecuminum faciendum* patet, viguisse adhuc tunc in Tridentina Ecclesia disciplinam, nedum conferendi Infantibus Baptismatis, ac Confirmationis, sed etiam Communionis sub utraque specie praebendae. In quam rem videsis *cit. Vol. 2. pag. v. Dissert. Praev.* Id ipsum testatur alius Codex membranaceus ejusdem Saeculi, pulchro minio pictus, musivisque notis ornatus, ac in Sacrario Cathedralis Ecclesiae Tridentinae adservatus, cujus mentionem facit Cl. Baro Leopoldus Pilatus in *Orig. Juris Pontif.* pag. 185. *Udalrici* nostri cum laude meminit Scipio Agnellus Maffejus L. 8. *Annal. Mantuan.* c. 3. pag. 408.

Eodem *Udalrico* adhuc vivente scilicet anno 1049. ferunt transisse per Tridentum *S. Leonem IX.* Summum Pontificem, cum multo Nobilium comitatu, tuncque creasse Cardinalem *Hugonem Candidum*, quem *Tridentinum* putant, quemque ab alio ejusdem nominis *Hugone Candido Romano Presbytero Cardinali tituli S. Clementis*, postea a *S. Gregorio VII.* deposito, atque excommunicationis fulmine perculso, distinguit Liber, cui

tit.

tit. *Le Vite de' Pontefici del Platina, e d' altri, in Venezia* 1730. *presso Girolamo Savioni*, pag. 227. In alio quoque Libello inscripto: *Saggio della Biblioteca Tirolese di Giacopo Tartarotti* pag. 99. memoratur *Card. Ugone Bianco Trentino*. Hunc tamen *Card. Hugonem Candidum* minime inter Tirolenses Scriptores recensendum autumat noster P. Hieronymus Cassina de Tridento in suis MSS. Spicilegiis. Circa an. 1050. floruisse fertur *Albertinus de Thunno*, id inter ceteros referente Anonymo Tridentino, laudando infra sub *Francisco* Episc. CII.

Inter nostrum *Udalricum II.*, & sequentem *Hattonem*, neque Tridentina Diptycha, neque Catalogi nostri medium *Otelricum* agnoscunt, quaeve de eo ab Ughello adferuntur, eidem *Udalrico II.* adjudicanda sunt. Fictitius quoque circa haec eadem tempora quidam *Teudaldus Tridentinus Episcopus*, non tamen fictitius *Theudaldus Episcopus Vicentinus*.

LXI. HATTO.

Hartonus quoque appellatus. Imperatoris *Henrici III.* favore ad Episcopatum promotus versus finem Anni 1055.

LXII. HENRICUS I.

Caesarea Legatione functus est jam Episcopus Tridentinus an. 1068., & ab *Henrico* Romanorum Rege *Castellarii* Mantuani, cum mero, & mixto Imperio, Investitura muneratus An. 1082. Ante annum hunc, nimirum *anno quo tertium bellum gestum est ab Henrico Rege contra Saxones* (incidisse enim videtur in an. 1080.) quaedam contigit inter *Henricum* Episcopum nostrum, & *VVilramum* Ebersperpensem Abbatem Commutatio, cujus Chartam *Vol. 3. Parte 1. pag.* 160. edidimus, unde patet eumdem nostrum Praesulem fuisse oppido Librorum Liturgicorum studiosum.

Quod fertur, obtinuisse sub *Leone IX.* absolutionem a vinculo irregularitatis, quam incurrit, ob necem inlatam iis, qui Tridentinam Ecclesiam exspoliare ausi fuerant, haud facile admiserim; quippe *Leo IX.* ad beatam patriam jam migraverat die 19. Aprilis 1054. quo nondum *Henricus* noster erat Episcopus. Lubentius concesserim ad ipsum spectare Epistolam *Gregorii VII.* inscriptam *Fratri & Coëpiscopo Tridentino*, in qua Sanctus Pontifex queritur de nondum accepto ejus responso, ac declaratione, vel *post Synodalem Sententiam in Henricum Regem prolatam*, ipsumque rogat, ac invitat, ut *ad servitium beati Petri* pro facultate sua Milites mittere studeret, eosque opere Comitissae Methildis ad se perducendos curaret. Quod adhuc certius illud est, non Tridenti, sed Brixinae, fuisse, in gratiam Guiberti Pseudo-Papae, Conciliabulum tunc celebratum. Sub nostro *Henrico* floruit *Gothifredus Judex Advocatus ejus*.

LXIII.

LXIII. PERWARDUS.

Ab aliis *Bernardus*, ab aliis vero *Burckardus* vocatus; ac defunctus circa an. 1084.

LXIV. ADELPERO.

Etiam *Adelbero*, *Adalbero*, *Adalberonus*, atque *Adelpenonus* nuncupatus. Successit, cum esset antea Canonicus Augustensis. Scitur celebrasse Dedicationem Ecclesiae Sunneburgensis Monasterii an. 1090. Adhuc Tridentinam Sedem implebat anno 1101., quo Petrum Abbatem de *Aqua Nigra*, Monasterio de *Gironda* sibi subjecto, intuitu pietatis, ac religionis, praefecit. De eodem sub anno 1084. mentio fit in MS. *Historia Augustana* F. Sigismundi Meisterlini *part.* 4. *c.* 11. his verbis: *Tricentino* (leg. *Tridentino*) *Praesule defuncto*, *Adelbero Augustensis Canonicus substituitur*. Occurrit quoque ejus nomen in vetustioribus S. Remedii Anauniensis Monumentis To. 2. pag. 350. relatis.

LXV. GEBARDUS.

Hujus nomen varie literis consignatum reperi, videlicet: *Gabardus*, *Geabardus*, *Gebbardus*, *Gebabardus*, *Gebehardus*, *Gebelardus*, *Geboardus*, *Gevabardus*, *Gerardus*, & *Gavarchus*. Fuit ad Episcopatum evectus anno 1106., eodemque consecratus, die 21. Octobris a *Paschali II.* Papa in Concilio Guastallensi.

In geminis ejus Diplomatibus an. MCXI. ac MCXII. scriptis appellatur *gloriosissimus Tridentinae Sedis Episcopus*; in quorum posteriori additur *& Comes ipsius Episcopatus*, *& Canzelarius Domini Henrici Imperatoris*, nempe quinti. Cum eodem *Cancellarii* titulo se subscripsit an. MCXVIII. apud Chronicon Farfense To. 2. part. 2. *Rer. Italicar. Scriptor.* Cl. Lud. Ant. Muratorii col. 676. B. Ipsius quoque memoriam faciunt praefata S. Remedii Monumenta, in quibus notatu digna illa subscriptio humilitate plena: *Ego ipse Geabardus solo nomine Episcopus subscripsi*. Eidem *Sancti* titulus a plerisque Scriptoribus tribuitur, quo tamen caret in sacris Ecclesiae nostrae Diptychis. Memoratur a Jo. Baptista Pigna in Historia Principum Estensium, ab Abbate Urspergensi in Chron. ad an. 1106. ubi *vir probatus* nuncupatur, & ab aliis pluribus. Ejusdem tempore floruerunt: *Comes Adelpretus Advocator ejus*, *Odelricus Comes de Piano &c.*

LXVI. ADELPRETUS I.

Dictus etiam *Albertus*, qui antiquo Catalogo referente, redegit *Altare vetustum cum Pilo ad instar Romanae Curiae*, *ubi nunc Monumentum Sanctorum Sysinii & aliorum*. Alius Catalogus ait: *Renovavit Altare majus Divi Vigilii in Cathedrali*, *reducens illud ad formam Romanae Ecclesiae*.

LXVII.

LXVII. ALTEMANNUS.

Sive *Altmannus*, qui originem duxit a nobilissimis Bavariae Comitibus, nominatim a Regina *Tuta* nomine, & a Comite *Adalscalco*, non *patre*, sed *progenitore*. Anno 1124. mense Augusto *Tridentinae Ecclesiae Electus*, & anno 1126. *Episcopus Tridentinus* nominabatur. Ipse renovavit Cathedralem Ecclesiam S. Vigilii, eamque anno 1145. vel 1146. una cum *Peregrino* Patriarcha Aquilejensi, nec non cum Episcopo Concordiensi, consecravit, in qua Reliquias SS. Vigilii, Sisinnii, Martyrii, & Alexandri, aliorumque Sanctorum, religiosissime collocavit. Transtulit etiam Tridentum de pago *Mayani* prope lacum Toblini, Corpus S. *Maxentiae* Matris S. Vigilii, atque illud in praefatae Cathedralis Ecclesiae *Crypta sepelivit, sub Ara, quam in honorem ejusdem S. Maxentiae tertio Idus Novembris consecravit*. Anno 1131. die 15. Julii feria quarta dedicavit Sacellum Eppiani. Anno, ut puto ego, non MCXXXIIII. sed MCXXXVI. vel MCXXXXII. *Dominica tertia, die XVII. mensis Madii consecravit Ecclesiam S. Mariae de Cavalesio, & Altare S. Silvestri, & S. Stephani. Die vero Lunae decimo octavo ejusdem mensis & anni, Ecclesiam Elisaei, Laurentii & aliorum Martyrum in Tesido*. Constat praeterea fuisse ab eodem nostro *Altemanno* dicatum Altare quoddam in Subenensis Monasterii Ecclesia anno 1135. adhibitis inter ceteras Reliquiis *Vigilii Martyris, Remedii, Abrahae*, ac *David Confessorum*. Absit porro, ut dicamus, adeo religiosum piumque Antistitem turpiter ignorasse antiquam Ecclesiae disciplinam circa curam probationemque Reliquiarum, ac falsas pro veris vel in ipsa Altarium consecratione superstitiose usurpasse. Profecto ejusdem *Sancti Remedii Confessoris* Reliquias, ab *Altemanno* nostro, ut puto, acceptas, adhibuit quoque *B. Hartmannus* Episcopus Brixinensis in consecratione Capellae S. Jo. Baptistae prope Brixinam in Colle *Carnol* sitae an. 1141. Indict. 14. XIII. Cal. Aprilis. Ipse *Praebendam Confratrum duabus Parochiis ditavit, & multa alia iisdem Fratribus contulit beneficia*.

Ad eumdem *Altemannum* certe spectat *Can. Quoties Frater noster*. 2. *quaest*. 5. in Gratiani Decreto, si nota chronologica an. 1131. vere ipsi respondeat, non autem ad *Adelpretum I*. ejus praedecessorem, quidquid secus praeferat vetus Codex apud Petrum Pithoeum. *Ecclesia* quidem *Sancti Petri de Pado* in eo relata exstat reapse paulo supra Tridentum ab Oriente, in loco qui in antiquis tabulis varie nominatur *Po, Poum, Paum, Pabum, Pavum, Pajum, Paudum*, ac etiam non semel *Padum*; sed falsitate plenam continet criminationem. Credat enim Judaeus apella, Episcopum nobilissimum, ditissimum, atque etiam ad miraculum erga Christi Ecclesiam mu-

munificum, qui pro Deo paternos omnes thesauros, totamque haereditatem locupletissimam effudit, eo dementiae prorupisse, ut praefatam *Sancti Petri Ecclesiam de Pado Presbytero Paulo dederit pro quatuor modiis farinae*. Memoratus *Canon* refertur etiam To. 4. Concil. omn. Edit. Venet. 1585. pag. 206. cum ea rara admodum variante lectione, ut Episcopus Simoniae accusatus dicatur *Adispertinus Tudertinus*. In margine quidem vocatur *Tridentinus*: sed inter Tridentinos Episcopos nullum reperire est *Adispertinum*. Ibi *Ecclesia S. Petri* appellatur *de Pajo*, & bene quidem; *Presbyter* autem *Paulus* nuncupatur *de Ada*.

Ut ut fuerit de Canone ita relato, illud certum mihi est, ne minimam quidem Simoniae suspicionem cadere posse in nostrum *Altemannum*, ut qui certe fuit ea tempestate vir si quis alius piissimus, ac de pluribus Monasteriis optime meritus, nempe de Monasterio S. Laurentii prope Tridentum, de Monasterio S. Michaëlis supra Tridentum (cujus Ecclesiam etiam dedicavit anno 1145. die 29. Sept.) ac de Monasterio Subenensi ad Oenum.

Tandem visitato Sepulcro Domini in Palaestina, redux sancte obiit Tridenti anno 1149. die 27. Martii. Ejus cadaver, ipso mandante, ad Ecclesiam praedicti Subenensis Monasterii a suis Majoribus erecti, atque ab eodemmet aucti, pro Canonicis Regularibus S. Augustini, delatum fuit.

Anonymus Raitenhaslacensis in Vita Conradi I. Archiepiscopi Salisburgensis publica luce donata a Cl. V. Bernardo Pezio O. S. B. To. 2. part. 3. *Thesau. Anecdot.* pag. 248., testatur, quod idem *Conradus*, *Castrum Hainburch ab Episcopo nobilissimo Tridentinae Ecclesiae* Altmanno, *qui ex haereditate hoc possidebat, impetravit: sicut & Praepositoram super Enum positam*. In *Mortilogio RR. DD. Confratrum & Confoederatorum ex diversis Collegiis defunctor.*, quod est insignis Praepositurae S. Michaëlis ad Athesim, haec habentur ad diem 2. Maji: *In hoc Collegio agitur memoria Altmani Episcopi & Principis Tridentini, ex Comitibus de Sulzbach, Apostolici Instituti Canonicorum Regularium Sancti Augustini singularis Promotoris, qui Ecclesiam hanc Praeposito-Parochialem Plebe Jugi, & Jurisdictione Montis Favonae abs se auctam consecravit an.* 1145. De qua Consecratione vide sis *Vol. 2. pag. 291. & seq.*

Ejusdem praeclarissimi Antistitis tempore celebris fuit *Otto de Pao*, pater praefati *Peregrini* I. Patriarchae Aquilejensis. Item *Engilbero de Castrobarco*, *Albertus de Arco*, *Bertoldus de Tunno &c.* Sub eodem, scilicet an. 1137. accidit, *Lotharium* Imperatorem, ex Italia in Germaniam regredientem, adpulisse Tridentum, inibique cum laetitia S. Martini Festum celebrasse; verum ultra progrediens, *morbo correptus* inquit Chronicon *de Gwelfis Principibus* apud Henricum Canisium

To. 3. *Ant. Lect.* Part. 2. pag. m. 587.) *in Sylva, quae est inter Oenum, & Licum, sub vilissima Casa, XIII. Regni sui anno diem obiit.* Hujusmodi locum Chronographus Saxo apud Leibnitium, & Annalista Saxo apud Echardum, vocant *Breduvvan, & Breduvan.*

LXVIII. ARNOLDUS.

Ex hac vita migravit die 15. Februarii, sed quo anno incompertum.

LXIX. EBRARDUS.

Appellatus quoque *Eberhardus, Heberhardus, & Everardus.* Vivebat an. 1154. Obiit die 18. Junii an. 1156. Ejus meminit sub *Episcopi Tridentini* nomine Otto Frisingensis *L. 2. c. 11.* De eodem velut jam mortuo, deque *Berchtoldo* ejus Advocato, mentio fit in Bulla *Alexandri III.* nec non in Diplomate *Friderici I.* Imp. an. 1177. apud Hundium *To. 2. pag. m.* 142. & 143. Auctore Beyerlinckio: *Dissidio inter Blecios, & Rhendenenses componendo insignem navavit operam.* Pro Ripensibus etiam leges tulit, uti patet in nostra Collect. Monumentor. *Vol. 2. n.* 24.

Inter *Ebrardum*, ac mox sequentem *S. Adelpretum II.* omnino expungendus, tamquam insititius, *Hartvvicus Ratisponensis, & Tridentinus Episcopus;* fatentibus vel ipsis eruditissimis PP. Bollandianis 27. *Martii*, tametsi heic veram Chronologiam nostrorum Antistitum nequaquam adtigerint: quod eis indulgendum putamus, cum ad eorum notitiam certiora nostra Monumenta non pervenerint.

LXX. S. ADELPRETUS II.

Albertus etiam haud semel nuncupatus. Ejus patriam nescimus quidem, sed *Adelpreti* nomen satis frequens eadem circa tempora fuisse in nostris oris, discimus ex plurimis, authenticisque Monumentis. Sic v. g. ad annum MCXI. occurrit *Adelpretus Comes*, ad an. 1144. *Adelpretus de Bulzano*, ad an. 1155. *Adelpretus de Livo*, ad an. 1160. *Adelpretus de Lupa*, *Adelpretus Rubeus*, *Adelpretus Nepos Adelpreti Rubei*, *Comes Adelpretus de Tiano*, ad an. 1166. *Adelpretus de Perzino*, & *Adelpretus de Meze*, ad. an. 1181. *Adelpretus Gagius*, ad. an. 1183. *Adelpretus de Porta Auriola Canonicus*, ad an. 1185. *Adelpretus de Villazano*, ad an. 1189. *Adelpretus de Ballazo &c.* Omnium novissimus, qui retroactis temporibus hujusmodi nomine appellaretur, nobisque hactenus innotuerit, fuit *Adelpretus de Tabo* Consul Urbis Tridentinae ad an. 1425. 1431. & 1434.

Sed quaecumque fuerit *Adelpreti* nostri patria, hoc certum est, electum fuisse Tridentinum Antistitem an. 1156. ante diem 17. Septembris. Anno 1158. pro sua erga Se-

Sedem Apostolicam reverentia, comitatus Pontificios Legatos, iter agentes in Germaniam ad Caesarem, in violentas Eppianensium Comitum *Friderici* & *Henrici* manus incidit, a quibus eum (Radevico teste) *evidenter Divina Providentia liberavit*. Tantam injuriam ultus quidem est *Henricus* Dux Bavariae atque Saxoniae; at bonus Pastor *Adelpretus* illis facile veniam indulsit, dum eorum Advocatiam super Monasterium *Ovvense*, sive *Augiense* prope Bulsanum Canonicorum Regularium ratam habuit, ea tamen lege, ut esset *ad defendendum*, *non ad expoliandum*. Praefato Monasterio pius Antistes ita favit, ut ejus favori accesserint etiam Privilegia nedum *Friderici I.* Imperatoris, sed etiam *Alexandri III.* Summi Pontificis, ac *Vodalrici* Patriarchae Aquilejensis.

Ad ipsum *Adelpretum* haud dubie spectat ea clausula Bullae ejusdem *Alexandri III.* an. 1173., nempe *Salva Sedis Apostolicae auctoritate*, & *Dioecesani Episcopi Canonica justitia*. Hinc minime ambigendum, quod etsi velut Princeps se Imperio fidelem ostenderit, tamquam Episcopus tamen se quoque Sedi Apostolicae devotum praebuerit, adeoque, difficillimis licet temporibus, ad unguem impleverit Evangelicum illud: *Reddite quae sunt Caesaris, Caesari, quae sunt Dei, Deo*.

Quapropter societatem iniit nonnisi cum Catholicis, potissimum cum Carlessariis Veronensibus. Arcta quoque ipsi necessitudo intercessit cum Episcopis ac Praelatis Catholicis, nominatim cum *B. Hartmanno* Brixinensi Episcopo, atque cum *Oprando* Majoris Ecclesiae Veronensis Archipresbytero, ac dein Episcopo. Sibi addictum habuit *Salomonem* Decanum, ejusque postea proximum successorem, oppido acceptum *Vodalrico* Patriarchae Aquilejensi apprime catholico. Quare persuaderi neutiquam potest, ipsum egisse pro Imperatore Schismatico Vicarium Italiae, de quo altum silentium in authenticis Ecclesiae Tridentinae Monumentis. Auxit patrimonium S. Vigilii in territoriis Piani, & Caldarii. Æqua lance libravit, ac auspicato diremit lites inter *Jecboniam* Archidiaconum Majoris Ecclesiae Tridentinae, & inter *Gandolfinum* de *Fornasio*, inter *Lanfrancum* Abbatem S. Laurentii, & *Ropretum* de *Salurno*, nec non inter illos de *Murio*, & de *Nacu*.

Binas quoque alias tulit Sententias, uti ex subjectis Monumentis patescit: =

Sententia Alberti E. Tridentini contra Henricum Comitem de Lechsgemunt An. 1166.

Notum sit omnibus Christifidelibus tam presentibus quam futuris, quod Abbas Lotharius probaverit testibus sub Sacramento inductis, & certis indiciis probantibus, talia Predia pertinere ad res sue Ecclesie, qualia Comes Henricus de Lexmund Pater junioris injuste subtraxit. Hec facta sunt sub Judice D. Adelberto *Tridentine Ecclesie Episcopo, & coram Adelberto Frisingensi Episcopo, aliisque Principibus, Arnoldo de Morit, Pertoldo de Tyrol, aliisque multis. Cujus rei testes sunt subscripti: Adelbrecht de Live, Aribo & frater ejus Khunradus Clericus, Eberhardus, Rudbertus de Salurne, Chadellocb de VVineke, & frater ejus Lando, Khunrad de Sever, Agilolf, Volmar de Pelcheim, Albrecht Cholbe, Udalricus de Ginse. De Ministerialibus: Gotscalc de VVineke, Otto & iterum Otto, Henricus de Polan, Reginbertus, Pertholdus de Moriht & Fridericus, Arnoldus & Geroldus de Tirol, Marchvvartus, Pertholdus de Dolin, Gotboldus & fratres ejus Henricus & Adelbertus de Gurlan, Ascvvin, Penlo, Reginpolt, & filii ejus Pertbold Taldo, Reginpolt, Morbart, Bernhardus de Pozen. De Ministerialibus Frisingensis Ecclesie VValtmann & frater ejus Rudolfus de Paflperch, Engilvvan de Abedorf, Eberhardus de VVerd, Adelbertus, Gotfridus, Eberhardus & Rudiger & filius ejus Gebehardus Comites de Lengendorf, Adalbart, Marchvvart, Otto, VVeinher de Rota. De Curia Domini Tridentini Episcopi Bruno, Philippus, Heinricus de Verona, Romanus, Pertholdus Capellani Domini Tridentini Episcopi. D. Hartaund & Rachevvinus & VVirnt Capellani Frisingensis Episcopi.*

Sententia alia ejusdem Adelberti E. Trid. contra Neocellam An. 1166.

Cum D. Albertus *Dei Gratia Ecclesie Tridentine Episcopus ad componendam litem, que inter Fratres Neocellenses juxta Brixinam, & inter Abbatem de Rott vertebatur, terminum sex hebdomadarum posuit, ipse Abbas de Rott ad suscipiendum judicium in predicto termino de jure comparuit, Fratres vero Neocellenses nullo modo. Unde absoluto termino Episcopus qua Judex, accedente suorum consilio, Abbatem Rottensem in possessionem quietam eorum posuit bonorum, quorum spoliatus fuerat. Da-*

tum

tum in supradicta Civitate in Curia S. Udalrici Anno Incarn. 1166. *Indict.* 14. *Feria* 3. *Kal. Sept. Testes Henricus Judex D. Friderici invictissimi Imperatoris, Salomon Decanus Chori Tridentini, Dominicus Sacerdos, D. Conradus de Flauno, Magister Romanus, Comes Hermanus, D. Carbonius de Pac* (Pao) *Udalscalcus Feuber, Otto Luogb, Artvvicus de Bauzano, Rudbertus de Salurno, Spiano Torringer, D. Arbo de Clesse, Conradus de Rassule* (Tassule) *& alii plures.* Instrumentum confecit *Malvvarutus* (Malvvarnitus) *Notarius D. Friderici Imp.* =

Utrumque hujusce modi Documentum novissimis typis vulgavit Monachii Academia Scientiarum Electoralis Volum. 1. *Monum. Boic.* pag. 362. ac seqq., nobisque transcripsit, imo posterius latinum reddidit, Cl. Vir Philippus Nerius Puellius Canonicus Reg. Neocellensis, qui per ly *in supradicta Civitate* probabile existimat *Bozanum* subintelligi, *in qua Urbe constat a pluribus saeculis extitisse Curiam S. Udalrici, quae hodiernis adhuc diebus communiter SAND-ULRICHSHOFF dicitur, spectans ad celebre Benedictinum Coenobium ad S. Udalricum Augustae Vindelicorum.* Sed animadvertendum, quod *Feria* 3. in eodem Monumento signata minime cohaeret cum *Kal. Sept.* an. 1166. Puto legendum *Feria* 3. *tertio Kalendas Sept.*

Idem noster Episcopus *Adelpretus* duas in Valle Flemmarum consecravit Ecclesias, alteram *Sancti Valerii Episcopi, Clementis P. & M. atque Appolloniae V. & M. in Cadubrio, anno* 1162. *in festo Apostolorum Simonis & Judae*, alteram *Sancti Vigilii in Mojena, Dominica ante segum S. Michaelis an.* 1164 Jus Leudrensibus dixit. Leges tulit longe aequissimas pro Castris de *Belvedero*, de *Madrutio*, de *Stenico*, ac de *Egna*. Sibi devinxit nedum Tridentinos Canonicos, Monachos, & Consules, sed etiam Comites, ac praestantiores Vassallos reliquos, iis exceptis, qui bonis Ecclesiae suae inhiabant.

Pro vindicandis ejusdem Ecclesiae suae Juribus ac Bonis, quae S. Antonius Patavinus Serm. XCIX. vocat *patrimonium Sanguine Christi acquisitum*, & ex Sacris Canonibus S. Bonaventura *Apolog. Paup.* Resp. 4. cap. 1. *Bona Domino consecrata, & magis coelestia, quam humana*, invicto animo laboravit, atque adversa multa perpessus, tandem pro eadem Ecclesia Sponsa sua Martyr occubuit, lancea transfossus prope Roboretum ab *Aldrigito* de Castrobarco an. 1177. die 8. Martii.

MARTYR dicitur in Calendario Udalriciano, posteriori quidem manu, sed coaeva. VIRI BEATI elogio insignitur in Sacris Ecclesiae Tridentinae Diptychis. In Tabula quoque, sive Lamina, supra Urnam a pavimento elevatam posita, in qua Martyrium ab ipso pro Christo lubenti animo toleratum, anaglyptice repraesentatur, inscriptio supra ejus caput

caput instar coronae praefertur, aureis caracteribus: S. ADELPRETUS. Adhuc retro sacrum ejus sepulcrum adspectabilis est manus in pariete depicta, quae palmam gerit, significandi ejus Martyrii gratia. Olim quoque perantiqua ejusdem Imago, Mariano oculato teste, inter alias Sanctorum Tridentinae Ecclesiae visebatur; nunc autem cernitur in apside Ecclesiae Praepositurالis S. Margaretae. In Testamento *D. Odolrici* de *Arcu* an. 1210. memoratur *Ecclesia S. Adelpreti de Campagna Arci*, nec non in Indice Fridericiano *Adelpretus Episcopus & Martyr*. Tempore *Egnonis* Episcopi, videlicet an. 1258. tamquam Patronus coli ac invocari consueverat, ajente eodem *Egnone* his disertissimis verbis: GLORIOSORUM MARTIRUM VIGILII ET ADELPRETTI PATRONORUM NOSTRORUM. In antiquo Lapide prope Roboretum, ubi cruentam mortem oppetiit, legitur: LOCUS MARTYRII BEATI ADALPRETI EPISCOPI TRIDENTI. Ex vetusta Traditione Ecclesiae Tridentinae adeo insederat haec opinio *Beati Episcopi*, ac etiam *Martyris*, ut ad usque tempora *Joannis* de *Parma* Canonici, ac *Joannis Hinderbachii* Episcopi, perpetuo *Beatus* audiret, sive haberetur *pro Beato*; testatumque postea reliquerit Pincius, quod *inter Beatos numeratur, & colitur, quo nomine etiam vivens ob res pie ac fortiter pro religione gestas vocari meruerat*: tamque a nemine tunc dubitatum in Martyrum censum venire, quam ab omnibus creditum *gloriosissime pro Religione, pro Deo occubuisse*, nempe Guarinonio auctore, *pro defendenda Ecclesiae suae Immunitate*; pro qua velut bonus Pastor mortem subivit. Unde cecinit Poëta ipsi proximus:

Pastorem jugulavit Ovis; res mira per Orbem!

Audivimus *Pastorem*, neutiquam Belliducem, neque enim ullum belli vestigium deprehenditur in Lamina, quam supra commemoravimus, sed plane inermis effigies Martyris; effigies, inquam, adhuc Coelo propitio superstes, de qua merito dixerim verbis a Prudentio mutuatis:

Veram vetusti temporis monstrat fidem.

Neque ejus Martyrio officit, non defuisse, qui scriberet, ipsum causa belli interemptum, sicut minime obest Martyrio *S. Vigilii* nostri, fuisse, qui effutierit, eumdem occasione belli enecatum. Itaque contra novitios Scriptores, qui nostrum *Adelpretum*, sive *Albertum*, in bello mortuum sibi somniarunt, succurrit illud magni Baronii: *Quod a recentiore Auctore de rebus adeo antiquis, sine alicujus vetustioris auctoritate profertur, contemnitur*. Unde apage omnem *belli apparatum* (utpote de quo, Pincio teste, *nusquam traditum est*) a nostro Sancto Episcopo ac Martyre. Id quod adeo

ve-

verum, ut in Fastis Ecclesiae Tridentinae saltem ab anno uti constat 1617. colatur sub *Sancti Episcopi*, *& Martyris* titulis die 27 Martii. Hujusmodi Cultus, vel post excitatam circa ejus Sanctimoniam, ac Martyrium nostro aevo acerrimam controversiam, ita apud pios Christi Fideles nihil est imminutus, ut e contrario fuerit insigniter auctus; neque defuere viri docti, qui illum qua voce, qua scriptis, ac etiam typis egregie vindicarunt; adeo ut inter Canonicas Theses, quas Canonici Regulares insignis Praepositurae S. Michaëlis ad Athesim publice defendendas suscepere an. 1755. ac typis tradidere, vel ista recenseatur hisce concepta verbis: *Cultus D. Adalpreto Episcopo, & Martyri ab Ecclesia Tridentina praestitus, justus, ac religiosus est, utpote juridice immemorabilis, & in antiquissima Traditione fundatus &c.* De pluribus autem Miraculis per ejus apud Deum intercessionem obtentis, cum antiquis, tum novis, Hagiographis Scriptoribus scribendum relinquo.

Sed ut quae sunt reliqua persequamur, ab eodem accepimus optimae notae Codicem Liturgicum membraneum in 4. una cum Calendario, ac Diptycho. Porro Diptychum hujusmodi, quoad Episcoporum Seriem, simile est Udalriciano, atque eadem manu usque ad *Adelpretum* nostrum producitur. In Calendario rubris caracteribus notatum legitur: *XVIII. Kal. Decemb. Initium Quadragesimae.* In Ordine Missae post Orationem *ad Casulam* adtexuntur *ad Fanonem* tres Orationes. Loco *Orate Fratres*, inibi dicitur: *Orate pro me peccatore Fratres & Sorores*, atque praescribitur, ut omnes unanimiter respondeant: *Orent pro te omnes Sancti, & Electi Dei &c.* Dum accipitur Oblatio ab aliquo, dicitur: *Acceptum sit Omnipotenti Deo Sacrificium tuum.* In Canone ad *Communicantes &c.* post nomina *Cosmae & Damiani* e vestigio subduntur nomina *Vigilii*, *Sisinii*, *Martyrii*, *& Alexandri*. Etiam post *Pater noster &c.* ad *Libera nos &c.* nominato *Andrea*, continuo subjicitur: *& Beato Vigilio Martyre tuo atque Pontifice una cum omnibus Sanctis tuis &c.* Priusquam Sacerdos Corpus Domini accipiat, injungitur, ut vertat se ad populum dicens: *Habete vinculum Karitatis & pacis, ut apti sitis sacrosanctis Mysteriis &c.* Quando communicat alios mandatur, ut dicat: *Corpus Domini nostri Jesu Christi conservet corpus & animam tuam nunc & in vitam aeternam amen. Sanguis Domini nostri Jesu Christi prosit tibi in remissionem peccatorum.* Hujusmodi Codex Liturgicus Adelpretanus singulares continet Orationes, atque Rubricas, cum prima, tum secunda manu, nec non peculiaria Monumenta de Sancto nostro *Remedio*, praecipue Confratrum ejus nomina ad Altare recitanda; item plures in Festis per annum numero Prosas, sive Sequentias, incipiendo a *Galli Cantu*, ut brevitatis ergo a ceteris supersedeam. Id unum adjecerim circa

circa variantes Lectiones Evangeliorum eodem in Codice contentorum, exstare *ad Benedictionem Palmarum* hocce secundum Matthaeum Evangelium: „ In illo tempore. „ Cum appropinquarent Hierosoli„ mae & Bethaniae ad Montem „ Olivarum, mittit Ihesus duos ex „ Discipulis suis, & ait illis: Ite „ in Castellum, quod est contra „ vos, & statim introeuntes illuc, „ invenietis Pullum ligatum super „ quem nemo adhuc hominum se„ dit, solvite illum, & adducite. „ Et si quis vobis dixerit, quid „ facietis, dicitis (*sic*) quia Do„ mino necessarius est, & continuo „ illum dimittet huc. Et abeun„ tes invenerunt Pullum ligatum „ ante januam foris in bivio, & „ solvent (*sic*) eum. Et qui„ dam de illic stantibus dicebant „ illis: quid facitis solventes Pul„ lum? Qui dixerunt eis sicut prae„ ceperat illis Ihesus, & dimise„ runt eis. Et duxerunt Pullum „ ad Ihesum, & imponunt illi ve„ stimenta sua, & sedit super eum. „ Multi autem vestimenta sua stra„ verunt in via: alii autem fron„ descebant de arboribus, & ster„ nebant in via. Et qui praeibant, „ & qui sequebantur clamabant di„ centes: Osanna, benedictus qui „ venit in nomine Domini. Be„ nedictum quod venit regnum Pa„ tris nostri David. Osanna in „ excelsis. " Hactenus de praefato Codice Liturgico Adelpretano.

Inter Scriptores, qui ejusdem *Adelpreti* ceu *Beati*, ac *Sancti* meminere, ultra jam citatos, nempe Parmensem, Hinderbachium, Pincium, Guarinonium, ac Marianum, recensendi veniunt Ambrosius Francus, Innocentius de Prato, Laurentius Beyerlinckius, Philippus Ferrarius, Ferdinandus Ughellus, Aloysius Novarinus, Marcus Sitticus Wolckensteinius, Anonymus Tridentinus, Bollandiani, Episcopus Josephus Victorius de Albertis, Claudius Castellanus, Jacobus Schmidius, Vincentius Coronellus, Jo. Baptista Blancolinus &c.

Sub laudato Antistite claruere *Adelpretus*, sive *Albertus*, ac *Bertoldus Comites de Tirolo*, *Arnoldus Comes de Greiffenstein*, *Eberardus*, & *Arpo Comites de Flaono*, *Odolricus* & *Fridericus de Arcu*, *Gumpo* & *Bonainsigna de Madrutio*, *Arpo de Clesio*, *Bozo de Stinico*, *Joannes de Ala &c.*

LXXI. SALOMON.

Fuit primum, ut dixi, sub *S. Adelpreto* Decanus, postea in Episcopum electus an. 1177. ante Calendas Augusti, promovente *Vodalrico* Patriarcha Aquilejensi, cui erat oppido addictus, uti testatur luculentissima ejus Epistola ad eumdem Patriarcham videnda *Vol. 2. pag. 663. ac seq.* Adfuit Venetiis conciliatae paci famigeratissimae Sacerdotium inter & Imperium die primo Augusti eodem anno 1177. quo

quo etiam anno, mense ac die, sub nomine *Domini Salomonis Episcopi de Tridento* recensetur in Jurejurando *Friderici I.* Augusti de observandis in sexennium Induciis Societati Lombardorum, Marchiae, & Romaniae, apud *Antiquit. Ital. Medii Aevi* To. IV. col. 285. Subscripsit Lateranensi Concilio anno 1179., uti videre est nedum in Collectione Conciliorum Labbeana edit. Colet., sed & To. 1. Spicileg. Dacher. pag. 638. edit. Paris. 1723.

In quodam MS. memoriae proditum lego, *Ecclesiam S. Nicolai citra Athesim consecrasse;* sed certiora uberioraque habentur in Chronicis Neocellensibus apud jam laudatum Puellium, ubi dicitur: *An. 1180. 5. Maji Salomon Episcopus Tridentinus consecrat antiquam Ecclesiam Parochialem S. Nicolai Bulsani. 7. Maji consecrat Ecclesiam S. Johannis in Villa prope Bulsanum. 17. Septembris consecrat Ecclesiam S. Pauli in Rentsch. Eodem anno consecrat Ecclesiam ad S. Laurentium in Rentsch & Ecclesiam ad S. Martinum in Campill ambas juxta Bulsanum.* Constat quoque erexisse Hospitale Sanctae Crucis prope Tridentum.

Jura suae Ecclesiae diligenter perquisivit, uti testatur sequens Diploma ejus jussu scriptum ab *Heinrico de Brixia* sacri Palatii Notario, an. 1180. Indict. 13. die Martis primo intrante Januario publicatum *in Ecclesia S. Marie de Xoneburch, presentibus D. Alberto Decano Ecclesie Tridentine, & Magistro Romano & Arnoldo & Gualone Canonicis Tridentinis, Comite Henrico de Piano, Comite Ulrico de Ultimo &c.* Quandoquidem ipse *scire volens jura Ecclesie Trid. que habet in Monasterio de Xoneburg, interrogavit D. Bertam Abbatissam ejusdem Monasterii, & D. Lucardam Decanissam, & omnes alias Dominas & Monachas, que ibi presentes erant, & D. Folchemarium de Villa S. Martini, & Bertoldum de Xoneburg, & Pabo, & omnes alios Vasallos, & Ministeriales illius Monasterii, qui ibi erant presentes, ut debeant dicere jura Beati Vigilii per hobedientiam &c.* Id ipsum quoque constat ex Diplomate, quod ipsemet impetravit a *Friderico I.* Imperatore, quove curavit jus *de ponte, seu de navigio*, nec non *de moneta*, aliaque id genus jura, ab eodem Caesare sibimet adjudicari. Illud cum videri possit apud Ughellum a Cl. Viro Gentilotto jam vulgatum, heic libet sola nomina testium ex autographo exhibere. Fuerunt autem „ *Ruodulphus* Imperialis Aulae Prothonotarius, *Albertus* Tridentinae „ Ecclesiae Vicedominus, Magister „ *Romanus*, *Heinricus* Advocatus, „ *Henricus* Comes de *Eppan*, & „ *Ulricus* Nepos ejus, *Volricus* de „ *Arcu*, *Ribaldus* de Ganiago (ego „ malim legere *de Cagnao*, de quo „ mox infra) *Ruodegerus* & *Arnoldus* de *Livo*, *Thuringus* de *Eppan*, *Katelogus* de *VVinecke*, *Ruodulphus* Imperialis Camerarius, „ *Engelbardus* de *VVinispere*, & alii „ plures. “ Habet signum *Friderici*

ci Imperatoris, fuitque recognitum a *Gotefrido* Imperialis Aulae Cancellario vice *Christiani* Mogunt. Sedis Archiepiscopi, & Germaniae Archicancellarii. Praefert Actum An. Domini MCLXXXII. regnante Domino Frid. Rom. Imp. An. Regni ejus XXX. Imperii vero XXVIII. Datum autem Wimphinae Indict. XV. V. Id. Febr.

Decessit noster *Salomon* proxime sequenti anno 1183. die 30. Decembris: quo quidem anno sequens ab ipso manavit Diploma circa *Castrum de Metz* hisce conceptis verbis:

„ In nomine Domini. Die Mercurii, qui fuit nonus exeunte Junio. In presentia Domini Alberti Vicedomini. Martini Archidiaconi. Magistri Romani. Odolrici de Arcu. Warimberti de Cagnò. Arponis filii Domine Cristine. Vitalis de Cleis. Bozi de Stenego. Trentini de Rambaldo. Rodegerii de Metz & Uguzonis, investivit ad Feudum *Dominus Salomon Venerabilis Episcopus Tridentinus* Arnoldum & Anselmum germanos filios q. Domini *Adelpreti* de *Livo*, de duobus Casalibus, ut eorum quilibet unum habeat in *Corona de Metz*; tali videlicet modo, ut habere & tenere debeant ipsi qui supra Germani, & eorum Heredes masculini sexus, ab ipsis per descendentium lineam descendentes tantum, suprascripta Casalia pro custodia & vwardia ejusdem Castri, scilicet *Corone de Metz*, ad rectum Feudum in perpetuum: & suprascripti Germani per Investituram unam omne eorum Feudum & Allodium in manum predicti Domini Episcopi obligando refutaverunt, si prescripta Casalia, ipsis ut supra legitur in integrum infeudata, venderent vel infeudarent, seu per animam judicarent, vel aliquo alio quolibet modo ipsi aut eorum heredes alienarent, & si eadem *Corona de Metz* prefato Domino Episcopo suisque in Episcopali dignitate successoribus tam in verra quam in pace semper & in omni tempore aperta non esset, sive eorum faude dolove vel per ipsorum malam custodiam eadem *Corona de Metz* amitteretur. Prescriptus vero Dominus Episcopus spopondit prenominatis Arnoldo, Anselmo (dicitur quoque *Henselmus*) & Rodegerio germanis, quod in suprascripta *Corona de Metz*, nisi eorum conscilio, Castellanum aliquem non ponet, & quod non ponet in Domo, que est Episcopi, Gastaldionem, nec aliquem alium pro custodia ejusdem Corone, qui appareat ipsis vim fecere posse. Et ut nec predicto Domino Episcopo aut suis successoribus contra hec suprascripta agere liceat, predictus Dominus Episcopus sub pena centum Marcarum Argenti obligando investivit prenominatos tres Germanos de *Curia de Magredo*, ut eorum rectum Feudum esset, usque dum ipsis Germanis ab eo Episco-

„ po

„ po qui suprascripta infringeret argenti centum Marce persolverentur.
„ Et quicumque Gastaldio, vel aliquis alius, quem Episcopus super eandem Coronam in Domo sua ponet pro custodia, eandem securitatem, „ quam ipsi Germani pro Corona custodienda faciunt, & ipse versus „ ipsos Germanos facere teneatur obnoxius, quia sic inter eos convenit. Actum in Tridento supra *Domum Canonicorum* An. Dom. Nat. „ 1183. die prescripta, Indict. prima. L. S. Ego *Albertus* Notarius Domini Frid. Imp. invictissimi interfui, & prefati Domini Episcopi jussu, „ & suprascriptorum Germanorum rogatu, hoc Recordationis Breve „ scripsi. " Numquid tunc Tridentini Canonici in eadem degebant Domo, quum in recitato hactenus Documento memoretur *Domus Canonicorum?* Illustres quoque sub eodem *Salomone* fuere *Engelberch Praepositus S. Michaëlis*, *Heinricus Praepositus Ovvensis*, sive *Augiensis*, *Conradus de Caldonatio*, qui ab eo *Castrum Sylvae* apud Levicum in Feudum recepit, *Nicolaus Comes de Piano* &c.

LXXII. ALBERTUS I.

Ex illustri *Madrutiorum* Familia fuisse videtur. Electus an. 1184. saltem mense Martio, posteaquam fuisset Vicedominus, necnon Tridentini Chori Decanus: quo ipsomet anno Laudum Imperiale obtinuit circa novam erectionem Castrorum. Ex pluribus ejus Diplomatibus hoc instar aliorum sit:

„ In nomine Domini. Die Martis que fuit nona exeunte Mense „ Julii. in presentia Henrici Comitis de Piano. Ezlini de Percine. „ Odolrici de Arcu. Warimberti & Ribaldi de Cagnao. Arnoldi de „ Livo. Warimberti de Arso. Amelrici de Costa & Riprandini de „ Perzine. Manfredini de Setouro. Henrigiti de Clauz. Oluradini „ & Bertoldi de Correde. Walterii de Spur. Gotsalci de Valvestain. „ Conradi de Zovo. Comitis Egionis. Magistri Romani. D. Turconis. D. Widonis Capellani. Barifelli Notarii, & aliorum. Investivit Dominus Venerabilis *Albertus Tridentine Sedis illustris Episcopus Comitem Odolricum & Comitem Arnoldum germanos ff. q. Comitis Federici de Piano* ambos ad rectum Feodum *de Castro Valvenstaini*, & *Comitem Odolricum tantum de Castro de Arse*, ad rectum Feodum, ipsis „ & eorum Heredibus in perpetuum, ita tamen ut predicta Castra omni tempore prenominato Episcopo, suisque in Episcopali Dignitate „ Successoribus, in omnibus eorum negotiis aperta esse debeant contra „ omnes Homines & omnem Hominem viventem, se ipsis exceptis, & „ negotio finito debeant ipsi Comites suprascriptorum Castrorum Dominium

„ minium & Castra habere cum omni honore, sicut habebant priusquam
„ negotium fuisset, quia negotio imminente, Episcopus predicta Castra
„ & eorum Dominium habere debet, si tamen exegerit & sibi placue-
„ rit. Et ut hec omnia predicti Comites, que superius leguntur, in
„ integrum firma conservarent in perpetuum, quingentas libras preme-
„ morato Domino Episcopo aut suis Successoribus se dare obligaverunt,
„ si ut supra legitur, in integrum non conservarent aut rata non ha-
„ berent. Quod si habitatores predictorum Castrorum hoc idem ad-
„ tendere renuerent, vel non adtenderent, sub eadem obligatione, vi-
„ delicet quingentarum librarum, promiserunt cum stipulatione predicti
„ Comites bona fide juvare Episcopum, quatinus ei a suprascriptis ha-
„ bitatoribus Castrorum eadem pena solvatur, & ut sibi Castra aperian-
„ tur. Quod si Comites ipsi in suprascriptis fraudem habere invenian-
„ tur: tunc ipsi penam persolvere debent; & pena soluta, idem pactum
„ in sua stabilitate perduret stipulatione subnixa. Et si prenominatis Co-
„ mitibus de predictis Castris ab aliquo lis aut controversia fieret, aut
„ placitum appareret, Episcopus eo casu Comites racionabiliter debet ju-
„ vare, manutenere. Et si ipsi Comites de eisdem Castris, aut de uno
„ Castrorum, seu pro aliqua parte eorum, in litem caderent, non debet
„ Episcopus eis illud restaurare. Si vero eis exinde fieret aliqua vis,
„ Episcopus eos juvare debet. Item investivit prefatus Dominus Episco-
„ pus suprascriptos germanos Comites ad rectum Feodum *de medietate*
„ *Comitatus Piani*, cujus Comitatus terciam tantum partem eos habere de-
„ bere dicebat. Sed ne hoc amplius vergeret in litem, tunc ad presens
„ de medietate ejusdem Comitatus Piani, videlicet ad rectum Feodum eis
„ & eorum heredibus habendam investivit, cum eo scilicet jure & ho-
„ nore sicut hactenus conduxerant. Investivit etiam eosdem suprascriptos
„ germanos Comites ad rectum Feodum ipsis & eorum heredibus in
„ perpetuum habendum nominative *de Herbatico de Egna*, suorum videli-
„ cet Hominum *de Flemme*, quos antiquitus habebant & noviter acqui-
„ sierant, & quod ea scilicet suprascripta die habebant. Si vero *Cam-*
„ *bium de Fleme* quolibet modo rescinderetur, ***Herbaticum Hominum illius***
„ *Cambii* amodo habere non debent. Ibique presentibus & coram po-
„ sitis prenominatis omnibus, prememorati Comites resignaverunt in ma-
„ num jamdicti Domini Episcopi & reffutacionem fecerunt nominative *de*
„ *Castro Gruansperg* sine tenore ad destruendum, aut eis ipsis redden-
„ dum, sicut ei placuerit faciendum, eique aperiendum ad terminum
„ quem eis dederit. Quod si habitatores ipsius Castri illud ad terminum
„ qui eis dabitur, reddere & aperire nollent, suprascripti Comites per
„ eorum manum & fidem promiserunt in manum prefati Domini Epi-
„ scopi

„ scopi ipsum sine fraude juvare quousque idem Castrum sibi reddatur.
„ In eodem loco prememoratis omnibus presentibus jamdicti germani Comites de illis mille & centum libris quas Episcopus eis dare debebat, pro quibus *Curia de Romeno* eis obligata fuerat, pro suprascriptis omnibus quingentas sibi cum omni proficuo quod eis pro ipsis debebatur, solutas esse confessi sunt & contenti fuerunt; sed tamen inde pignus, scilicet *Curia de Romeno*, sine aliqua vi habere debent, quousque alie sexcente libre sibi solvantur; eo tamen salvo quod de suprascriptarum mille librarum proficuo tantum minus esse debet, quantum suprascriptas quingentas libras ut supra legitur solutas in suam sortem recipiunt, quia sic inter eos convenit. Actum ad *Navem Ramberti* in ea parte que est Tridentum versus, An. Dom. Nativ. Millesimo Centesimo Octuagesimo quinto. Indictione tertia.

„ (L. S.) Ego *Albertus* D. Fed. Imp. invictiss. Not. interfui, & jussu prefati Domini Episcopi, suprascriptorumque Comitum rogatu suprascripta omnia in hanc publicam formam redegi. “

Eodem anno 1185. quosdam Ministeriales cum *Henrico* Brixinensi Episcopo permutavit. Anno autem 1186. nonis Aprilis refertur apud Ambrosium Francum *Histor. Famil. Arcen.* pag. 17. consecrasse Sacram Aedem Recessus S. Pauli infra *Cenigam*. An. 1187. rite judicavit inter *Joannem* Abbatem de Piburg, & *Perettam* Abbatissam de Sunneburg; quo etiam anno ad praesentiam *D. Conradi de Bisino Decani & Vicedomini de Tridento*, pluriumque aliorum, dedit Investituram *Castri del Busco* cuidam *Petro f. q. Riprandi de Civezano*. An. 1188. die 6. Decembris in Laudo coram *Friderico* Imp. celebrato vocari meruit *beatae memoriae Albertus*. Ac sane eo ipso anno ad ultimam properans vitae lineam, vitam ipsam reliquit die 20. Septembris. Tametsi enim ad finem cujusdam Locationis, quae praefert *Actum in Canonica S. Mariae de Arco die Martis primo intrante Novembri An. Dom. M. C. Octuagesimo VIII. Indict. VI.*, legere sit: *Ego Riprandus Notarius Domini Alberti Tridentini Episcopi rogatus interfui, & hanc Chartam Locationis scripsi*, haud inde consequens est, quod adhuc in vivis tunc esset noster *Albertus*, cum circa ea tempora consuevissent Notarii se se subscribere etiam Notarios eorum, qui jam obierant, absque ullo eorum obitus indicio per *quondam*, aut *bonae memoriae*. Profecto in Tabulis Tridentinis *Erceteus* interfuit Chartae de anno 1204. cui se subscripsit *Notarium Friderici Romanorum Imperatoris*, qui jam Tarsi in Cilicia supremum diem clauserat anno 1190. Nostro *Alberto* in acceptis ferenda, non quidem constructio, sed instauratio, & auctio Castri Stenici. Statuit numerum talentorum,

torum, quae sibi quot annis solvere tenebantur *Argentarii*, qui *Silbrarii* appellari solebant, ad id praesente *D. Conrado Vicedomino*, nec non *Gerardo Judice & Assessore &c.* Pretio centum & octuaginta librarum denariorum Veronensium, quas ab ipso accepisse confessus fuit *Oluradinus de Vico Coredi*, liberavit Episcopatum a petitionibus *Palmerae* uxoris ejusdem *Oluradini*, pro tota hereditate *Fedricini de Pradalla*, sive *Pratalia*, *quondam Mariti sui*, ratione *suae dotis*. Investivit praeterea *DD. Federicum & Odoricum ff. q. D. Alberti de Arco per Birettam de omnibus suis Feudis, quae tenebant ipsi ab Episcopatu Tridenti, honorifice, nobiliter, & libere*, adeo ut eos sibi fidelitatem jurantes *fuerit osculatus*. Heic autem notatu dignum, quod memoratus *Federicus de Arco*, uti habetur in Charta *Cod. VVang.* 108. *dixit, & vvarentavit in Jure, quod Castrum Arci, & Castellancia erat, & est Allodium Vicinitatis, & Communitatis de Plebe Arci; set dixit districtum & honorem esse suum, quod fuit de Patre suo, & de Avo, & de Antecessoribus suis*. Alia plura praeclare gessit noster Antistes *Albertus*, quae haud vacat commemorare. Inter alios Nobiles itidem floruere sub ipso, *Conradus de Tono*, *Conradus & Hermannus de Furmiano*, *Calapinus de Ludruno &c.*

LXXIII. CONRADUS II.

Ex nobili Familia Dominorum de *Beseno*, qui a F. Blasio Tridentino, de quo in Catalogo Suffraganeorum dicemus, appellatur *Vir literatus in scientia & moribus*. Primum Canonicus, postea Vicedominus, ac Decanus, demum electus Tridentinus Episcopus post diem 6. mensis Decembris an. 1188. De manu *Friderici I.* Imp. Regalia recepit an. 1189. Quapropter in Charta Investiturae *de VVardia & Custodia Castri de Liectbenstaine*, quae praefert *Actum Bauzani in Domo Domini Episcopi An. Dom. Nat.* 1189. *Indict. 7. die Martis* 13. *exeunte Mense Aprilis* (cui quidem Investiturae interfuere, inter ceteros plures, *Rodegerus Plebanus de Marniga, Zuco & Hegino de Furmiano*) nedum vocatur *Dominus Conradus in Trid. Sede Electus*, sed etiam e vestigio subnectitur, *qui de manu Domini Federici Imp. jam Regalia susceperat*. An. 1191. ab *Henrico VI. Imp.* obtinuit Diploma de Turribus non aedificandis in Civitate, ac universo Ducatu Tridentino, ac de Conjurationibus & Societatibus absque facultate Episcopi non permittendis, quod descriptum ex Wangiano Codice Charta 281. ita loquitur:

„ In nomine Sancte & Individue Trinitatis. *Heinricus VI.* Divi-
„ na favente Clementia Romanorum Imperator & semper Augustus.
„ Et regalis benignitas & sancte favor Matris Ecclesie, personis, rebus
„ ecclesiasticis atque paci communiter omnium, sollicita nos invitat confide-

,, fideratione providere. Noverit itaque omnium Imperii Fidelium tam ,, presens etas quam futura posteritas, quod Nos Divini respectu amo- ,, ris, & Tridentine Ecclesie atque Dilecti Nobis *Cunradi* ejusdem Ec- ,, clesie Presulis inducti favore, benigna & Regali constituimus Magni- ,, ficentia, ut in Civitate Tridentina, & in toto Ducatu Tridentino nulli ,, prorsus hominum liceat Turrim aliquam edificare vel erigere sub qua- ,, cumque specie vel nomine sine licentia jamdicti Episcopi *Cunradi* & ,, Successorum suorum. Quod si quis jam in Civitate Tridentina vel ,, extra Civitatem in Ducatu ubicumque Tridentino aliquam Turrim ,, edificavit vel erexit vel in posterum edificaverit, liceat memorato Epi- ,, scopo & cuilibet ejus Successorum, Turrim eandem frangere vel pro ,, arbitrio sue considerationis eam dimittere. Eodem modo de Conju- ,, rationibus, & Societatibus statuimus, ut nec in Civitate Tridentina ,, nec usquam in Ducatu Tridentino liceat alicui vel aliquibus Conjura- ,, tiones vel Societates facere sine supradicti Episcopi vel alicujus Suc- ,, cessoris licentia: & si facte sunt vel in posterum facte fuerint in lo- ,, cis predictis alique Conjurationes vel Societates, auctoritatem & po- ,, testatem habeat sepe dictus Episcopus *Cunradus* & quilibet Successor ,, ipsius eas dissolvere. In quo Tridentine Ecclesie & ipsius Episcopo ,, abundantius cautum esse volentes super premissa Munificentie nostre ,, indulgentia, presentem paginam jussimus conscribi & Magnitudinis no- ,, stre Sigillo communiri. Precipientes & Regali sancientes Edicto, ut ,, nulla omnino persona humilis vel alta, Secularis vel Ecclesiastica, ,, contra hanc nostre Celsitudinis Constitutionem audeat venire, vel eam ,, ausu temerario aliquatenus infringere. Quod qui facere presum- ,, pserit, in penam sue temeritatis centum libras auri componet, medie- ,, tate Fisco nostro inferenda, alia vero medietate Episcopo Tridentino ,, persolvenda. Hujus rei testes sunt *Milo Mediolanensis Archiepiscopus*, ,, *Wilhelmus Astensis Episcopus*, *Albertus Vercellensis Episcopus*, *Lyenor*. ,, *Regina Anglie*, *Elizabeth Regina Variet*; *Bonifacius Marchio Montis Fer-* ,, *rati*, *Heinricus Comes de Tyano*, *Comes Adolfus de Scomb*. . . & alii ,, quam plures.

,, Signum Domini *Heinrici VI.* Romanorum Regis invictissimi. (✠)

,, Ego *Dicberius* Imperialis Aule Cancellarius recognovi vice Do- ,, mini *Philippi* Archiepiscopi (*Coloniensis*) & totius Ytalie (*Archican-* ,, *cellarii*) Acta sunt hec Anno Domini M.C.XCI. Indict. IX. Regnan- ,, te Domino *Heinrico VI.* Rom. Rege invict. Anno Regni ejus XXI. ,, Dat. Laude XIII. Kal. Febr. per manum *Magistri Heinrici* Imperialis ,, Aule Prothonotarii. "

Eo-

Eodem Tridentinam Sedem implente initium habuere a DD. Arcensibus duo Hospitalia in eorumdem Territorio, alterum *S. Thomae Cantuariensis*, alterum *S. Adelpreti*. Celebre quoque sub ipso fuit Monasterium *S. Mariae de Senali* in Anaunia, nec non *Hospitale S. Hilarii de Stropparollo* in Valle Lagarina.

De hoc quamvis videri possit fragmentum, quod dedimus *Vol. 2. pag. 70.*, heic nihilo tamen secius integrum Monumentum producere nec supervacaneum, neque ingratum putamus.

„ An. Domin. Nat. Mill. Cent. nonagesimo septimo Indict. XIV. „ die Jovis primo intrante Mayo. *In Stroparolo*. In presentia *D. Conra-* „ *di Capellani*, *Porcardi Canonici*, *D. Gotefredi Archipresbiteri de Brento-* „ *nico*, *D. Pelegrini de Beseno*, *Tysonis de Bonisolo*, *Briani de Castrobar-* „ *cho*, *Odelrici de Archu*, *Pessati*, *Pasii ejus filii*, *Albertini & Zucolini* „ *de Paudo Fratrum*, *Adelpreti de Morip*, *Adelperonis*, *Albertini ac Ja-* „ *cobini Fratrum de Castelnovo*, *Peramusii*, *VVeconis ac Adelporini Fra-* „ *trum*, & aliorum. Ibique *Dominus Conradus Dei gratia Tridentine Ec-* „ *clesie Episcopus* considerando *Ecclesiam Sancti Ylarii de Stropparollo* ad „ honorem Dei, & B. V. Marie, & Sancti Ylarii & aliorum Sancto- „ rum, statuit Loco & Hospitali benefacientibus, & ad Consecrationem „ venientibus, octo diebus ante & octo post, euntibus & redeuntibus „ per Episcopatum suum firmam trevvam in rebus & personis, omnes „ qui predictos offenderint ad Consecrationem venientes vel inde rede- „ untes excommunicationi supponens: & hoc stabilitum & firmum an- „ nuatim esse voluit; decernens etiam ibidem tribus diebus ante diem „ Consecrationis annuale forum esse, & omnes accedentes securos esse „ per totam Jurisdictionem suam eundo & redeundo, preterquam ban- „ nitos & latrones & falsarios & alios malefactores. Statuit etiam ut „ Gastaldus de *Pradalla* vel alius Nuncius, quem ad hoc idem Domi- „ nus Episcopus statuere vellet, manutenere debeat & distrigare fo- „ rum, & facere rationem hominibus qui super querimoniam vellent „ deponere de facto mercati, & aliis offensionibus ibi factis, & ut de- „ beat accipere stacionatus rationem nomine & vice Domini Episcopi: „ & cujuscumque servus vel liber vel de masnata ad forum istud ac- „ cesserit, per Gastaldum Episcopi racionem facere debet, vel per alium „ suum Nuncium. Et quia sic ibidem statutum fuit consentientibus fe- „ re omnibus Militibus de Valle Lagarina, & de Morio, & Beseno, „ & Milnibus de Tridento, qui ibidem aderant. Veniam quoque dicto „ loco benefacientibus, & ad predictam Consecrationem ut dictum „ est accedentibus, vere penitentibus de Criminalibus XX. dies, & de

„ ve-

„ venialibus quartam partem relaxans annuatim fecit & remisit, ex „ parte Dei omnipotentis, & B. M. perpetue Virginis, & SS. Apo- „ stolorum Petri & Pauli, & Beati Vigilii Patroni nostri, & Sancti „ Ylarii. Penitentialibus, & qui *carenam* mediam jejunaverit, & ad Sa- „ cerdotem dicte Ecclesie & Hospitalis ea die sicut dictum est accesse- „ rit, eidem Sacerdoti, qui ea die celebraverit Divina, licitum sit ejus- „ dem Domini Episcopi auctoritate *calceos* dare. Voluit eciam dictus „ Dns Episcopus & stabilivit ad honorem Dei, ac (*utilitatem*) Leprosorum ac „ Pauperum ibidem degencium, eandem Ecclesiam & Hospitale cum om- „ nibus Domibus ibidem Hospitali servientibus, & ad sustentamentum „ Hospitalis factis vel fiendis, liberam esse & exemptam ab omni ju- „ risdictione alicujus Plebis de Valle Lagarina, & ut nulli teneatur sub- „ dita vel obnoxia nisi soli Episcopo, ad cujus memoriam annuatim „ idem Hospitale & ibidem servientes solvere debeant Domino Episco- „ po nomine Episcopatus libram unam incensi. Statuit eciam idem Do- „ minus Episcopus, ut eidem Ecclesie & Hospitali servientes communi- „ tatem habeant in capulis & pascuis in tribus Plebibus circumjacen- „ tibus, sicut quilibet Convicinorum alicujus illarum Plebium, videli- „ cet Plebis de *Lagaro*, Plebis de *Avolano*, & Plebis de *Lizana*; & hoc „ debet esse ex ea parte Athesis in qua Hospitale constitutum est. Et „ hoc consencientibus Militibus & Popularibus ibidem presentibus de „ Valle Lagarina, & de Beseno, & Morio. Nec eciam Decimam de- „ bent dare ibidem degentes de nutrimentis animalium seu de quibusli- „ bet laboribus ab illis per manus eorum factis.

„ L. S. Ego *Bertramus* Domini Imp. Henr. Notarius rogatus in- „ terfui, & hoc ex jussu & auctoritate prememorati Domini Episcopi „ scripsi &c. "

Ex quo quidem Documento in proclivi est inferre, praedictum locum minime spectasse ad Ordinem Militarem Templariorum, sed ad excipiendos leprosos, ac pauperes; tuncque viguisse disciplinam imponendi poenitentibus *Carenam*, sive jejunium rigorosissimum XL. dierum in pane & aqua, nec non incedendi absque *calceis*.

Accedit & aliud ejusdem Episcopi Monumentum eodem anno conscriptum circa Hospitale *S. Martini Tridenti*, ita sonans:

„ In Christi nomine. Anno a Nat. ejusdem 1197. die Veneris „ 10. exeunte Novembri Indict. 15. in *Choro S. Vigilii Martiris*, in „ presentia *Ebelini Diaconi*. *Trentini Subdiaconi*. *Martini Clerici Plebis* „ *Arcus*. *VVarimberti de S. Michaele*. *Sucolini de Tassullo*. *Friderici*

„ *Bagate Geti*, & aliorum plurium rogatorum testium. Ibique *D. Turco* „ *supradicti Chori Decanus* ex communi consensu & conscilio aliorum „ Canonicorum dixit, quod volebat cedere ab infestacione & causacio- „ ne, quam faciebant Domino *Conrado Episcopo de Ecclesia S. Martini*, „ de Heremitorio, quem *VVidetus* (in Charta an. 1191. appellatus „ *VVidotus*) fundaverat, & quem ipsi dicebant ad eos jure Feudi per- „ tinere. Et dixit *D. Turco*, quod volebat credere illi Instrumento, „ quod viderant, manu *VVidonis Bracii* Notarii facto, & id quod in „ ipso Instrumento continebatur, totum Domini Canonici firmum & „ ratum habere & tenere volebant. Et ibidem *D. Turco* rogavit Do- „ minum Episcopum, ut non daret eidem Ecclesie jus Plebis, & Do- „ minus Episcopus respondit & dixit, quod nullum jus Plebis ei dare „ volebat, nec aliquam sepulturam, nec illorum qui moriuntur in Hos- „ pitali & in Domibus fundatis in fundo ejusdem Ecclesie. Quod omnes „ concesserunt & laudaverunt. Et huic concessioni & laudationi hii „ Canonici intererant: videlicet *D. Adelpretus de Porta*, *Otto Presbi-* „ *ter de Tao*, *Conradus Capellanus*, *Martinus Canonicus Niger*, *Gisloldus*, „ *Otto Carasius*, *Perro*, *Federicus Pantarana*, *Purcardus*, *Federicus de Fo-* „ *landro*, & alii.

„ (L. S.) Ego *Graciadei* Not. sacri Palatii interfui, & ut supra „ legitur rogatus scripsi & complevi. "

Memoranda heic etiam famigerata ejusdem compositio cum *Conrado* Episcopo Brixinensi *in Causa Thelonei*, de qua loquitur hocce Instrumentum:

„ Anno a Nativ. D. N. J. X. 1202. Ind. 5. die 4. intrante Marcio „ in *Lingenstain* in Ecclesia *S. Otilie*. in presentia bonorum hominum „ quorum nomina seguntur inferius. Breve recordationis pro futuris „ temporibus ad memoriam retinendam, ut omni tempore obtineat sta- „ bilitatem, quomodo & qualiter diffinitum & constitutum est de Causa „ Thelonei, quod theutonice dicitur *Zol*, que vertitur vel verti videtur „ inter *Ven. Dominum Conradum Dei gratia Trident. Ecclesie Episcopum* ab- „ sentem, & Bolzanenses in Plebatu Bauzani conmorantes ex una parte; & „ *Dominum Conradum Dei gratia Prixinen. Ecclesie Episcopum* absentem, & „ Prixinenses ex alia. Primo quidem *D. Arnoldus de Radenc*, & *Artuicbus* „ *de Castelruto*, & *D. Ekardus Garius*, & *D. Purcardus de Seben*, & *D. Mer-* „ *botus de Brixina*, & *D. Adelpretus Sui*, & *D. Adelpretus Utar*, & *D. Otto* „ *Gurmanus*, & *Prepositus Gratus de Oupboven*, & *Valtemanus de Clusa*, confessi „ fuerunt ac contenti steterunt se esse certos Nuncios constitutos, ac eis fore „ commissum a suprascripto *Dño Conrado Dei gratia Prixinen. Eccl. Episcopo* ad „ predictam Causam Thelonei audiendam & dirimendam, ac ex sua aucthori- „ tate cum suprascripto *Dño Conrado Dei gratia Trid. Eccl. Episcopo*, vel cum

ejus

„ ejus Nunciis, & cum Bauzanensibus diffiniendam, & totum illud quod ipsi
„ fecerint & constituerint idem *Dñs Conradus Dei gratia Trixin. Eccl. Episcopus* firmum & ratum per se & ejus successores in Episcopali dignitate
„ venientes habere & tenere promiserat secundum eorum confessionem. E
„ contra *D. Otto de VVinec*, *D. Zuco & D. Turingus de Formiano*, *& Federicus de VVinkel*, *& Arnoldus Dñe Minne*, *& D. Adelpretus ejus privignus*,
„ *& Henricus Stokolinus*, *& D. Bauzanus*, *& D. Guntherus*, *& Henricus Mukelinus*, confessi fuerunt & contenti steterunt, quod ipsi erant certi Nuncii constituti ac eis fore commissum a suprascripto *Ven. D. Conrado Dei gratia Trid. Eccl. Episcopo* ad suprascriptam Causam suprascripti Thelonei audiendam & dirimendam & ejus aucthoritate cum Prixinensi Episcopo, &
„ Prixinensibus diffiniendam, & totum illud quod ipsi fecerint & constituerint de
„ suprascripto Theloneo idem *D. Conradus Trid. Episc.* firmum & ratum per
„ se & ejus successores habere & tenere promiserat, ut ipsi confitebantur.
„ Sed tandem visis & auditis rationibus ab utrisque partibus, secundum
„ quod suprascripti omnes ut superius legitur nominatim de suprascripta causa
„ juraverant dicere veritatem, & per sacramenta que fecerant confessi erant
„ ipsi, quod suprascripti omnes ut superius legitur nominati erant certi Nuncii
„ a suprascriptis Dñis Episcopis constituti, & ex eorum aucthoritate & commissione ut confitebantur, talem concorditer fecerunt Constitutionem de
„ suprascripto Theloneo, ac per infrascriptum modum hanc causam Thelonei suprascripti diffinierunt, ut omni tempore hec Constitutio incorrupta
„ conservetur que talis est: videlicet, quod ullus homo in Prixin. Episcopatu
„ ab hac parte *VVibtevvald* & *Isvvald* habitans de Ministerialibus vel de Liberis sive de Servis tantum *Case Dei S. Ingenuini* & Episcopatui Prixin.
„ pertinentibus, vel ab Episcopatu tenentibus, cujuscumque manieriei sint,
„ ab hac die antea non debeat solvere nec dare aliquod Theloneum, quod
„ theutonice dicitur *Zol*, Episcopo Trid. ad partes Bauzani, nec in aliquo
„ loco a Ponte *Avisi* superius versus Prixinam: nec exenium aliquod de
„ aliquibus eorum rebus vel de aliquo eorum foro, quod ex hac parte jam
„ dictorum confinium versus Prixinam vendiderit, ut pro suo Sacramento tenere poterit, nulla societate aliorum extraneorum hominum vel negociatorum extra prefixos confines commorancium sub titulo non dandi theloneum eis adjuncta. Et si extra predictos confines constitutus vendiderit,
„ ille qui hoc fecerit solvat ad partes Bauzani Trid. Episcopo thelonei nomine pro qualibet sauma vel honeratura sui fori Augustensem unum. Alii
„ vero homines extra predictos confines in Episcopatu Prixinensi commorantes & Episcopatui pertinentes vel ab Episcopatu tenentes similiter nullum solvant theloneum ad partes Bauzani, nec a suprascripto Ponte *Avisi*
„ superius versus Prixinam de aliquibus eorum rebus, nisi extra Episcopa-

„ tum Prixinensem causa vendendi deportaverint: & ille qui hoc fecerit „ predictum theloneum solvat ut superius legitur constitutum. Alii vero „ Domini extra Prixinensem Episcopatum habitantes & in Episcopatu Pri- „ xinensi predia & bona habentes solvant theloneum nulla Constitutione „ super eos facta. A simili vero si aliquis Bauxanensis homo in Plebatu con- „ morans aliquod forum victualibus pertinentium, sive cujuscumque sit ma- „ nieriei, in Episcopatu Prixinensi ex hac parte suprascriptorum cosinium „ ut superius legitur consignatorum, & specialiter a Prixinensibus infra „ statutos confines conmorantibus contraxerit, nullum theloneum de illo „ Prixinensi Episcopo exhibere teneatur. Sed si ab extraneis negociatori- „ bus extra Prixinensem Episcopatum conmorantibus & infra sepedictos con- „ fines aliquod forum contraxerit, ille qui hoc fecerit Prixinensi Episcopo „ quatuor Augustenses pro qualibet honeratura sui fori tantum ad *Clu- „ sam de Seben* thelonei nomine solvat. De omni vero foro per aliquem „ Bauzanensem extra Prixinensem Episcopatum empto & per Episcopatum „ Prixinensem versus Bauzanum conducto, de qualibet honeratura illius „ fori de rebus inmobilibus, quatuor Augustenses Prixinensi Episcopo tan- „ tum ad *Clusam de Seben* solvat Mutam. Si autem aliquis Bauzanensis homo „ aliquod forum in Episcopatu Prixinensi ex hac parte suprascriptorum „ confinium versus Prixinam causa vendendi conduxerit, & specialiter Pri- „ xinensibus hominibus in Episcopatu Prixinensi conmorantibus vendide- „ rii, nullum theloneum solvere debeat Prixinensi Episcopo. Sin autem „ extraneis hominibus vel negociatoribus extra Prixinensem Episcopatum „ conmorantibus vendiderit, vel extra statutos confines causa vendendi con- „ duxerit, ille qui hoc fecerit solvat theloneum Prixinensi Episcopo tantum „ ad *Clusam de Seben* de qualibet sauma vini unum Augustensem, de quali- „ bet sauma picis vel olei vel mellis duos Augustenses, & de unaquaque „ alia honeratura unum Augustensem. In nullo alio loco per Episcopatum „ Prixinensem Bauzanensibus theloneo imposito, nisi ad *Clusam de Seben* ut „ superius legitur constitutum. In Mercatis vero annualibus *Bauzani* & in „ Episcopatu Prixinensi constitutis, Bauzanenses & Prixinenses in Episcopa- „ tu Prixinensi conmorantes equali racione utantur. Testes hujus rei inter- „ fuerunt *D. Dietricbus de Villa S. Martini*, *&* *D. Tagenus de Volanders*, *&* „ *VVilielmus juvenis*, *&* *D. Arnoldus VVeneg de Rodenc*, *&* *Bertoltus Olusua- „ rius*, *&* *D. Ieprandus de Rodenc*, *&* *D. Rembretus filius D. Turcardi de Se- „ ben*, *&* *D. Gotesalcus juvenis de Castelruto*, & alii quam plures rogati. Po- „ stea vero in suprascripto Anno, Indictione suprascripta, die 6. intrante „ Aprili in Ponte Novo juxta Mansum *Arnoldi & Rempreti Mulli*. in pre- „ sentia *D. Arnoldi de Rodenco*, *&* *VVilielmi de Velterno*, *&* *Turcardi de „ Seben*, *&* *Ottonis de VVinec*, *&* *Zuconis de Furmiano*, *&* *Adelpreti de*

„ Bol-

„ *Bolzano filii Domine Minne*, *&* *Odelrici Muncieri*, *&* *Adelpreti de Pao*, „ *&* *Cadelochi* *&* *Conradi de VVinec*, *&* *Arnoldi Domine Minne*, *&* *Ottonis*, *Egenonis* *&* *Odolrici de Gruansperg*, & aliorum multorum. Ibique „ *Ven. Dominus Conradus Dei gratia Trid. Eccl. Episcopus*, *&* *Dominus* „ *Conradus Dei gratia Prixinen. Eccl. Episcopus* unanimiter per se & eorum Successores in Episcopali dignitate venientes, predictam Constitutionem dicti thelonei ut superius legitur factam confirmarunt, & „ confirmatam ac incorruptam omni tempore tenere & conservare ad „ invicem unus alteri promiserunt cum stipulatione.

„ (L. S.) Ego *Salomon* Sac. Pal. Not. rogatus interfui, & hoc „ Instrumentum ut superius legitur scripsi, & duo Brevia unius „ tenoris complevi. "

Inter alia numero plura Monumenta, ad eumdem *Conradum* spectantia, unum exstat subscriptum manu *Erceti*. Notarii Friderici Rom. Imperat. *An. Domini Millesf. Ducent. quarto Indict. VII. die Jovis secundo intrante Mense Sept. in Tridento in Palatio Episcopali, praesentibus Alberto de Sejano, Uprandino & Adelpreto Fratribus de Madrutio, Aldrigeto de Cavedeno, & Federico de Avizano, & Turisendo de Toblino*, in quo quidem Monumento dicitur, quod *ibi Dominus Conradus Dei gratia Tridentinae Ecclesiae Episcopus cum bereta sua investivit Dominum Albertum de Stenego nominative de Dosso uno quod appellatur Dossum de Medio Lacu Molveni &c.*

In Valle Flemmarum consecravit Ecclesias S. Nicolai Episcopi *Cadrani* anno 1193. die 26. Septemb., S. Thomae *Ajani* die 28. Nov. ejusdem anni; nec non S. Petri *Varenae*. Item Ecclesiam S. Thomae Cantuariensis apud *Arcum* an. 1194. die 11. Augusti.

Pertaesus suscepti regiminis an. 1205. die 10. Martii Oeniponti Episcopatum dimisit, Deo liberius inserviendi gratia in Monasterio *S. Georgii* ad Oenum. Vivebat adhuc an. 1210. die 18. Decembris; nam in Tabulis hujus temporis apud Aquilejam subscriptus legitur *Conradus quondam Tridentinus Episcopus*.

Sub eo Ecclesiae Tridentinae reconciliatus fuisse videtur *Aldrigitus*, sive *Aldrigetus* de Castrobarco, sub quo etiam obiit. Ejusdem *Conradi* tempore accidit, quod memorat Chronicon Patavinum ad an. 1202. hisce verbis: *Eo tempore Veronenses, Vicentini, Tervisini, Mantuani, Ferrarienses*, Tridentini, *Feltrenses*, *& Bellunenses venerunt cum magno exercitu usque ad Pontem Brentae Viciageris, & ibi sua fixerunt tentoria, & ceperunt Castrum Carturi, & Turrim Canfreduli constraverunt. Et Paduani iverunt eis obviam, & fixerunt tentoria juxta Pontem Brentae ex adverso dictorum hostium; & tandem pacificati sunt ad invicem*. De pace inter Veronen-

ronenses & Tridentinos sub ea ipsa tempora, videsis originale Monumentum a nobis allatum *Vol. 2. pag.* 510. *ac seqq.* Sub ipsomet nostro *Conrado* praeter supra memoratos claruere *Arnoldus* & *Hegino Comites de Eppan*, *Jacobinus* & *Oluradinus de Rocbabruna*; *Egeno Comes de Ultimis*, *Balduinus de Formigaro*, *Ubertus de Terlago &c.*

LXXIV. FRIDERICUS.

Sanguinis claritate illustris, utpote ex familia Dominorum *de Wanga*, sed pietate longe praeclarior; ex Decano Brixinensi electus an. 1207. die 9. Augusti Episcopus Tridentinus, confirmatusque ab Episcopo Tarvisino, & Alberto Presbytero Mantuano, *Innocentii III.* Papae Legatis. Quippe idem *Innocentius* eo ipso anno mandaverat Tridentino Capitulo, ut quantocius ad electionem novi Praesulis deveniret. *Datae sunt* (monente in rem nostram apposite Cl. V. P. de Rubeis *Monum. Eccl. Aquilejens.* cap. 68.) *Epistolae Innocentii III. Laterani IX. Calendas Junii anno decimo, id est Christi anno* 1207. *adeoque Conradus QUONDAM Episcopus Tridentinus nuncupari debuit in Tabulis, quas anno* 1210. *conscriptas novimus.* Hinc in propatulo est, vel tunc Episcoporum electionem ad Capitulum Tridentinum spectasse, proindeque ab ipsomet nostrum *Fridericum* electum. Regalibus autem honestatus fuit a *Philippo* Romanorum Rege in Palatio de *Nurimberg* die 4. Novembris an. 1207.; tum die 18. ejusdem mensis & anni cum ingenti triumpho, & gloria in Urbe Tridentina suum Episcopale Palatium adscendit.

Anno continuo sequenti 1208. Dioecesanam Synodum celebravit. An. 1209. investivit *D. Petarinum*, *& D. Albertum de Sejano Sindicos & Procuratores Communis Tridenti suscipientes pro se, & vice & nomine Communis Trid. jure & nomine recti Feudi, de toto lignamine & pice, quod vel quae veniunt ad Tridentum per aquam vel per terram ab omnibus locis &c.* An. 1210. ejus exstat Charta *de Castro Padi*. Item alia an. 1211. *de Castro Tomazolo Plebis S. Sisinii in Annania*. Alia quoque an. 1212. *de Castro Garduli*; quo etiam anno Rector Randenae una cum suis Clericis fertur ipsi refutasse omnia Jura *in loco Campei*, adeo ut noster Episcopus de eo Hospitali, ac hujusmodi Juribus, investiverit *Oprandum de Madrutio* pro annuo censu unius librae cerae sibi solvendae &c.

An. 1213. die 16. Februarii a *Friderico II.* Imperatore (cujus erat consanguineus) Legatus, & totius Italiae Vicarius institutus. Anno mox sequenti emisit hoc Instrumentum scriptum a *Petro* Notario Frid. Imp. scituque profecto dignum, quum in eo indicetur Familia eorum, qui antiqui Monasterii Sonneburgensis in Valle Pustrissa, ad supremam Advocatiam Antistitum Tridentinorum spectantis, prima fundamenta jecere. Namque loquitur in haec verba.

„ In

„ In Xpi nomine. Anno Domini 1214. Indict. 2. die Martis quar-
„ to exeunte Januario in Tridento in Palacio Episcopatus. In presen-
„ tia *D. Comitis Odorici de Piano*, *Odorici de Ultimo*, *Riprandi Otti Richi*,
„ *Odorici de Perzino*, *Henrici de eodem loco*, & aliorum Testium. Cum
„ Nos *Federicus Dei gratia Episcopus Tridentinus* legitime & per publica
„ Instrumenta vidissemus, quod Monasterium S. Marie de *Soneborgo* Dio-
„ cesis Prissinensis de jure spectaret *Dominis Hodorico & Gabrielo Comiti-*
„ *bus de Flaono*, tanquam rectis Advocatis dicti Monasterii S. Marie de
„ *Soneborgo*, & ab nostro Episcopatu teneant dictam Avocationem ad
„ rectum & honorabile Feudum, cum sui Antecessores edificaverint di-
„ ctum Monasterium &c. Quapropter quilibet debemus esse contenti in
„ sua re. Unde Nos *Federicus Episcopus* predictus investivimus dictos
„ *Dominos Comites Odoricum & Gabrielum de Flaono* de dicta Avocatione
„ predicti Monasterii de *Xoneborgo*: & predicti *Domini de Flaono* jurave-
„ runt fidelitatem *Domino Friderico Episcopo* predicto pro predicta Avo-
„ catione. Quare nos *Federicus Dei Gratia Episcopus* predictus damus in
„ mandatis Abbatisse & toti Conventui dicti Monasterii, quod debeant
„ obedire dictis Avocatis sub pena excommunicationis, cum racio po-
„ stulat & requirit &c. “

Hinc palam est *Vokholdo*, qui laudatur in Diplomate Henrici Sancti Imp. de an. 1018. tamquam primus Auctor ac Benefactor ejusdem Monasterii, fuisse gentiles praefatos Comites de Flaono.

Eodem anno 1214. a Generali Ordinis Cisterciensis Capitulo novae Abbatiae constructionem petiit, uti habet ejusdem Capituli Statutum To. 4. *Thes. Anecdot.* Martennii ac Durandi col. 1313. & seq. Fuit insuper *Fridericus* noster optime meritus de Hospitalibus *S. Mariae Campelii*, *Montis Riteni*, *S. Thomae de Romeno*, *S. Margaritae de Suburbano Tridenti*, atque *S. Leonardi de Sarno*. De his omnibus loquuntur ejus Diplomata jam producta Volumine secundo. Sed & aliud quoque habetur ejusdem Diploma pro *Hospitali S. Thomae Apostoli apud Romenum in Anaunia*, quod utpote (quod ego sciam) hactenus ineditum, consultum duco illud heic in medium adferre. Ita inquit.

„ Anno Domini MCCXIIII. Indict. 2. die Dom. VII. intrante
„ mense Sept. in Tridento in Capella Domini Episcopi sita aput Palla-
„ cium Episcopatus. presentibus *D. Conrado Capellano*, *& D. Federico*
„ *Preposito*, *D. Martino Nigro*, *Gisloldo*, *Abelino*, *& Zanebello*, *Federico*
„ *Panterono*, *& Girardo Archidiacono*, *& Zucbone*, *atque Odelrico filio D. Pe-*

„ *regri-*

„ regrini, *Canonicis Tridentine Ecclesie*, & *D. Petro de Malusco Causidico*, & „ aliis rogatis testibus. Ibique *Dominus Fridericus Dei gratia Sancte Tridentine Ecclesie Episcopus*, *atque Regalis Aule Legatus*, & *Vicarius*, concessit „ *D. Johanni Converso S. Thomei de Romeno in Valle Ananie Dominicum* „ *Peurellum* hominem suum, ad serviendum diu noctuque sibi & dicte „ Ecclesie *S. Thomei* tantum, & illis Personis, que ad servicium dicte „ Ecclesie in officio Conversorum manerent diu noctuque, & non aliis „ Personis. Ita quod dictus *Dominicus* servitor nec ejus Heredes de „ aliquo subjacere nec se distrigare debeat Presbitero dicte Ecclesie, vel „ Gastaldioni, neque alicui Ministeriali, seu alicui alie Persone, nisi „ tantum Monacho dicte Ecclesie & Servitori ut supra dictum. Insuper „ idem D. Episcopus Privilegium indulxit atque dedit prefato *Dominico* „ & ejus Heredibus, ut de cetero collecta, dacium, bannum aliquod „ seu aliquod maltoletum ei vel ejus Heredibus non auferatur per aliquem Ministerialem vel Gastaldionem Domini Episcopi, sed tantum „ ipse Dominicus Peurellus cum omnibus bonis mobilibus & immobilibus, & cum suis Heredibus presentibus & futuris, ad servicium Monachi permaneat, & tantum racionem pro Domino Episcopo suoque „ Vicedomino faciant & facere teneantur. Insuper prememoratus Dominus Episcopus illud idem Privilegium prefato *D. Johanni Monacho* „ seu *Converso* indulxit atque concessit, & ejus Successoribus ad servicium predicte Ecclesie commorantibus, de omnibus bonis sibi a Deo „ prestitis, tam de presentibus quam de futuris, tam de acquisitis quam „ de acquirendis, quod amodo in antea non subjaceant de eis alicui „ Presbitero, Prelato, seu Gastaldioni, vel Ministeriali, nisi tantum dicto „ Domino Tridentino & ejus Successoribus & Vicedomino: & collecta, „ vel superimposita, seu dacium, vel aliquod maltoletum ei non auferatur per aliquem. Similiter prenominatus Dominus Episcopus pro „ amore Dei & remissione Anime sue suorumque Predecessorum, per se „ & per suos Successores promisit dicto *Johanni Converso S. Thomei* „ suprascripti, quod de cetero eum nec ejus bona, nec prefatum *Dominicum*, vel ejus Heredes, non infeudabit nec alienabit, nec accipiet „ aliquo ingenio extra manus suas. Si vero aliquis Episcoporum hoc „ faceret, non valeat nec teneatur in aliquo, sed tantum ad dictam Ecclesiam & ad servicium predicte Ecclesie permaneat in totum ut supra „ dictum in integrum.

„ (L. S.) Ego *Ercetus* Domini *Frid.* Imp. Notarius interfui & „ rogatus scripsi &c. “

Anno proxime sequente haec insuper extat ejus Charta de Feudo Abbatis *de Roten* Frisingensis Dioecesis;

„ Testes

„ Testes *D. Conradus Capellanus Presbiter & D. Martinus Longus Presbiter & Canonici Tridentine Ecclesie*, *& D. Petrus de Malusco Judex*, *& D. Delvvardus Judex*, *& D. Albertus de Sejano*, *& D. Montenarius de Disuculo*, *& D. Jacobus Blanzemane Judex*, *& D. Aldrigetus de Cavedeno*, *& D. Odolricus de Chirchentore*, *& Vulvvinus ejusdem loci*, & alii. An. Domini 1215. Indict. 3. die Sab. ultimo exeunte Februario in Tridento in Palatio Episcopali. Ibique in suprascriptorum presentia *Dominus Federicus Dei gratia Tridentine Ecclesie Episcopus & Imperialis Aule Legatus & Vicarius* nomine sui Episcopatus Trident. cum uno Libro quem in suis manibus tenebat investivit *D. Odolricum Abbatem Manasterii Rotennensis de Episcopatu Frisingensi* tantum in suam propriam personam ipsius Domini Abbatis toto tempore vite sue, & non nomine sui Monasterii, de Ecclesia (*de Chirchentore*) & Officio & Beneficio ejusdem Ecclesie, eo modo ut de cetero suprascriptus Dominus Abbas in suam propriam personam, & non pro suo Monasterio, debeat dictam Ecclesiam in se habere & tenere cum Officio & Beneficio toto tempore vite ipsius D. Abbatis in gaudimento; & post decessum ipsius D. Abbatis dicta *Ecclesia de Chirchentore* libere vertatur & aperta esse debeat in prenominatum Dominum Episcopum pro suo Episcopatu & suis Successoribus sine inquietacione & molestacione alicujus persone. Et confessus & contentus fuit suprascriptus D. Abbas, quod suprascripta Ecclesia de Chirchentore non pertinet, neque subjacet in aliquo *Monasterio de Rotennes*, nisi tantum Episcopatui Tridentino, & illi pertinet, & quod dictus D. Abbas dictam investituram de suprascripta Ecclesia de Chirchentore non recipiebat nisi tantum per suam personam & ad suam vitam, & non pro suo Monasterio; ut supra legitur: & quod quondam ejus predecessor *Erbardus* Abbas dicti Monasterii de *Rotennes* eodem modo dictam Ecclesiam de Chirchentore in vita sua & per suam personam habuit & tenuit possedit per Episcopatum Tridentinum & ejus nomine, & non per suum Monasterium de Rotennes: & quod nullum jus dictum Monasterium de Rotennes in ipsa Ecclesia de Chirchentore habet, neque ad eum in aliquo pertinet.

„ (L. S.) Ego *Conradinus* Domini *Henrici* Rom. Imp. Not. interfui & rogatus scripsi. "

Eodem anno manavit ipsiusmet *Friderici* nostri Diploma ad Dioecesanos suos datum, ut Neocellensibus Canonicis Regularibus benefacerent. Quippe signatum legitur A. 1215. Indict. tertia 17. Kal. Aug.

Monum. Eccl. Trid. Vol. 4.

Plures quoque in sua Dioecesi consecrasse Ecclesias perhibetur, puta Ecclesiam *S. Mariae de Senali* in superiori Anaunia. Item anno 1216. die 24. Augusti Ecclesiam *SS. Herardi Episcopi & Lazari in Capriana*: eo-

 dem

dem anno 1216. die Dom. 2. Oct. Ecclesiam *S. Georgii* de *Castello*, & die 12. ejusdem mensis, ac anni Ecclesiam *Mojenae*, omnes in Valle Flemmarum.

Tandem cum *Adelpreto*, sive *Alberto* Vicedomino suo, qui proxime ipsum excepit, Loca Sancta Palaestinae invisere cupiens, piissime obiit die *6*. Novembris an. 1218. in Civitate *Acon*, nunc Ptolemaide, ibique sepultus in Ecclesia S. Mariae Virginis Hospitalis Alamannorum juxta Altare.

Eidem *Friderico* debet Tridentina Ecclesia egregium Codicem Diplomaticum, qui deducta ab eo denominatione *VVangianus* nuncupatur, una cum duobus Libris Liturgicis magno in pretio habitis. Sedente hoc praestantissimo Praesule, eodemque curante, turris Pontis S. Laurentii aedificata, quae ab eo *VVanga* denominatur. Perfecit insuper Palatium Episcopale, cum Capella S. Blasii, multisque aedificiis adornari mandavit Tridentinum Cathedrale Templum, uti ex Inscriptione in albo Lapide nonnihil fracto, & etiamnum conspicuo, Gothico charactere sculpta, colligitur, quae talis est:

„ Anno Domini M. CC. XII. ultima die....... presidente Venera-
„ bile Tridentino Episcopo Federico de Vanga, & disponente, hujus Ec-
„ clesie opus incepit & construxit Magister Adam de Arognio Cumane
„ Dioc. & circuitum ipse, sui Filii, inde sui Aplatici cum appendiciis
„ intrinsece ac extrinsece istius Ecclesie magisterio fabricarunt. C.....,
„ & sue prolis hic subtus sepulcrum manet ... ate pro eis "

Lacunas supplet antiquum MS. penes me, ubi post *die* additur *Februarii*: post *fabricarunt* vero *Cujus*: post *manet* denique *Orate*.

Laudatum Antistitem *Fridericum* Pallio ornatum ostendunt plura ejus simulacra, cum picta, tum sculpta. Hinc in ejusdem Ordine Missae Pontificalis, digno certe, qui aliquando publica luce donetur, exstat *Ad Pallium sive Rationale Oratio*. Ex Hierosolymitana in Tridentinam Ecclesiam quosdam sacros invexisse Ritus argumento est eadem Missa Pontificalis, in qua reperitur Rubrica de agenda post eam, si lubet, gratiarum actione *secundum usum Jerosolimitanae Ecclesiae &c.* Inter reliqua plura scitu digna ad eamdem Missam spectantia, illa mihi videntur, 1. quod *accipiantur Oblationes de manibus Offerentium*; 2. quod ad Memento mortuorum *recitentur nomina Defunctorum*; 3. quod post Pax Domini *sin solempnis*, *& publica Missa fuerit*, *omnibus partiunculis in patena positis*, *& coopertis*, *accipiat* (Episcopus) *mitram & baculum*, *& vertat se ad populum*, *Diacono interim proclamante*: Humiliate vos ad benedictionem. *Choro respondente*: Deo gratias. *Ipse vero*

det

det Episcopalem benedictionem tempori & diei congruentem &c.; 4. quod *Minister accipiens Evv. post acceptum osculum, osculetur ipsum & porrigat mulieribus; & postmodum osculentur se invicem*; 5. quod idem Episcopus *Diacono sibi calamum porrigente accipiens Calicem in manus ipsum sacrosanctum Sanguinem Christi sumeret &c.* Mitto quod in eadem Missa Hostia & Calix post Consecrationem ita supra Corporale reponantur, ut minime ad adorandum populo ostenderentur, quodve dicto per Diaconum *Ite Missa est*, nec populus noviter benediceretur, nec recitaretur Evangelium S. Joannis. Sub *Friderici* nostri tempora in Missae Mysteriis adhuc recitari consuevisse sacra Diptycha, palam est ex Diptycho ipso, quod dedimus *Vol. 2. pag.* 5., eorumque usum in aliquibus Ecclesiis perdurasse vel post Saeculum XIII. evicit quoque Cl. Vir Sebastianus Donatus, quem honoris caussa nomino, agens *de Dipticbis Antiquorum Sacris & Profanis*, eumdemque Diptychorum usum usque ad saeculum XV. in Graeca Ecclesia fuisse protractum, in Florentini Concilii Historia perhibetur. Recte laudatus Scriptor dixit *in aliquibus Ecclesiis*; namque a S. Bonaventura in *Exposit. Missae* cap. 4. edocemur, sua aetate vivorum defunctorumque nomina consuevisse *non nomine tenus, sed memoriter, & corde tenus* memorari.

Porro praefata Missa Pontificalis continetur in membraneo Libro in 4. Sacrarii Cathedralis Ecclesiae Tridentinae, cujus Libri tegumenta argentea sunt, adeo ut in una parte insculptum sit simulacrum Episcopi cum humili Mitra in capite, cum Baculo Pastorali in manu dextera, & cum Libro in sinistra, nec non cum Pontificalibus indumentis, ac etiam cum praedicto Pallio, tum quoque cum hac in superiori parte Inscriptione: *Fredericus Episcopus Tridentinus*.

In alia vero parte Anaglyphon deauratum Beatissimae Virginis Mariae a sinistro latere tenentis Puerum Jesum. Initiales in eo literae grandiores alternatim sunt, modo aureae, modo caerulae, eleganterque depictae. Canoni praefixa est effigies Christi quatuor clavis Cruci suffixi. Supra Crucem a dextris est imago Solis, a sinistris Lunae. A latere dextro Crucifixi adstat Maria Virgo, a sinistro Joannes. Exhibetur Crucifixus absque spinea Corona, cum prolixis foemoralibus, cum suppedaneo, nec non ad Crucis pedem cum mortis calvaria. Quae quidem omnia variis coloribus auro intextis repraesentantur.

Quam in rem S. Bonaventura in cit. cap. 4. *Exposit. Missae* docet: „ In plerisque Sacramentariis, id „ est Canonum libris, imago Crucifixi depingitur, ut non solum „ intellectus litterae (*nempe* T, *a* „ *qua exorditur Missae Canon, cru-* „ *cisque signum ostenditur in figura*) „ verum & aspectus figurae memoriam Dominicae passionis inspiret. “

Huic Liturgico Libro alius accedit ejusdem formae in 4., nempe *Lectionarium* itidem scriptum in membrana, cum tegumentis similiter argenteis, & ipsissima effigie, & inscriptione ejusdem Episcopi. Diversum est dumtaxat Anaglyphon, quod praeferre videtur S. Paulum ambabus manibus Volumen tenentem. In ejusdem initio grandis littera est affabre facta, exhibens imaginem Episcopi Pontificalibus & Pallio pariter induti, una cum hac Epigraphe: *Fridericus Tridentinus Episcopus*.

Hujusmodi *Lectionario* adtexitur Index de *Natalibus Sanctorum*, quae per menses sine diebus distribuuntur. Sub mense autem Aprilis, non indicato die, in eodem habetur: *In Nat. S. Adelpreti E. & M: Lec. Benedictus Deus*. Quorum quidem omnium e re fuerit heic meminisse ad indicandam disciplinam aevo *Friderici* nostri vigentem, demonstrandamque ejusdem circa Res Liturgicas religionem.

Ipsum etiam jussisse in Tridentinis Montibus aperiri Argentifodinas, ac erigi Monetariam Officinam, plura Documenta testantur. Hinc in Documento de an. 1214. quod agit de *Roca de Rocabruna*, *D. Pegorarius de Rocabruna*, *& D. Henricus ejus Nepos*, *& Gabriel*, *& frater suus Marsilius filii q. D. Jordani de Fornace*, promiserunt fidelitatem eidem Praesuli *Friderico* sub *pena centum Marcarum boni argenti ad Marcam Tridenti*. Quorumdam Nummorum sub eo cusorum, ejusdemque imaginem praeferentium, specimen dedit Erud. Simon Petrus Bartholomaejus in *Dissert. de Tridentinarum, Veronensium, Meranensiumque Monetarum speciebus & valore* pag. 17. ex Gentilotto, Brunacio, nec non S. R. I. Equite, & a Consiliis Celsissimi, nuncque Barone, Ignatio Trentino. Neque id mirum cuiquam videri debet; quippe de jure circa *Aurifodinam Tassuli*, ac circa *Monetam*, nec non circa *Argenti*, *Cupri*, *Ferri*, *omnisque Metalli Fodinas*, loquuntur tria Diplomata Imperatoris *Friderici I.* annor. 1181. 1182. ac 1189. vel sub *Friderici* nostri praedecessoribus *Salomone* & *Conrado*.

Praeclari inter ceteros sub id temporis fuere *Adelpretus Tirolis Comes*, *Federicus Comes de Ultimis*, *Brianus de Castrobarco*, *Otto de Formiano*, *Marsilius de Sporo*, *Muso Apostolicus*, *& Nicolaus de Trilacu*, *Nicolaus de Egna*, *Petrus de Malusco &c.*

Sub ipsomet nostro Praesule statutum est, *ut ille qui esset Gastaldio in Formiano*, *ille etiam deberet esse Justitiarius apud Bauzanum tam in Burgo*, *quam extra Burgum*; id quod jam inolita consuetudine roboratur, dum subditur: *& ita fuit apud q. Dominos Episcopos Adelpretum*, *Salomonem*, *Albertum*, *Conradum*. Sub eodem suum condidit ultimum Testamentum *Odolricus de Arcu*, in quo legavit *Ecclesiae S. Adelpreti de Campagna Arci centum soldos Veronenses*.

LXXV.

LXXV. ADELPRETUS III.

Albertus etiam saepius vocitatus. Ex nobili Familia de Castro *Ravenstein* supra Bulsanum, sui Praedecessoris immediati consanguineus, ac Vicedominus. In Episcopum electus exeunte anno 1219. Nam *Fridericus II.* Romanorum Rex suis in Literis datis *Augustae pridie* ..... *Januarii Indict.* 8., lectisque *Tridenti an.* 1220. *Indict.* 8. *die Mercurii* 10. *exeunte Januario*, adserit eumdem *Albertum Tridentinum Electum* fuisse *nuper apud Augustam*, ibique *per sententiam Principum*, & *aliorum fidelium suorum* obtinuisse quasdam sibi faventes Sententias. Accedunt aliae quoque tabulae, quae ita sonant:

„ In nomine Domini nostri J. X. Nazareni. An. Nat. ejus 1220.
„ Indict. 8. die Veneris 8. exeunte Januario, in Tridento in Palatio
„ Episcopatus, presentibus *D. Henrico Decano*, *D. Gerardo Archidiacono*,
„ & *D. Odolrico de Sellano Archipresbitero de Nomasso*, *Canonicis Trid.*,
„ *D. Adelperone de VVanga*, *D. Nicolao de Egna*, *D. Johanne de Perzino*,
„ & *D. Petro de Malusco Causidico*, *atque D. Comite Odolrico de Piano*,
„ *D. Jacobo de Lizana*, *D. Peramusio de Gardino*, *Bonifacino & Gumpone*
„ *Fratribus ejus*, *Enxoardo*, *D. Odolrico & VVilielmo Fratribus de Beseno*,
„ *D. Briano de Castrobarco*, *Bursa de Castronovo*, *D. Jacobo & Ropreto Fra*-
„ *tribus de Heno*, *Enrico de Murio*, *Federico filio Burse de Castronovo*, &
„ *D. Uberto de Brentonico*, *D. Artuicho de Cagnao*, *Rodulfo Rubeo*, *Porcado*
„ *Sourini*, *Johanne & Odolrico Fratribus de Pao*, *Petro filio Jacobi de Tul*-
„ *leno*, *Tretemaro Geroldi*, *Uberto de Heno*, *Dietbemaro de Vezano*, *Fede*-
„ *rico de Paldo*, *Federico de Albiano*, & aliis quam plurimis. Ibique
„ cum *Dominus Albertus Divina interveniente misericordia sancte Trid. Eccl.*
„ *Electus* nuper pro Regaliis & aliis sui Episcopatus Honoribus reci-
„ piendis a Regale culmine reverteretur, sedens pro Tribunali in Palatio
„ sue dignitatis, inter alias fidelitates, quas a Comitibus, Capitaneis &
„ Militibus & aliis Hominibus Episcopatus & Civitatis pro eorum feo-
„ dis, investituris recipiebat, interrogavit *D. Henricum Judicem f. q. D.*
„ *Gerardi de la Bella de Verona*, quid Juris Feodi habet in Curia Trid.
„ & quod est ejus Feodum & Jurisdictio Feodi, quam habet ab Episco-
„ patu & detinet. Qui *D. Henricus Judex* respondit dicens & publice
„ palam coram omnibus dixit & confessus fuit atque manifestus stetit,
„ se in Feodum a Casa Dei S. Vigilii detinere ad cognoscendum tantum
„ de criminalibus causis, videlicet que ad puniendum personas hominum
„ spectant & pertinent, scilicet de illis personis, que ad Laudamentum
„ Vasallorum Curie Judicum non pertinent. In aliis vero causis nullam
„ dixit idem *D. Henricus Judex* se habere rationem neque jurisdictionem
„ cogno-

„ cognoſcendi neque ſententiandi, niſi ſicut ei a Domino Epiſcopo fuerit „ commiſſum, & ad ejus voluntatem tantum, ſicut & aliis perſonis committit. De quo vero Feodo & de qua confeſſione omnes ſupraſcripti „ Vaſalli per fidelitates interrogati a prememorato Domino Electo dixerunt, confeſſi & contenti ſteterunt & in accordo fuerunt, illud eſſe „ Feudum & Juriſdictionem Feodi ipſius *D. Henrici Judicis* quod habet „ in Curia Trid. & fuit Feodum Patris & Avi ſui. Et dixerunt quod „ nullam aliam juriſdictionem cognoſcendi neque judicandi habet, nec „ ejus Anteceſſores habuerunt in Curia Trid. nec habere debet, niſi de „ voluntate Domini Epiſcopi, & ſicut ei commiſerit & ad ejus voluntatem ut ſupra legitur. Et idem *D. Henricus Judex*, ſicut ſuperius dictum eſt & determinatum, recepta a prenominato D. Electo ſui Feodi „ Inveſtitura, juravit fidelitatem prememorato D. Electo pro jam dicto „ Feodo ut Vaſallus ſuo Domino, & ſicut fidelitas precipit ad manutenendum & obſervandum circa eum omnia que in fidelitate continentur.

„ (L. S.) Ego *Ercetus* Domini *Fr.* Rom. Imp. Not. omnibus ſu„ praſcriptis interfui & rogatus ſcripſi &c. “

Ejuſdem noſtri Epiſcopi juſſu facta eſt reparatio ac ampliatio *Burgi Egnae*, de qua hoc exſtat longe locupletiſſimum teſtimonium.

„ Teſtes *D. Bertoldus de VVanga*, & *D. Petrus de Maluſco Judex*, & „ *D. Odolricus de Tolengo*, & *D. Gozalcus de Avio*, & *Engelpretus de Domina Rata de Egna*, & *Arnoldus de Mezo*, *Sicus q. D. Svvikerii*, & *Bertramus*, & *D. Rodulfus*, & alii. Anno Domini 1222. Indict. 10. die „ Veneris tercio exeunte Julio in Epiſcopatu & Ducatu Civitatis Trid. „ in Burgo de Egna ante domum Janex. Ibique in ſupraſcriptorum „ preſentia ad hoc rogatorum teſtium. Cum *Dominus Albertus Dei gratia* „ *Trid. Ecclefie Venerabilis Epiſcopus* vidiſſet deſtructionem *Burgi Egne* ab „ inferiori parte capitis per Flumen Ateſis, ideoque dixit ſe velle longare dictum Burgum de Egna de ſuperiori capite, videlicet a Domo „ Janex in ſuſum verſus Crucem per pratum ab una parte & ab altera „ ſtrate, & illum Burgum majorem facere ſecundum pactum & ordinamentum inferioris Burgi, & Statutum illius Burgi, & ſecundum quod „ inferius legitur. Quapropter prenominatus Dominus Epiſcopus per „ ſe & ſuos ſucceſſores ad honorem Dei & B. Vigilii & Caſa Dei, & „ Habitatorum ejuſdem Burgi de Egna, jure Locationis in perpetuum „ ad conſuetudinem Domorum Mercatus Tridenti inveſtivit Arduinum „ filium q. Federici de Bolzano de quatuor paſſis de terra per teſtam „ ad domum levandam & edificandam; & D. Engeneſiam uxorem q.

„ Ilte-

„ Ilteprandi de quatuor passis de terra per testam: & D. Gislam uxorem „ q. Gerardi de quatuor passis de terra per testam: & Bellinam uxorem „ Venture, que dixit se recipere vice & nomine pro suo Marito Ventura, de tribus passis per testam: & Zulianam uxorem Concii recipientem per illum suum Maritum de tribus passis per testam: & „ Odolricum & Bernardum & Ermannum & Burrum de 12. passis per „ testam: & Omnebonum Caliarium de 4. passis per testam: & Milanum de „ 4. passis per testam: & PetrumCaviricium (vel Cauracium) de 4. passis per „ testam: & Ermannum de Boneta de 4. passis per testam: & Pasquelam sororem Petri Cauracii de 3. passis per testam: & Johannem „ Caliarium de 3. passis per testam: & Johannem Morsollum de 4. „ passis per testam: & Wecillum de 4. passis per testam. & Raymundum de 3. passis per testam: & Bertoldum Ragenam de 4. passis „ per testam: & Pasqualem de 4. passis per testam: & Odolricum Faedum de 3. passis per testam: & Graciam de 4. passis per testam: & „ Ancium filium Keze de 3. passis per testam: & Bertoldum filium „ Boninsigne de 4. passis ante sepem sui barci per testam: & Villanum „ filium Vendrande de 3. passis per testam: & Albertinum de 3. passis „ per testam: & Gastiam de 4. passis per testam: & Concium filium „ Engelpreti de 6. passis per testam, ab una parte Mayxanus, & ab „ alia Janes: & Micheletum de 4. passis per testam: & Enrigetum filium „ Wizardi de 3. passis per testam: Jacobinum filium Barieli de 4. passis de terra. Eo modo ut de cetero suprascripti Conductores & sui „ Heredes & omnes alii, quicumque in illo Burgo Casamentum seu „ Casale habent seu acquisierint, illud cum suis Heredibus aut cui dederint ad infrascriptum tenorem habere & tenere debent in perpetuum: „ scilicet vendere, donare & pro anima judicare ut supra legitur, salvo „ ficto. Ita tamen quod si eorum aliquis suum Casale vendere voluerit, „ Dominum Episcopum in primis debeat interrogare, & si emere voluerit pro 20. solidis Veronensibus ad minus quam ulli alii sibi dare „ debeat. Quod si emere noluerit, vendat cui vellet; ficto tamen „ Domino salvo in integrum: exceptis Famulis & Hominibus de Macinata extraneorum Dominorum, Masnatis tamen Dominorum de Egna „ non exceptatis. Et Ecclesie alicui extranee similiter judicare non debent, sed Ecclesie tantum S. Vigilii judicari possint, ad honorem tamen Episcopatus. "

Albertus noster nominatur tamquam Testis, post Archiepiscopos, & ante alios Episcopos, in Diplomate *Friderici II.* Imp. scripto *apud Capuam* an. 1223. mense Februario, quod Cl. Muratorius vulgavit *To.* 2.

To. 2. *col.* 65. *Antiquit. Medii Aevi*. Commune autem debitum solvit eodem anno 1223. Ea erga sacra loca fuit religione, ut nedum Loca Sancta Palaestinae inviserit qua Vicedominus, sed & jam Episcopus Corpus S. Jacobi Compostellae devotissime visitaverit.

Narrat P. Franciscus Haroldus in *Epit. Annal. Ord. Minorum* ad an. 1221. de *B. Caesario* Spirensi, aliisque Fratribus ejusdem Ordinis, a *S. Francisco* in Germaniam missis, quod fuerint *ab Episcopo Tridentino benigne suscepti*, quodque ad votum ejusdem Praesulis, *Frater Barnabas Concionem ad Populum, & ipse Caesarius aliam ad Clerum habuerit; quinimo* idem Antistes voluerit, ut *relictis ibi quatuor Sociis, duo ad Populum, duoque ad Clerum verbi ministerio & aedificationi Plebis insisterent &c.* Idipsum refertur etiam in Vita ejusdem *B. Caesarii* inserta Operi Italico, cui tit. *Leggendario Francescano*; ubi additur, Civem quemdam Tridentinum, nomine *Peregrinum*, Virum divitem, ac Idiomatum Lombardici, Teutonicique non ignarum, singulis Fratribus singulas ac recentes Tunicas praebuisse, pauloque post divendito proprio patrimonio, atque pretio in pauperes erogato, Minoritico Ordini nomen dedisse.

LXXVI. GERARDUS I.

Patria fuit *Cremonensis*, ac Tridentinus Canonicus, tum Archidiaconus, postea in Episcopum electus an. 1223. desinente. Anno autem mox sequente 1224. Dioecesanam Synodum coëgit, & exterminanda curavit infanda quaedam scelera, quorum complices nominatim recensere vetat illud Martialis:

Hunc servare modum nostri novere libelli,
Parcere personis, dicere de vitiis.

Igitur haec tantum quae sequuntur, tacitis complicum nominibus evulgare fas est: „ Anno Domini „ 1224. Indict. 12. die Dominico „ 3. exeunte Aprili in Trid. in „ Capella Pallatii Episcopatus. in „ presentia *Magistri Haduini*, *Magistri* „ *Gerardi Cremonen. Magistri Gerardi* „ *Trid. Magistri Nicolai Canonici* „ *Cremonen. Magistri Odolrici Canonici* „ *Trid. Domini Prepositi Augiensis*, „ & aliorum plurium. Ibique *Do-* „ *minus Gerardus illustris Trid. Ec-* „ *clesie Episcopus*, facta previa „ amonicione DD. Canonicis, & „ Monachis, Archipresbiteris, Pre- „ latis, Presbiteris & Clericis Ci- „ vitatis, & Episcopatus sui, ut „ si qui in sua Civitate & Episco- „ patu Clerici sunt, qui sciant se in- „ cidisse in Canonem Sententie late „ per Dominum Hostiensem Epi- „ scopum tunc summi Pontificis Le- „ gatum, quam protulit contra Cle- „ ricos Concubinarios (*dixit*) „ quod ipse impetrata licentia a „ summo Pontifice secundum teno- „ rem Literarum ipsius Domini Pape

„ & Bulle

„ & Bulle ejus bullate, que ibi
„ perlecte fuerunt, auctoritatem
„ habet absolvendi eos ab illa ex-
„ communicatione: recepta ab eis
„ securitate standi preceptis Eccle-
„ sie & Domini Pape atque pre-
„ memorati Domini Episcopi &c. "

Ab *Honorio III.*, a quo consecratus fertur, aliud Indultum est nactus, scilicet ut *per se vel per Nuntium nonnisi de triennio in triennium visitare Sedem Apostolicam teneretur*. Plures consecrasse per suam Dioecesim Ecclesias legitur literis consignatum; nempe Ecclesiam S. Jacobi in Pago *Tradatii* Vallis Flemmarum feria secunda post Octavam Paschatis, anno incerto: Ecclesiam SS. Lucani, Leonardi, Sigismundi, & septem Fratrum *in Silva* ad fauces ejusdem Vallis an. 1225. Dominica ultima mensis Maji, & Sacellum in *Langenmass* apud Riten an. 1226.

Anno 1229. die 8. Septembris Fratri *Pacifico* Ordinis Minorum, recipienti nomine ac vice *Palmeriae* Abbatissae, & Collegii Pauperum Dominarum manentium juxta Castrum Tridentinum, annuente Capitulo, indulsit, donavitque Ecclesiam S. Michaëlis apud Tridentum, pro construendo ipsis novo Monasterio, adjectis possessionibus, juribus, ac bonis ejusdem Ecclesiae.

Anno 1230. consecravit Ecclesiam, sive Capellam Sancti Cosmae de *Greiffenstein*, de qua sequens monumentum testatur:

„ Anno Domini 1230. Indict. 3. die Dom. 4. exeunte Jullio in
„ Ecclesia Sancti Cosme sita subtus Castrum *Griffenstaini*, presentibus
„ *Domino Comite VVolrico de Piano, D. Conrado Capellano Domini Episco-*
„ *pi, D. Preposito Gotesalco de Augia, D. Heberbardo Capellano Domini*
„ *Episcopi, D. Bertoldo Polingario Presbitero & Capellano Domini Episcopi,*
„ *D. Federico Presbitero Hospitalis Bauzanensis, D. Odolrico Canonico de*
„ *Porta, D. VVarimberto Diacono, D. Conrado Plebano de Lazo, D. Adel-*
„ *perio & D. Bertoldo de VVanga Fratribus, D. VViganto de VVinecco,*
„ *D. Odolrico de Aselach, D. Calocho de VVineco, Tasca f. q. Milonis*
„ *Robatasche, Concio Vilani Notario, D. Concio Fratre D. Odolrici de Ase-*
„ *lach, Cristano de Furmiano*, & aliis. Ibique cum *D. Girardus Divina*
„ *favente misericordia Sancte Trid. Ecclesie Venerabilis Episcopus* consecra-
„ ret Ecclesiam *S. Cosmei* prenominatam ad honorem Dei, & invictissime
„ S. Crucis, & gloriosissime Marie Virginis & SS. Apostolorum An-
„ dree & Jacobi & SS. MM. Cosme & Damiani, *Vigilii & Sisinii, Mar-*
„ *tirii & Alexandri*, Pantaleonis, SS. Confessorum Nicolai, *Romedii*,
„ SS. Virginum Cunegundis, undecim milium Virginum, Katerine Vir-
„ ginis, de consensu & voluntate *D. Henrici Plebani de S. Genesio*, dedit
„ libertatem dicte Capelle *S. Cosmei*, salvo omni jure & honore Plebis

„ S. Genesii de Baptismo & Penitentiis & de Sepulturis, solvendo tamen de predicta Capella *S. Cosmei* omni anno censum in Nativitate Domini Plebi de S. Genesio, & *D. Enrico Plebano*, & Successoribus Plebis predicte S. Genesii, perpetualiter unam libram cere & unam libram incensi. Adhuc ipse D. Plebanus & Successores sui de predicta Plebe S. Genesii debent habere 4. dies, & ipse Plebanus vel Vicarius suus & alii Plebani vel Vicarii qui fuerint pro tempore, possunt & debent celebrare in dicta Capella *S. Cosmei* & facere Divina, videlicet in Nativitate Domini, & in Pasca Resurrectionis, & in Pasca de Madio, & in die Consecrationis predicte Capelle, & medietatem Oblationum que ibi in predictis 4. diebus fierent ad officium Altaris, pertineant & esse debeant dicti Plebani de S. Genesio & suorum Successorum; & alia medietas Oblationum illorum dierum pertineat Provisori Capelle, & aliud jus in dicta Capella ipse Plebanus neque sui Successores non debent habere, preter ut dictum est: reservato omni honore & jure, & omnibus Sacramentis Ecclesiasticis dicte Plebi S. Genesii, ita quod de cetero dicta Capella *S. Cosmei* debeat remanere ad manus prefati Domini Epi & suorum Successorum, & illam Capellam possit & debeat prememoratus Dominus Epus conferre cui velit.

„ (L. S.) Ego *Pelegrinus Coffe* Sac. Palat. Not. Libertati predicte Capelle „ interfui, & mandato Ven. Episcopi predicti omnia scripsi. “

Vivebat *Gerardus* noster an. 1232. Calendis Novembris, pauloque post e vivis excessit; unde interfuisse minime potuit Comitiis Provincialibus habitis Oeniponti sub *Ottone Meraniae Duce an.* 1234. apud Hundium To. I. *Metrop. Salisburg.* pag. 300., edit. 1719. emendandum loco anni 1234. substituendo annum 1223. ut legit Gentilottus in antiquiori Hundianae Metropolis editione. Idem Episcopus secum habuit *Bozani* an. 1230. die 2. Aug. *Curcolinum nepotem suum*.

Memorabiles sub nostro *Gerardo* se se reddidere inter alios *Juta Comitissa uxor Comitis Ulrici de Ultimis*, *Arpolinus de Clexo*, *Odolricus filius Federici de Arcu*, cui nupsit *Adelasia* ejusdem Episcopi *Gerardi Neptis*, *Antonius Tridentinensis Clericus*, de quo testatur Diploma quoddam Friderici Imperatoris, *Riprandus de Nacu*, *Volandus Praepositus S. Michaëlis* ad Athesim, qui occurrit nedum in Chartis an. 1204. 1209. 1211. sed etiam 1224., ideoque inter hujusmodi Praepositos minime praetermittendus. Hactenus laudatis accensendus quoque supra memoratus *B. F. Pacificus*, cujus sacra lipsana jacent in Ecclesia S. Francisci PP. Minorum Conventualium prope civitatem Ripae Benacensis, ubi & cultu immemorabili gaudent. Eum minime distinctum crediderim a *B. Fredebaldo*, sive *Fridebaldo*, in territorio Tridentino miraculis claro, cujus mentio habetur in MSS. Chronicis 24. Generalium Ministrorum Ordi-

Ordinis Minorum apud me, nam & nomen Teutonicum *Fredebaldi* sive *Fridebaldi*, pacem inter silvas significat. Digitus ejusdem *B. Pacifici* inter antiquiores Reliquias praefati Monasterii Tridentini S. Michaëlis religiose servatur. Catalogum dedimus Abbatissarum ejusdem Monasterii Vol. 2. pag. 568., ubi tamen error irrepsit circa Abbatissam positam num. XVIII. nomine *Joannam de Tarvisio*, utpote quae non bis, ut ibi dicitur, sed semel tantum Abbatissa fuerit ad an. 1382. Neque pudet me fateri, si quis ex humana infirmitate error exciderit, ut *quicumque ista lecturi sunt non me imitentur errantem, sed in melius proficientem*. S. Aug. in Prol. Retract.

LXXVII. ALDRIGETUS.

Aldrighetus, atque etiam *Aldricus* nuncupatus, perperamque in Catalogo Joannis Hübneri *Hist. Polit.* part. 8. pag. 329. *Adelerius*. Fuit ex Nobilibus *de Campo* in Judicariis. Electus an. 1233. sive an. 1232. cum ipse antea fuisset Ecclesiae Tridentinae Canonicus, certam de hoc facientibus fidem authenticis Tabulis, unde constat, quod „ An. 1211. „ Indict. 14. apud *Castrum Campi* „ die Merc. 16. intrante Marcio, in „ presentia *D. Turiscendi de Toblino*, „ *D. Alberti Archipresbiteri*, & *Gratiadei Subdiaconi Ecclesie S. Eleuterii de Blezio &c.*, *D. Aldrigetus* „ *Canonicus Trid.* confessus fuit se „ vivere Lege Romana, & accepisse „ a *D. Armano f. q. D. Federici de* „ *Campo* 12. lib. Denar. Veron. pro „ quibus ei vendidit unam petiam „ terre arative sui Alodii, que ja„ cet *in Commandono &c.* "

Dixi electum *an. 1233. sive an. 1232.* Etsi enim ejus electio coaeva manu consignata sit an. 1233., uti perhibetur in Auctariis ad Diptychum Udalricianum *Vol. 2. pag. 6.*; in veteri tamen Libro Tabularii Civitatis Ripensis ad Lacum Benacensem, teste oculato P. Hieron. Cassina, habetur literis consignatum: *Anno Domini millesimo ducentesimo trigesimo secundo, Indictione quinta, die Mercurii decimo intrante Novembri, in Murio in Domo Soldi*, in quo monumento nominatur *Dominus Al. Dei gratia Tridentinae Ecclesiae Electus*. Doctissimus quoque Franciscus Antonius de Albertis de Poja, qui fuit plurium Tridentinorum Principum Supremus Cancellarius & Consiliarius, in suis apud me MSS. Vindiciis Eccl. Trid. §. 6. *Aldricum* suffectum *Gerardo* adserit *anno* 1232. Quae ita mihi videntur posse conciliari, ut dicamus, electum quidem an. 1232. sed a *Gregorio IX.* haud fuisse confirmatum, subsequutam autem esse Pontificiam confirmationem hujusmodi electionis an. 1233.; adeo ut proxime allatum Monumentum loquatur de simplici electione, in memoratis vero Auctariis sermo sit de electione, quam praefatus Pontifex ratam habuit.

Ceterum inter ejus Chartas ad praefatum annum 1233. spectantes, haec in Continuatione authentica Wangiani Codicis legitur:

 „ In

„ In nomine Domini. Die Dominico „ octavo intrante Madio in Civitate „ Tridenti in Palacio Episcopatus in „ Camera in qua jacet Dominus „ Episcopus. presentibus D. *Bonfanto* Doctore Legum, *Boverio* ejus „ Serviente, D. *Connovuto de Campo*, „ *Odorico de Malusco* Marzcalo Domini Electi, testibus rogatis. Ibique *Dominus Aldricus Dei gratia Ecclesie Tridentine electus Episcopus* „ protestatus fuit & dixit, quod non „ placebat ei, quod *D. Riprandus* „ ficaverat & posuerat Furcas in ejus „ Comitatu seu Ducatu, & suspenderat Latronem in eis; nec ad ejus „ Jurisdictionem pertinebat, nec „ pertinet aliquo modo. Et precepit eidem *Riprando*, ne de cetero „ hoc attentare presumat. Actum „ est hoc anno Domini 1233. Indict. *6*.

„ (L. S.) Ego *Lanfrancus de* „ *Cruce* Sac. Pal. Not. hiis interfui, & jussu dicti Domini „ Electi hanc Chartam scripsi. “

Eo ipsomet anno 1233. constat Praepositurae Neocellensi prope Brixinam, Dipl oma indulsisse.

Receptis Literis a *Gregorio IX.*, ut eidem morem gereret, consentientibus Monachis Benedictinis, ac etiam Majoris Ecclesiae Canonicis, an. 1235. die 8. Augusti concessit *F. Jordano* Magistro Ordinis Praedicatorum, ac *F. Stephano* Priori Provinciali, Ecclesiam S. Laurentii apud Tridentum, cum Domibus adjacentibus, cum Viridario, & circuitu, prout designaretur per *D. Bonifacium de Castrobarco* Canonicum, qui etiam ipsis nomine Episcopatus contulit possessionem.

Anno 1235. die 12. Decemb. idem Episcopus Sententiam tulit, sive Laudum super controversia Confinium inter Civitatem Tridenti, & Villas Zambanae ac Faii. An. 1241. saluberrima quaedam Statuta servanda sancivit ad bonum regimen Hospitalis *S. Nicolai* infra Tridentum; quo quidem anno posteaquam die 24. Junii tradidisset *D. Warimberto filio Johannis Bissoli de Caldaro* Investituram *de Fraternitate S. Floriani*, ita in Provisorem Ecclesiae ejusdem *S. Floriani* eumdem instituit:

„ An. Domini 1241. Indict. 14. die 5. „ intrante Augusto, in Trid. in Pal. „ Episcopatus, in presentia *D. Uberti* „ *Presbiteri*, *D. Albertini Longini de* „ *Campo*, *Odolrici Capellani de Formigaro*, *D. Tristami ejusdem loci*, „ *D. Ottonis de Brixia*, *Otolini de Caldaro*, *Raimondini de Gajo*, *Saxeti* „ *Notarii*, & aliorum. Ibique *Dns* „ *Aldricus Dei gratia Trid. Ecel. Episcopus* nomine ac vice pro Episcopatu suo constituit *D. Warimbertum* „ *filium Johannis Bissoli Subdiaconum*. „ presentem Provisorem & Rectorem & Administratorem Ecclesiae „ & Bonorum omnium *S. Floriani* „ site juxta *Atesim de supra Salurno*, „ committens eidem curam animarum Ecclesie predicte, ut de cetero dictus *Warimbertus* predictam „ Ecclesiam & omnia Bona dicte „ Ecclesie pertinencia providere de-

„ beat

„ beat, regere & procurare, & bona „ administrare pro ipso Domino Episcopo & Episcopatu Trid. prout „ olim alii Provisores dicti Loci facere consueverunt atque fecerunt.

„ (L. S.) Ego *Otto* Sac. Pal. Not. „ interfui & rog. scripsi. "

Ad custodiam *Castri Viguli* ita sancivit:

„ In nomine Domini Dei eterni. Anno ejusdem Nativ. 1244. Indict. 2. die 15. intrante Marcio, Tridenti in Palatio Episcopatus: „ presentibus *DD. Olderico Texato Archidiacono*, *Magistro Bonfado Canonicis Tridentinis*, *Hermano de Campo*, *Ottone de Brixia*, & aliis. *Dominus Alaricus Venerabilis Episcopus Trid.* sicut Dux, Marchio, Comes „ & Princeps, pro bono statu, honore & utilitate Civitatis Trid. & „ totius Episcopatus, & quia *Castrum de Vigulo* non bene custodiebatur: „ quod quidem ad magnam utilitatem, bonum statum, & honorem „ ipsius Civitatis & Episcopatus si bene custodiretur multimode redundaret: considerata etiam fidelitate *DD. Zordani Judicis*, *& Montenarii* „ *fratrum filiorum q. D. Olderici de Pomarolo* Fidelium Episcopatus, cum „ per alios fidelius, melius & commodius ad utilitatem Civitatis, totius „ Episcopatus, Castellantie & Hominum Terre Viguli, & circa ipsum „ Castrum habitantium & commorantium, custodiri non possit, eo quod „ ibi & alibi in dicto Episcopatu multas habent possessiones & bona, „ vice & nomine sui Episcopatus, liberaliter & de liberali gratia commisit & concessit prefatis *DD. Zordano & Montenario* in se suosque „ Heredes custodiam & vvardam ipsius *Castri de Vigulo*; tali namque „ forma & modo, videlicet, quod ipsi & eorum Heredes dictum Castrum, ut ea que in ipso habentur, in salvamento custodire, manutenere & salvare debeant modis omnibus ad honorem, bonum statum, „ & utilitatem ipsius Domini Episcopi, Successorum ejus, Civitatis Trid., „ Episcopatus ipsius, Hominum Terre Viguli, Castellancie Castri ejusdem, & circum morancium, bona fide, sine fraude, & ipsum Castrum „ prefato Domino Episcopo & Successoribus ejus, & suis certis Nunciis, representare & dare, in pace & vverra, ad voluntatem ipsius „ Domini Episcopi & Successorum ejus, pro negociis Episcopatus, „ quandocumque & quociescumque petierint & voluerint ipsum, cum „ Dominus Episcopus vel Successores ejus habuerint administrationem „ temporalium rerum, per stipulationem promittentes eidem cum obligatione suorum bonorum presentium & futurorum, que pro eo se „ possidere manifestaverunt & constituerunt, omnia predicta & infrascripta „ & singula eorum attendere & integraliter observare. Pro qua vero „ custodia atque vvarda prelibati Fratres & eorum Heredes percipere „ debeant,

„ debeant, & habere de bonis Episcopatus pro quolibet anno 120. libras Veronensium parvulorum, ita quidem, quod prefatus Dominus Episcopus & Successores ejus non teneantur aliquid solvere eis pro vvarda & custodia illius Castri pro toto tempore quo Potestas Imperialis vel per Dominum Imperatorem fuerit in Civitate & Episcopatu Trid. cum administrationem non habeat temporalium Dominus Episcopus prelibatus. Veruntamen si dicti Fratres, vel unus eorum, seu Heredes sui aliquas expensas utiles & necessarias fecerint in reficiendo ipsum Castrum, & in cooperiendo Domum Episcopatus, seu reficiendo eandem, prefatus Dominus Episcopus per se suosque Successores cum obligatione bonorum Episcopatus per stipulationem eis resarcire promisit, pro quibus 120. libris & expensis predictis memorati Fratres, & eorum Heredes, ipsum Castrum specialiter retinere debeant pignore obligatum, donec fuerit plenarie satisfactum eisdem de ipsis denariis & expensis. Juraverunt quoque prenarrati *DD. Zordanus & Montenarius* ad Sancta Dei Evangelia ipsum Castrum & omnia alia predicta & singula predictorum bona fide & sine fraude salvare, custodire, attendere & integraliter observare. Duo namque Instrumenta unius & ejusdem tenoris de voluntate partium hinc inde facta sunt: & insuper jussit Dominus Episcopus eos sua auctoritate intrare tenutam & possessionem Cusodie & Warde Castri predicti.

„ (L. S.) Ego *Beraldus de Caudalonga* Imperialis Aule Not. intersfui & jussu eorum hoc scripsi. “

Ex hujusmodi Charta liquet, tunc valde fuisse extenuatum, ad incitas, ac fere ad nihilum redactum Tridentini Episcopatus temporale Dominium. De potestate Imperiali sub haec tempora dominante Tridenti mox dicam. Ab hoc Saeculo abiit piissimus Antistes an. 1247.

Tempore ejusdem nostri Episcopi ab an. 1239. fuit *Potestas Tridenti, & Episcopatus pro Domino Imperatore, Nobilis Vir D. Sodegerius de Tyto*, qui inter alia an. 1240. die 15. Februarii *imposuit Mudam seu Telloneum apud Prataliam pro solvendis Custodiis Castrorum Jacobini de Lizana*, videlicet *Castrorum de Seravalle, & Lizanae, & Trambelini, & VVardae Lizanae*. Hoc autem praestitit nedum auctore *D. Ezelino de Romano*, verum etiam consentiente *toto Tridentino Consilio in Palatio Episcopatus more solito congregato*, nempe *D. Jacobo de Lizana, Riprando de Arco, Trentino Rubeo, Nicolao de Stenego, Henrico de Morio, Iltiprando de Formian, Jacobo de Mitifoco, Cognovuto de Campo, Pellegrino de Rambaldo, Contio de Sancto Petro, Martino Borserio, Trentino de Gando, Trentinello Burserio, Albertino de Vataro, Gotbefredo*

fredo de Porta, *Ezelino Judice*, *Henrico de Egna*, & aliis 64. virorum numerum explentibus. Etiam an. 1242. idem *Sodegerius* exstitit *Potestas Episcopatus Trid.*, sed *per Dominum Regem Conradum Advocatum Ecclesie Trid. constitutus*; nominatur siquidem in Charta ejusdem anni ceu Judex praecipuus pro dirimenda Causa vertente inter *Vivianum Armengardum Syndicum & Procuratorem Hominum Communitatis Levigi ex una parte*, & inter *Desideratum de Caldonatio*, *& Dolzanum de Perzino Syndicos & Procuratores Hominum Communitatis Caldonatii*, *Thenae*, *& Perzini ex altera parte*. Imo perstitit in eodem *Potestatis* gradu etiam sub *Aldrici* Successore *Egnone* usque ad an. 1255.

Sub eadem *Aldrici* tempora Fratres Minores S. Francisci habuisse Tridenti Conventum, perspicuum fit ex Bulla *Innocentii IV*. Papae de an. 1245., in qua conceditur *Monialibus ad S. Michaëlem*, *ut possint recipere Sacramenta a Fratribus Minoribus de Tridento*. Sub ipsomet Episcopo floruit *Bartholomaeus Tridentinus*, Ordinis Praedicatorum, qui fuit auctor quorumdam *Chronicorum*, sive *Epilogorum in Gesta Sanctorum*, in quibus illud exstat de festo Conceptionis Deiparae Virginis locupletissimum testimonium: *Conceptio Matris Dei a plerisque solemniter celebratur*, *sicut ipse*, *praesente Romana Curia*, *nec inhibente*, *in Cathedrali Ecclesia Anagniae fieri vidi*. De hoc testimonio a me olim dubitatum an esset reapse F. Bartholomaei Dominicani, modo tamen in me per geminos Codices Sangeorgianum Vallis Oenanae, ac Trombellianum Bononiae, omnis dubitatio cessavit. In iisdem Chronicis habetur aliud quoque testimonium de S. Francisco, qui *juxta Ecclesiam Sanctae Mariae de Portiuncula propter devotionem Matris Dei coeperat morari*, nempe: *revelatur ei peccatorum remissio*, *& diversarum linguarum congregatio ad ipsm*, videlicet *ipsum*, aut *ipsam*. Quibus verbis forte alluditur ad Indulgentiam, quam vocant *Portiunculae*, confirmanturque ea, quae a S. Bonaventura in Legenda S. Francisci cap. 2. de hujusmodi ememorantur.

LXXVIII. EGNO.

Vocitatus quoque *Egeno*, *Egbeno*, *Eginomus*, *Egnomus &c.* Ex nobilissimis Comitibus de *Piano*, seu *Eppiano*, consanguineus *Maynardi* Carinthiae Ducis, & Tirolis Comitis, ac si fides cuidam Catalogo apud Hundium, *de prosapia & sanguine Friderici Imperatoris*. Tridentinus Canonicus jam diu. Tum ad an. 1241. electus Episcopus Brixinensis. Etenim in Charta de dicto anno 1241. die 24. Junii publicata Tridenti coram *D. Adelpreto Comite Tirolensi*, *D. Federico de Cleso Decano Trid.*, *Magistro Odolrico Scolastico &c.*, nuncupatur *Egeno Electus Brixinensis*; & in alia habente

te *Actum XV. Kal. Martii Indict.* 14. *Anno Domini* 1241. vocatur: *Egeno Dei gratia Brixinensis Ecclesiae Electus*. Dein an. 1248. ex *Administratore* salutatus *Episcopus Tridentinus*, ac *Praesul Sapiens* ob sua egregia merita nuncupatus. Favit ipse Archipresbytero Arcensi, ejusque Capitulo, uti tabulae testantur tenoris sequentis:

„ Anno Domini 1255. Indict. 13. die primo intrante .... „ in Tridento apud Castrum Civitatis Tridenti, praesentibus *D. Odolrico* „ *Trid. Decano*, *D. Odelrico Trid. Archidiacono*, *D. Aldrighetto de Castrobarco*, *D. Odolrico Panzera de Arco*, *D. VVielmo de Belvederio*, *D. Nicolao q. D. Gonselmi de Tridento*, & aliis Testibus &c. Ibique *Dominus Egno Dei gratia Sanctae Tridentinae Ecclesiae Venerabilis Episcopus* „ datam, cessionem & investituram fecit & concessit in D. *Gratiadeum* „ *Archipresbyterum Ecclesiae S. Mariae Plebis de Arco*, & in D. *VVizardinum Confratrem ipsius Ecclesiae de Arco*, & *totius Capituli praenominatae Ecclesiae*, nominatim de uno suo Horto & jamdicti Episcopatus „ Tridenti jacente in Territorio de Arco ubi dicitur *in Broilo*, secundum quod murus ipsius Ecclesiae de Arco vadit, & praedicti Fratres „ & Capitulum ejusdem Ecclesiae habebant & tenebant in praedicto loco „ *Broili*: cui cohaeret ab una parte terra & possessio jamdictae Ecclesiae „ de Arco, ab alia parte Broilum & terra Episcopatus Trid., ab aliabus partibus terra & possessio praedictae Ecclesiae de Arco, cum omnibus rationibus & actionibus, juribus praedicto Horto pertinentibus; „ ita ut de cetero jamdictus Archipresbyter & Capitulum ipsius Ecclesiae pro ipsa Ecclesia de Arco dictam datam & investituram habere & „ tenere & uti debeant, secundum quod alia bona & possessiones ejusdem Ecclesiae faciunt & facere possunt: dando eis *D. Odoricum Panzeram* qui eps pro ipsa Ecclesia in tenutam & corporalem possessionem inducat. Et insuper praenominatus Episcopus per se suosque „ Successores dictis *DD. Archipresbytero & VVizardino*, & vice sui Capituli, ac suis Successoribus promisit & convenit dictam datam & „ investituram in eis factam defendere & vvarentare & expedire ab omni potestate & persona cum ratione, & omnia suprascripta firma & „ rata habere, & non venire contra aliquo jure sub hypotheca bonorum Episcopatus.

„ (L. S.) Ego *Jacobus de Tajo* Domini Federici q. Imperatoris „ Notarius interfui & rogatus scripsi. “

Ubi

Ubi animadvertendum ad illud de Archipresbytero Plebis Arci, Confratribus, totoque Capitulo, quod an. 1251. pridie Idus Novembris *Innocentius* PP. IV. sua Bulla confirmarit Canonicorum Arcensium numerum, velut a *Gerardo* Tridentino Episcopo prius determinatum, quatenus nempe computato Archipresbytero decem essent dumtaxat, nec plures, neque pauciores.

Investiendum etiam *Egno* noster curavit *D. Henricum Sogam de Arco f. q. D. Friderici*, de bonis *Bertoloti de Dro rebellis*. Documentum hac de re loquens sic sonat:

,, Anno Domini 1258. Indict. prima, die Mercurii nono intrante Januario in Trid. in Domo sive Castro Domini Epi, praesentibus *D. Jacobo Mitisoco*, *D. Liabardo de Caldario*, *D. Trentino f. q. D. Othonis de Gando*, *D. Riprando Dñi Gonselmi*, *D. Nicolao Bissoli*, & aliis testibus. Quia dignum & juri conveniens esse videtur, ut Infideles de eorum perfidia pati debeant detrimentum, & Fideles de eorum legalitate suscipiant profectum non modicum & honorem: quo circa *Dominus Egno Dei gratia Tridentinus Episcopus* habens prae oculis qualiter *Bertolotus de Gosselingo de Dro* tanquam proditor proditoribus & infidelibus est nequissimus nequiter sociatus, & qualiter *D. Henricus Soga de Arco* tanquam fidelis & legalitate laudandus, servitia Sanctae Matris Ecclesiae exercuit laudabiliter toto posse, eidem Domino Episcopo devota obsequia impendendo, non immerito ipsi *D. Henrico* voluit debite providere. Quare idem *D. Egno Episcopus* fecit datam & investituram in manibus ipsius *D. Henrici* de omnibus bonis ipsius *Bertoloti* tam mobilibus quam immobilibus, quae habet in toto Episcopatu Tridentino tam in monte quam in plano; ita tamen quod ipse *D. Henricus* ea bona tam mobilia quam immobilia ipsius *Bertoloti* de cetero ipse & ejus heredes habere & tenere debeant; & exinde quicquid voluerit facere faciat, scilicet vendere, donare, pro anima judicare, & omnem piam utilitatem facere tanquam de re sua. Insuper idem Dominus Episcopus promisit per stipulationem per se & suos Successores dicto *D. Henrico* & suis heredibus, de cetero praedicta bona a violentia defendere & vvarentare; & dedit ei licentiam sua authoritate intrandi in tenutam & corporalem possessionem praedictorum bonorum.

,, Ego *Arnoldus* Not. D. Fed. Rom. Imp. interfui & rogatus ,, scripsi. "

Idem noster *Egno* Cultus exhibiti *Sancto Adelpreto*, seu Tridentinae Ecclesiae, una cum *Sancto Vigilio*, Patrono, fuit longe locupletissimus testis in Literis eodem anno 1258. *universis Christi fidelibus* directis. Mox sequenti anno veniam dedisse *Dominis de Campo*, ob favorem praestitum ab ipsis *qu. Ezelino de Romano*, hocce Diploma testatur:

„ Anno Domini 1259. Indict. 2. die Mercurii 5. intrante Novembri in Trid. in Palatio Episcopatus. Praesentibus *D. Bonomo Canonico Trid.*, *D. Ezelino de Egna*, *D. Gottofredo de Porta*, *DD. Aprovino*, *Calapino Judice*, *Olrico Mazorento*, & aliis Testibus. In Xpi nomine. Nos *Egno Dei gratia Trid. Episcopus* more pii Patris, qui offendentes Filios odisse non potest, mansuetudinis retinentes affectum juxta solitam ejusdem Patris misericordiam, qui non mortem peccatorum querit, sed potius ut ad penitentiam convertantur & vivant, *Virum Nobilem Graciadeum Filium D. Albertini Longini de Campo* Dilectum Fidelem Nostrum recipientem pro se & dicto Patre suo, & ipsum Patrem suum licet absentem, a Sententia privationis Honorum, Allodiorum, Feudorum & Bonorum omnium, propter favorem ab ipso, & ipso Patre ejus absente impensum *quondam Ezelino de Romano de heresi per Sedem Apostolicam condempnato*, per nos in eos & omnes alios Fautores & Coadjutores dicti Heretici promulgata, pro ut in ipsa Sententia plenius contineri dignoscitur, tenore presentium duximus liberaliter absolvendum: restituentes eis Honores, Allodia, Feuda, Justa & Bona omnia, que per nos sententialiter confiscata & publicata extiterant, secundum quod ipsi eorumque Antecessores hactenus habuerunt & possederunt; ita quod de cetero Honores, Allodia, Feuda, Justa & Bona omnia predicta habere & possidere debeant, nec non ad omnes legitimos actus, non obstante Sententia nostra hujusmodi, admittantur. Pro qua vero absolutione & restitutione idem *Nobilis Graciadeus* pro se & dicto Patre suo promisit & convenit per se suosque semper astare Nobis, nostrisque Successoribus ac Ecclesie, Civitati & Communi Trid. & nobiscum esse toto posse cum persona & rebus contra omnes Homines de Mundo Nobis, nostrisque Successoribus seu Ecclesie aut Communi predictis existentes contrarios vel rebelles, & specialiter contra Comitem & Domum Tyrol. fideliter potenter viriliter & patenter, & quod nunquam facient vel per aliquam interpositam personam fieri facient conjurationem seu conspirationem contra Nos, nostramque Ecclesiam, seu Successores nostros. Et pro sic attendendo & inviolabiliter observando ipse *Graciadeus* pro se & Patre suo

„ pre-

„ predicto voluntarie & spontanee Honores, Allodia, Feuda, & Bona „ sua omnia predicta in nostris manibus libere resignavit, ita quod si „ contra hoc venerint vel tempore aliquo fecerint, Honores, Allodia, „ Feuda & Bona omnia predicta in Nobis, nostraque Ecclesia Trid. sint „ aperta & liberaliter devoluta. Que omnia & singula rata, grata & „ firma habere imperpetuum, ac ea attendere & observare pro se & „ ipso Patre suo promisit, & corporaliter ad sancta Dei Evangelia ju- „ ravit non contravenire sub pena centum Marcarum argenti: de qua „ pena fuerunt fidejussores pro eis *DD. Jacominus de Lizana, Adelpre-* „ *tus de Madruzio, Pelegrinus de Beseno*; renunciantes quod principalis „ debitor prius sit conveniendus quam fidejussores. Suprascripto die, lo- „ co & testibus dictus Dominus Episcopus jure & nomine recti Feudi „ investivit ipsum *Graciadeum* recipientem pro se & dicto Patre suo, de „ omnibus Feudis, que condam fuerunt *qu. D. Cognovuti* & *qu. Papa-* „ *lardi*, & que tenebant in Feudum ab ipso Domino Episcopo & Epi- „ scopatu Trid., pro quibus Feudis idem *Graciadeus* juravit fidelitatem „ ipsi Domino Episcopo pro se & dicto Patre suo, pro ut in Sacra- „ mento fidelitatis Vasallorum continetur.

„ L. S. Ego *Arnaldus* Not. Domini F. Rom. Imp. interfui & ro- „ gatus scripsi. "

Anno 1262. constituit *Massarios, Dominos & Rectores ad Monetam fabricandam &c. prout illuc usque exercuerant Jacobinus q. D. Trintinelli, & ejus socii, Dominum Fazinum Hosterium, Thuresendum Apothecarium, & Benvenutum Corezollam*.

Anno 1263. *Ludovico* Palatino Rheni, ac Duci Bavariae, largitus est Investituram eorum bonorum, quae in Feudum concessa erant Comiti *Sibottono* de *Hademarsperg*. Monumentum legitur in *Bibliotheca Historica Gottingensi* Schediana pag. 188. edit. 1758. teste Cl. V. Jo. Bapt. de Gasparis, quem honoris caussa nominamus. Confirmationem hujusmodi Investiturae indicabimus sub mox sequenti Epo.

Anno 1265. dato diplomate *in Nova, in Ecclesia S. Benedicti Plebis de Nova*, investivit ad rectum Feudum de quibusdam *Mansibus in Valle Venusta*, Dominum *Warnerium de Tablato*; id quod praestitit *tamquam Comes de Piano*. Anno 1266. petiit restitutionem *Braydae Episcopatus jacentis apud Sanctum Adelpretum in pertinentiis Archi*.

Anno 1263. die 16. Maji sub datum *Bozani in Palatio Episcopali, cum uno Capucio quod in suis tenebat manibus, D. Beliottum de Drobossatis de Florentia Monetarium* investiivit *de Moneta in Tridento*, ita ut ipsam per annum unum cudere valeret *tam in parvulis, quam in grossis, videlicet parvulos ad ligam & compositionem, & valorem denariorum parvulorum Ve-*

Veronae, & grossos de XX. quorum unum tantum argenteum habeat, sicuti XX. *parvuli*. Anno 1273. die 4. Febr. primum lapidem Tridentini Coenobii & Ecclesiae S. Marci Evangelistae, Ordinis Eremitarum S. Augustini, ponendum commisit *Egno* noster Fratri *Bonaventurae* Provinciali Priori in Marchia Tarvisina.

Multa & gravia ob seditiones & bella perpessus est. Hinc imminutum valde ejus temporale dominium, neutiquam tamen penitus sublatum. Magis grassante contra ipsum persecutione, ad montana Pineti confugit, ad Castrum de *Belvedero*. Quasdam inire coactus est pactiones, quas veluti Ecclesiae suae noxias postea irritas & abolitas voluit. Ab luce sublatus est Paduae anno 1273. ubi die 25. Maji & suum condidit ultimum testamentum, ac in Tridentina Cathedrali suum Sepulcrum statuit, ad quod transferri contigit anno 1274.

Primus fuit ex Episcopis Tridentinis, quos habuisse Suffraganeos, seu Generales in Pontificalibus Vicarios novimus. Bonum se praebuit pastorem, liberalem, mitem, mansuetum, atque ad miserendum pronum, cujus illa iniquitas temporum digna certe non fuit. Ea caritate flagravit erga Christi Ancillas Domino in Monasteriis famulantes, ut miseratus Clarissarum S. Michaëlis extra muros Tridentinos, damna, quae passae fuerant *propter instantem guerram, malitiam temporis, & paupertatem loci*, ad opem illis ferendam opportunis eleemosynis, pios Fideles largitione Indulgentiarum sollicitaverit. Ingentis quoque animi se se virum exhibuit, tametsi propulsandis hostium incursionibus longe viribus imparem. Nihilo tamen secius, eo regnante, ut Estense Chronicon testatur, *Tridentini gravissimum jugum tyrannidis Eccellini* (de Romano) *a suis cervicibus excusserunt*. Quod confirmatur etiam ex Chronico Patavino, in quo ad an. 1255. haec referuntur: *Circa principium Aprilis Tridentini debellaverunt Ezelinum*: ibidemque subditur, quod *ad eos expugnandos misit exercitum per Vallem Suganam destruentem omnes Villas. Et tunc Ezelinus Ezelinum de Higna Nepotem suum, & suae Sororis filium jussit carcerari*.

Codex Diplomaticus adhuc exstat ab ejusdem Episcopi nomine *Egnonianus* dictus. Illud praeterea animadversione dignum, quaedam ejus Sigilla reperta fuisse figura rotunda, id quod in Episcopis insolens videtur. Qua de re consulenda Epistola Cl. Comitis Garampii pag. 484. primae Partis hujus Voluminis.

Adversus *Ezelinum de Romano* se se oppido *Egnoni* nostro fidelem ac strenuum praebuit *Nicolaus de Brenta f. q. Wecelonis*, seu *Vezilli*; hinc multa passus *pro Ecclesiastica Libertate tuenda Sanctae Matris Ecclesiae*. Fidelis quoque fuit *D. Riprandus de Arcu*; siquidem an. 1256. laudato *Egnoni fidelitatem juravit contra perfidum inimi-*

inimicum Sanctae Matris Ecclesiae Ecilinum de Romano. Ad feros rebellium animos compescendos idem Episcopus *accivit Fridericum de Arcu, cui ea de causa donavit VERUCAM VIDUAE, nunc ARCEM REST AURI &c.* Fuit insuper erga Tridentinam Ecclesiam tunc valde benefica *Domina Cubitosa f. q. D. Riprandi de Arcu*. In Chartis sub ipsomet *Egnone* scriptis nominantur *DD. Aldrighettus*, & *Azo fratres de Castrobarco*, *D. Silvester de Lodrono*, *D. Gozalchus filius D. Tteprandi de Formiano &c.* Eodem tempore vixit quoque *Fr. Gerardus Tridentinus* Ord. Praed. qui *S. Petrum* Veronensem anno antequam glorioso martyrio coronaretur, per Lombardiam est comitatus.

ODOLRICUS, sive *Ulricus de la Porta*, Episcopus intrusus sive per *Ezelinum*, sive per alios *Egnoni* Episcopo refractarios ac perduelles. An. 1252. *Electus* appellabatur.

LXXIX. HENRICUS II.

Fuit Protonotarius *Rodulphi* Caesaris, ex *Ordine Fratrum Alamannorum* adsumptus, electusque an. 1274. Mox a sui regiminis exordio res ipsi fuit cum *Maynardo* Goritiae ac Tirolis Comite. An. 1275. Indict. 3. quintodecimo Cal. Junias anno Regni *Rudolphi* Romanorum Regis secundo, apud Augustam manavit Caesarea Compositio dirimendarum, si fieri posset, omnium controversiarum gratia. Eodem anno sequens Juramentum fidelitatis dicto Episcopo Tridentini Syndici praestitere:

„ Anno Domini 1275. Indict. 3. die Veneris 6. intrante Decembri, Tridenti in Ecclesia B. Vigilii, sonata Campana Palatii ad Arengam publicam, in presentia Dominorum *Gozalchi* Decani, *Odorici* Archidiaconi, *Ezelini* & *Odorici de Campo*, ac *Olrici* Scholastici, & *Adelvrandi*, Canonicorum ipsius Ecclesie, *Erardi de Tingenstain* (al. *de Cvuingestein*) Capitanei Tridenti, *Federici* & *Vielmi* Fratrum *de Castrobarco*, *Nicolai Spagnoli*, & *Maximiani* Judicum, *Aproyni*, *Girardi* & *Nicolai* Fratrum q. D. *Zalemie de Castronovo*, *Pelegrini de S. Benedicto*, *Vielmi de Belenzano*, *Gabrielis de Porta*, & aliorum rogatorum Testium. Ibique coram Domino *Henrico* Dei gratia *Episcopo Tridentino* hoc infrascriptum Capitulum literaliter & vulgariter & coram Populo congregato in ipsa Ecclesia, scilicet in hunc fuit lectum modum: quia juravit ad Sancta Dei Evangelia universus Populus Tridentinus ibidem congregatus coram Crucifixo aureo D. N. J. X. sibi ostenso, & *D. Riprandus de Domino Gonselmo*, ac *Gerardus Capeletti* (in alio originali Documento *Corekti*) Sindici Communitatis Tridenti, nomine ejusdem Communitatis, promovere, conservare & defendere personam, dignitatem, potentiam & jura Ven. Patris Domini *Fr. Henrici*

„ Dei

„ Dei gratia Episcopi Tridentini, & eidem perpetuo, bona fide, sine „ fraude, & remoto omni odio, pretio, precibus & timore, obedien- „ tiam, reverentiam, fidelitatem & honorificentiam omni tempore exhi- „ bere, ipsum tam in spiritualibus quam in temporalibus in Dominum „ & Episcopum recognoscendo. Quod si aliqui contra predicta fece- „ rint vel tractaverint, cognoscant se ex nunc L. Municip. & Statuto „ Civitatis ad capitis detruncationem & ad bonorum omnium publica- „ tionem damnatos, medietate bonorum deferentibus assignata, alia ve- „ ro medietate bonorum in Fiscum seu Dominum reservata.

„ (L. S.) Ego *Zacheus* Sac. Pal. Notarius huic interfui, & ex „ mandato dicti Domini Episcopi scripsi. "

Eodem anno 1275. in Octava Epiphaniae in *Lengimos* quasdam Indulgentias Canonicis Regularibus Neocellensibus fuisse elargitum, certam mihi fidem fecit humanissimis Literis suis Cl. Vir Neocellensis Canonicus Regularis Philippus Nerius Puellius.

Pro sedandis turbis inter nostrum Praesulem, Tirolisque Comitem, vel post jam dictam Compositionem, exortis, factum est celebre Compromissum *Anno 1276. Indict. 4. octavo Kal. Junii in Valle Annaniae juxta Pontem Altum.* Accessit hujusmodi Compromisso consensus Capituli Tridentini eodem *an.* 1276. *Indict.* 4. *tertio Kal. Junii sub Castro Winec juxta viam:* quo etiam anno noster Antistes Dioecesanam Synodum habuit, ac (si fides adhibeatur Jo. Aventino in suis Excerptis Diplomaticis Pataviensis Ecclesiae) interfuit Diplomati, quod dedit laudatus *Rudolphus* Augustus *Petro Episcopo Pathaviensi* Viennae 3. Nonas Decembris.

Posteaquam autem eo ipso anno 1276. prodiit Sententia ejusdem *Rudolphi* lata inter nostrum Tridentinum Episcopum, ac Tirolensem Comitem, *Ulmae in Vigilia Beatae Mariae Magdalenae Regni anno tertio*, alia subsequuta est anno continuo sequenti hujusce tenoris:

„ *Rudolphus* Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Uni- „ versis Imperii Romani Fidelibus presentes Literas inspecturis gratiam „ & omne bonum. Super causa vel causis sive questionibus, que in- „ ter *Venerabilem Fratrem Henricum* Episcopum Tridentinum, Principem „ nostrum dilectum, ex una, & *Spectabilem Virum Meinhardum* Comi- „ tem Tyrolis ex parte altera vertebantur, in Nos utrinque tanquam in „ Arbitrum, Arbitratorem & amicabilem Compositorem, extitit com- „ promissum sic, quod quidquid de ipsis causa vel causis sive questio- „ nibus ordinaremus, diffiniremus seu pronunciaremus, ratum & firmum

„ ab

„ ab utraque partium debeat observari. Nos autem finem litibus &
„ odiose materie questionibus imponere cupientes, in Nos hujusmndi
„ recipientes Compromissum, statuimus, ut uterque tam Episcopus, quam
„ Comes, pacem & concordiam, quam inter eos novissime apud *Ulmam*
„ ordinavimus, singulis suis articulis inviolabiliter debeant observare.
„ Et si in aliqua parte, seu aliquibus articulis, aliquid est omissum,
„ quod ex forma pacis debuit adimpleri, hoc volumus & precipimus
„ ab eisdem vel eorum altero dilatione postposita adimpleri. De hoc
„ autem quod dictum est in forma pacis facte apud Ulmam inter pre-
„ dictos Episcopum & Comitem, quod de bonis pertinentibus ad *Ca-*
„ *strum de Spur* permutatio deberet fieri infra certum tempus, sic or-
„ dinamus & disponimus de voluntate ipsius Comitis, quod non ob-
„ stante lapsu temporis determinati in Instrumento pacis, adhuc permu-
„ tatio debeat fieri de ipsis bonis ab hinc usque ad Purificationem Bea-
„ te Virginis, & Castrum, permutatione facta de bonis, debeat Episcopo
„ libere assignari. Item omnia damna, que post tempus premisse pa-
„ cis apud Ulmam a Nobis statute, sunt alteri ab altero irrogata, si-
„ militer corrigi volumus & etiam emendari, juxta quod Nos duxeri-
„ mus moderandum. Item statuimus, ut omnia Castra, Munitiones &
„ Oppida, que predicto Comiti, vel ipsius Servitoribus, a prefato Epō, seu
„ ipsius Servitoribus sunt ablata, vel e contra, similiter hinc & inde restituan-
„ tur. Si vero post restitutionem libere factam predicto Comiti, vel ipsius
„ Servitoribus, Servitores predicti Episcopi aliquam contra predictum
„ Comitem, vel ipsius Servitores, habuerint actionem seu prosecutio-
„ nem, volumus & statuimus, ut predictus Comes, vel ipsius Servito-
„ res, illis indilate sine fraude & dolo exhibeant Justicie complemen-
„ tum: quod per omnia circa Episcopum & ipsius Servitores volumus
„ fieri & servari. Si vero Servitores vel Adjutores predicti Episcopi
„ nollent in restitutione Castrorum seu Munitionum hujusmodi ordina-
„ tioni nostre presenti parere, Nos dictum Comitem contra dictos Re-
„ belles juvabimus, & predictus Episcopus circa hoc factum faciet quod
„ eidem duxerimus injungendum. Si autem Servitores vel Adjutores
„ predicti Comitis essent in restitutione rebelles, ipsum Episcopum ju-
„ vabimus vice versa, & Comes similiter in hac parte mandato nostro
„ parebit. Item precipimus, quod predictus Comes *Erhardum & Fra-*
„ *tres suos de Tuingenstain*, & omnes alios Adjutores seu Servitores Epi-
„ scopi quocumque nomine censeantur, sincere gratie sue restituat, nec
„ occasione servitii prestiti supradicto Episcopo contra ipsum Comitem
„ ipsos in personis vel rebus gravabit, vel etiam molestabit: quod Epi-
„ scopus circa Comitis Servitores & Adjutores per omnia faciet & ser-

„ vabit.

„ vabit. Item de redificatione *Griffenstain* servari precipimus, quod in „ premissa pace apud Ulmam statuta extitit ordinatum: hoc addito quod „ nollumus Castrum ipsum per Comitem, vel per suos, infra tempus „ prefinitum in Privilegio Pacis aliqualiter edificari; & si quomodolibet „ edificatum fuerit, edificia precipimus demoliri. Item precipimus, quod „ nec Comes predictum Episcopum, nec Episcopus Comitem infra „ quinquennium impediat in *Moneta*; sed uterque Moneta quam ha- „ bet per predictum quinquennium utatur libere & quiete. In quo- „ rum omnium testimonium presens scriptum nostro & predicti Episco- „ pi & Comitis sigillis mandavimus communiri. Datum Vienne tertio „ Nonas Novemb. Indict. 6. Anno Domini 1277. Regni vero nostri „ Anno quinto. Nos H. Episcopus, & M. Comes predicti prescriptam „ Compositionem inter nos, a Serenissimo Domino nostro statutam, ra- „ tam tenentes & quietam, ipsam promittimus inviolabiliter observare, „ in signum ratihabitionis nostre sigilla nostra presentibus appendentes.

(L. S.)	(L. S.)	(L. S.)
Regis	Episcopi	Com. Tirol.

Praefatus *Erhardus*, ejusque *Fratres*, scilicet *DD. Nicolaus*, *Jacobus*, & *Joannes*, tamquam Nobiles *Milites*, & *Viri mirae constantiae*, & *probitatis*, & *possibilitatem habentes*, jure ac merito fuere ab Episcopo nostro donati *Castro*, quod *Mejanum* nuncupatur.

An. 1278. die penultimo Martii praeceptum tulit idem noster Antistes, adegitque ad publicanda bona, quorum jus Ecclesia S. Thomae inter Arcum & Ripam habebat; uti notatum lego in MS. Catalogo P. Ambrosii Rosmini. Eodem anno 1278. *effectus est Civis Paduanus*. Quapropter legere est in *Mantissa adjecta Chronico Monachi Paduani* To. 8. *Rer. Ital. Script.* col. 737. quod *Episcopus Tridentinus & populus se subjecerunt Domino Paduae an. Domini MCCLXXVIII. Et missus fuit per Paduanos Potestas Dominus Marsilius* (de) *Parthenopaeo, ex quo orta est guerra inter Paduanos, & Veronenses*. Atque hinc pronum est intelligere, cur *Tridentinorum*, ac *Civitatis Tridenti* occurrat mentio in *Instrumento Societatis & Ligae factae* ipso an. 1278. *inter Civitates Patavii, Mutinae, Cremonae, Brixiae &c. contra Veronenses*, To. 4. *Antiq. Ital. medii aevi* col. 409. ac seq. relato. Verumtamen anno mox sequenti 1279. *mense Augusti, Episcopus, & populus Tridentinus subtraxerunt Tridentum de fortia Paduanorum, licenciato curialiter D. Marsilio de Partenopeo suo Potestate pro Communi Paduae*, quemadmodum testatum facit Chronicon Patavinum cit. To. 4. *Antiq. Ital.*, ac memorata Mantissa.

Praefato anno 1279. haec facta est Compositio inter ipsum Episcopum, & Communitatem Veronensem:

„ In

„ In Dei nomine. Amen. Die Mercurii quarto intrante Octobri, „ in Domo nova Communis Verone: presentibus D. *Johanne* Milite „ Potestatis, & *Bertoldo* Notario *de Bonomo*, *Petro Domini Chrispiani*, *Ghirardo de Otonello*, & *Johanne de Pyo* Notario, & *Marcheto* Viatore Verone, Testibus, & aliis multis. In Consilio Ancianorum Communis „ Verone more solito congregato, *D. Glazesius de Carbonensibus* de Bononia Potestas Verone, & *D. Albertus de Scbalis* Capitaneus Generalis „ Populi Verone, nec non *D. Brunamotus de Poja*, *Antonius Pelegrini*, „ *Omnebonus de Aymo*, *Omnebonus de Zonchada*, *Johannes de Becaina*, *Bonaventura de Mazeraga*, *Bonus Carterius*, *Boninsegna de Oxella*, *Vitalis* „ *Bivaqua*, *& Persius q. D. Persone*, Anciani predicti Communis, pro se „ & dicto Communi Verone, juraverunt ad Sancta Dei Evangelia coram Dominis *Gerardo & Maximiano & Riprando Ambaxatoribus Domini* „ *Episcopi Tridentini* pacem, concordiam, finem & remissionem, pacta, „ promissiones & obligationes factas inter Ven. Patrem Dominum *Henricum* Dei gratia Episcopum Tridentinum & Commune Tridenti, & „ *D. Jacobum Cesarensem* Syndicum Communis Verone Syndicario nomine pro ipso Communi, & ipsum Commune, & Lauda seu Precepta „ facta per Nob. Virum *D. Diatbalmum de Villalta* Arbitrum, Arbitratorem & amicabilem Compositorem inter predictos, & omnia & singula que continentur in Instrumento dicte Concordie & Laudi, confecto per *Bonavezutum* Notarium de Feltro & me *Scbenellam* Notarium, „ die tertio exeunte Julio presentis Millesimi, in perpetuum firma & „ rata habere & tenere bona fide, sine fraude, & nullo modo, ingenio „ seu causa contravenire predictis vel alicui predictorum: & precepit & „ mandavit dictus Potestas, quod omnes & singuli de Verona hostiatim „ jurent ut superius continetur.

„ Die quoque Sabathi septimo intrante Octobri super Domo Mercatorum Verone: presentibus *Omnebono de Fabris*, *Pantiloca & Antonia* „ *de Bruxamabia* Notariis, & *Gratiolo* Viatore dicte Domus, Testibus, & „ aliis multis: in Consilio Mercatorum Verone more solito congregato „ *D. Albertus de Scalis* Potestas Mercatorum Verone, & *D. Pencivalus* „ *Borsenus* Syndicus Consilii & Universitatis dictorum Mercatorum ad „ hec specialiter constitutus, ut continetur in Charta facta per me Notarium die suprascripto, juraverunt ad S. D. E. pro se & Universitate Mercatorum Verone, & promiserunt dictis Ambaxatoribus Domini Episcopi Tridentini & Communis Tridenti stipulantibus, attendere „ & observare in omnibus & per omnia, ut Domini Potestas & Anciani Verone juravere, & facere & curare, quod omnia & singula perpetuo attendent & observabunt per Commune Verone sub pena mille

„ Marcarum argenti boni & legalis, & obligatione bonorum Universi-„ tatis dictorum Mercatorum.

„ Insuper infrascripti Mercatores Verone simul & quilibet pro se „ constituerunt se fidejussores & principales attendentes ad suprascripta „ omnia & singula attendenda & observanda: promittentes & jurantes „ dictis Ambaxatoribus pro Domino Episcopo & Communi Tridenti „ ita facere attendi & observari per Commune Verone sub dicta pena „ mille marcarum argenti boni & legalis & obligatione suorum bono-„ rum: videlicet Consules Mercatorum D. *Jo. Leobardi*, Ser *Guilielmus* „ *Gualdrighi*, Ser *Bonaventura Folceii*, Ser *Giroldus Mazola*, Ser *Hendri-* „ *getus de Bruno*, Ser *Jacobus Zignoli*, Ser *Fatus Tinctor*, Ser *Sopramo-* „ *tus de Besena*, Ser *Benvenutus Sartor*, Ser *Brunamotus de Codemarzo*, „ Ser *Bonaventura de Castagneto*, Ser *Aprilis de Torri*, Ser *Zordanus de* „ *Almerico*, Ser *Ottolinus Merzarius*, Ser *Nasimbenus de Pojano*, Ser „ *Grifalconus de Insulo*, Ser *Vivaldus Belandi*, Ser *Bonzenus Tinctor*, Ser „ *Florianus Petri de Floriano*, Ser *Brunus Nautius*, Ser *Gabriel Capellus*, „ Ser *Leonardus Henrici Specialis*, Ser *Theobaldus Coperici*, Ser *Benedictus* „ *de Marello*, Ser *Jo. de Becaina*, Ser *Guilielmus de Cantono*, Ser *Gabriel* „ *de Frederico &c.* Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo „ nono Indict. septima.

„ (L. S.) Ego *Schenella* filius olim *D. Jo. Sburii* Imp. auth. No-„ tarius interfui & rogatus publice scripsi. “

In quadam Membrana Episcopalis Tabularii Tridentini recensentur nomina omnium Hominum, qui jure jurando testati sunt se constanter servaturos praedictam pacem atque concordiam; in qua Membrana *quinque assignantur in Verona Quarteria nempe* 1. *S. Ceciliae*. 2. *S. Salvatoris de Curte Regis*. 3. *de Clavica*. 4. *de Gnaita Feraboum*. 5. *de S. Georgio*.

Eo ipsomet anno 1279. mense Novembri idem Praesul noster aliam Synodum Dioecesanam coëgit. An. 1281. die 9. Febr. rata habuit quaedam *Jura antiqua per antiquos suos Praedecessores concessa Communitati de Flemis a Scario allegata*.

Anno 1282. interfuit Aquilejensi Synodo, cujus Constitutiones in vetusta Membrana Tabularii publici civitatis Arcensis sub lit. D. XV. VI. reperit A. R. D. Franciscus Santonus in Licaeo Arcensi Sac. Th. Professor, nobisque communicavit, quas cum editis a Cl. P. de Rubeis *in Monum. Eccl. Aquilej.* col. 781. & seq. contulimus, ac deprehendimus cum iisdem, nonnullis verbis exceptis, concordare.

Anno 1286. accepit Epistolam ab *Ulrico de Taufers*, jam vulgatam *Vol.* 2. *pag.* 607., qua idem *Ulricus* in favorem *Ludovici* Bavariae Ducis resignavit quaedam Feuda olim ab Eccle-

Ecclesia Tridentina, concessa *Siboto-ni*, & *Conrado* Comitibus de *Hadmarsperg*.

Anno 1288. noster *Frater Henricus* fuit unus ex iis Praesulibus, qui sub datum Romae, visitantibus & adjuvantibus Capellam *S. Zenonis Curiensis Dioecesis* Indulgentiarum Literas concesserunt, relatas a Cl. Antonio Roschmanno in Lib. de S. Valentino Passaviensi pag. 180. Similem Indulgentiarum largitionem, cui subscriptus habetur idem noster Antistes an. 1289. Romae, citavimus *Vol. 2. pag. 164.*

Eodem an. 1289. habetur monumentum ob plures peculiares notitias plane dignum, ut a nobis integrum heic referatur. Loquitur in haec verba:

„ In nomine D. N. J. X. Amen. Anno Nativitatis ejusdem 1289. „ Indict. 2. mense Februario die 23. In presentia mei *Petri de Trajecto* „ Notarii, & Testium subscriptorum. Cum hoc sit ut asseritur, quod „ quondam *D. Jacominus de Garduno*, Tridentine Diocesis, olim habuerit „ & tenuerit a Domino Venerabili Patre *Henrico* Dei gratia Episcopo, „ & Ecclesia Tridentina, medietatem duorum Castrorum, quorum unum „ vocatur *Gresle*, & alterum vocatur *Nomesin*, & alias terras, possessio- „ nes, jura, & jurisdictiones positas in Diocesi Tridentina; & *D. Finchus* „ *de Cacenzoc* ejusdem Diocesis olim simili modo habuerit & tenuerit in „ Feudum a Domino Episcopo & Ecclesia Trid. predictis, unum Mansum „ positum in Plebe *Mais*, & alios Mansos, terras, & possessiones: & „ quondam *D. Thomasius de Sejano* etiam simili modo habuerit & tenue- „ rit in Feudum a Domino Episcopo & Ecclesia Tridentina jamdictis, quod- „ dam Castrum, quod vocatur *Sejanum*, & alias terras, & possessiones, „ jura & jurisdictiones positas in Diocesi Tridentina: & predicta omnia „ Castra, Mansi, terre, & possessiones, jura, & jurisdictiones, & gene- „ raliter quicquid predicti Domini Jacominus, Finchus, & Thomasius „ habuerunt & tenuerunt in Feudum & nomine Feudi a Domino Epi- „ scopo & Episcopatu ac Ecclesia Trid. in Civitate, Districtu, & Diocesi „ Trid. & in quolibet alio loco reversum, seu reverse sint, & pervene- „ rint, seu redierint in dictos Dominum Episcopum, Episcopatum, & Ec- „ clesiam Trid., Venerabilis Pater Dominus *Henricus* Dei gratia *Triden-* „ *tinus Episcopus* considerans & attendens multa & magna servicia facta & „ prestita eidem Domino Episcopo, & Ecclesie Tridentine per *Maynardum* „ *f. q. Nob. Viri D. Tridentini de Gando*, videlicet in equitando cum „ ipso Domino Episcopo cum armis & sine armis ad Dominum Patriar- „ cham Aquilegensem, & per Episcopatum Tridentinum, & cum eo exi- „ stendo in *Castelmanio*, ubi idem Dominus Episcopus obsessus & capti- „ vatus fuit per Ministeriales Domini Comitis Tyrolensis, nunc Ducis

„ Carinthie, & similiter cum ipso Domino Episcopo per Lombardiam
„ ad Dominum ... Episcopum *Portuensem* tunc Legatum Sedis Aposto-
„ lice, & per Alemaniam ad Dominum *Rodolfum* Dei gratia Illustrem
„ Romanorum Regem, & ad Romanam Curiam in servicio ejusdem Do-
„ mini Episcopi, & Ecclesie sue Tridentine, & alia multa pro dicto
„ Domino Episcopo, & Ecclesia sua predicta, servitia & obsequia im-
„ pendendo: & volens ac cupiens dictus Dominus Episcopus utilitati
„ dicti Episcopatus & Ecclesie Tridentine prospicere, & dictum *Maynar-*
„ *dum* remunerare de predictis obsequiis & serviciis eidem Domino Epi-
„ scopo & Ecclesie Tridentine prestitis per *Maynardum* predictum, dedit
„ & concessit pro se & suis Successoribus in rectum Feudum dicto *May-*
„ *nardo* presenti & recipienti pro se & suis Successoribus, dictas me-
„ dietates dictorum *Castrorum Grefle* & *Nomesini*, & dictum *Castrum Se-*
„ *jani*, & dictos Mansos, terras, & possessiones, jura & jurisdictiones,
„ & generaliter quicquid predicti Domini Jacominus, Finchus, & Tho-
„ masius olim habuerunt & tenuerunt in Feudum & nomine Feudi a
„ Domino Episcopo, Episcopatu, & Ecclesia Tridentina, in Civitate, Di-
„ strictu, & Dioecesi Trid. & in quocumque loco. Et ibi incontinenti dictus
„ Dominus Episcopus per suum annulum, quem tenebat in manibus, de
„ predicto Feudo eundem *Maynardum* investivit, ipsumque in tenutam &
„ vacuam possessionem inducere promisit pro se suisque successoribus,
„ cum expensis & obligatione bonorum dicti Domini Episcopi & Eccle-
„ sie Trid. de predictis omnibus & quolibet predictorum &c. Ibique
„ incontinenti dictus *Maynardus* ad Sancta Dei Evangelia juravit fidelita-
„ tem dicto Domino Episcopo, & amodo in antea erit fidelis ipsi Do-
„ mino Episcopo, Episcopatui, & Ecclesie Tridentine, sicut Vassallus
„ Domino suo, & quod nunquam scienter erit in consilio vel auxilio,
„ facto vel opere, quod ipse Dominus Episcopus amittat aliquem suum
„ honorem, & si sciverit, vel audiverit de aliquo, quod velit aliquid
„ predictorum facere contra Dominum Episcopum, quod pro posse suo
„ ut non fiat impedimentum prestabit, & si non poterit, quam citius
„ ipsi Domino Episcopo nunciabit &c. Actum Rome apud S. Mariam
„ in Dompnica *in Domo S. Marie Theotonicorum*, presentibus Venerabi-
„ libus & Discretis Viris Dominis *Bernardo Preposito Celle Episcopalis*
„ Constantiensis Dioecesis, *Johanne Archidiacono Tridentino*, *Belegante de*
„ *Sancto Georgio* Decretorum Doctore Dioecesis Veronensis, Fratre *Gotti-*
„ *fredo* dicto *Lescone* de Ordine S. Marie Theotonicorum Domini Pape
„ Hostiario, Fratre *Eberardo* Fratre dicti Ordinis Capellano Domini Epi-
„ scopi Tridentini, *Nicolao* Scriba Domini Basiliensis Episcopi, *Conrado*
„ dicto *Capellano* Clerico Prepositi supradicti, *Henzelberto*, & *Petro* Fa-
„ milia-

„ miliaribus dicti Domini Episcopi Trid., *Bonino de Cavedeno*, & *Tridentino de Tridento de Contrata Sancti Martini*, & aliis pluribus ad hoc „ specialiter vocatis & rogatis Testibus, Anno, Mense, Die, & Indi„ ctione predictis; Pontificatus vero Domini Nicolai Pape IV. anno „ secundo.

„ (L. S.) Et ego *Petrus de Trajecto* Apostolice Sedis auctoritae „ Notarius predictis interfui, & de mandato predicti Domini „ Episcopi Trid. & ad preces Maynardi prefati scripsi, & pu„ blicavi, & signum meum feci. "

Supra memoratis Caesareis Compositionibus atque Sententiis minime obstantibus, adhuc noster Antistes adversa plurima ad mortem usque animo plane inexpugnabili sustinuit, quae *Odoricus de Bulsano* literis consignavit. Debitum mortalitatis persolvit, pacatiori, longiorique regimine profecto dignus, anno 1289. in Romana Curia, ubi forte se se receperat auxilium in Ecclesiae suae favorem imploraturus: verisimiliter tumulatus in Templo *S. Mariae Theotonicorum*, uti ex Diplomate modo descripto colligitur.

Nostri *Henrici* aevo floruere *Odoricus*, *Henricus*, *Ezelinus*, & *Vielmus* fratres, & filii q. D. *Ezelini de Egna*, *Rempretus de Altavarda de Livo*, *Adelpretus de Mezo*, *Galandus de Salurno*, *Bertoldus Tanuzus de Levigo*, *Federicus de Terlacu*, *Conradus de Formigaro*, *Albertus* Canonicus Veronensis, *Fridericus*, *Leonardus*, *Gulielmus*, *Bonifacius*, & *Abrianus* Ordinis Minorum professor, omnes filii *Azonis q. Abriani de Castrobarco*.

LXXX. PHILIPPUS.

Ex praeclara *Bonacolsiorum* familia Mantuae ortus, atque *Ordinis Minorum S. Francisci* alumnus. Anno 1288. die 17. Augusti, cum esset Fidei Quaesitor in Marchia Tarvisina, ob singulares favores ab eo praestitos Monasterio S. Laurentii extra muros Tridenti, Ordinis S. Benedicti, a *Gerardo* Abbate, totoque Conventu effectus fuit particeps spiritualium ejusdem Monasterii bonorum. Inde anno 1289. pridie Calendas Augusti a *Nicolao* Quarto Summo Pontifice designatus, propriisque manibus consecratus fuit Episcopus Tridentinus, licet invitus, cum alios sibi oblatos Episcopatus antea constantissime respuisset. Eodem anno 1289. duo Brevia ejusdem *Nicolai* Papae manarunt in Causa, quae praefatum Episcopum inter, & Comitem Tirolis versabatur.

Anno 1290. *Bernardus* Episcopus Paduanus, una cum Abbate Monasterii S. Benedicti de Padolirone, seu potius cum *Domino Bernardo Monacho S. Benedicti de Padolirone*, uti habet alia Charta, cum-

que

que *Simeone Mauro* Primicerio S. Marci Venetiarum Castellanae Dioecesis, in eadem Causa Processum instituit, & contra Tirolensem Comitem Sententiam tulit.

Anno 1291., jam defuncto *Johanne* Abbate Monasterii S. Benedicti de Padolirone, rejectaque postulatione a Monachis facta in favorem B. Prioris Omnium Sanctorum Mantuae, idem Papa *Nicolaus* nostrum *Philippum* constituit ejusdem Monasterii Administratorem in spiritualibus & temporalibus, ad Apostolicae Sedis beneplacitum, nedum caussa restaurandae inibi regularis disciplinae, verum etiam recuperandorum bonorum, quae plerorumque potentium violentia distraxerat, atque usurpaverat, uti constat ex Bulla ejusdem Pontificis data Urbeveteri sexto Idus Junii Pontificatus anno quarto, in Regesto Ep. 279.

Anno 1294. cum adhuc aestuarent controversiae inter nostrum Praesulem, & Comitem Tirolis, *Coelestinus* Quintus Papa mandavit absolutionem ab excommunicatione, quam idem Comes incurrerat. Anno 1295. *Bonifacius* Octavus haud obstante generali revocatione eorum, quae a suo Praedecessore in Commendam collata fuerant, confirmavit eidem Antistiti nostro Padolironensem, sub *Dat. Laterani II. Kalendas Maji Pontif. anno primo*, in Reg. Ep. 129.

Ipso anno 1295. prodiit mandatum *Wolpbardi* Epi Augustensis, & *Conradi* Abbatis Wiltinensis, Sedis Apostolicae Delegatis, pro concordia inter Epum Tridentinum, Comitemque Tirolis facienda: quo etiam anno absolutio ab excommunicatione data est eidem Comiti, agente praedicto *Conrado* Abbate Wiltinensi, & vice Augustensis Epi alio *Conrado* Sancti Mauritii Augustensis Decano, confectumque restitutionis Castrorum ac Jurium Tridentini Episcopatus publicum Instrumentum, *praesentibus Venerabilibus Viris Domino Friderico Abbate de Stammes, Gerardo Abbate Monasterii S. Laurentii juxta Tridentum, Henrico Praeposito S. Michaëlis Tridentinae Dioecesis: & Honestis Viris Dominis Fratribus Bono Guardiano Ordinis Fratrum Minorum juxta Tridentum, Bonainsigna ejusdem Ord., Fr. Bonacontro Priore FF. Praedicator. apud Trid., Fr. Lanfranchino de Cremona Lectore dictor. FF. Praedicator. Fr. Nicolao, & Fr. Alberto ejusdem Ordinis: Viris etiam Religiosis Dominis Fr. Paulino Fratrum Heremitarum in Tridento, Fr. Homodeo ejusdem Ordinis: Honestis Viris Domino Gotschalco Decano Ecclesiae Tridentinae Majoris, & aliis Canonicis, videlicet Magistro Rudulpho de Mixina, Giselberto de Brentonico, Olrico & Ezelino de Campo, Jacobo dicto Comite, Volrico Juvene, Libanorio Plebano Bozanense &c.*

Anno 1296. praefatus Pontifex *Bonifacius* nostro *Philippo* facultatem largitus est exercendi suam jurisdictionem ordinariam & contentiosam etiam extra limites suae Dioecesis per tres dietas, eo nomine quod neutiquam posset in propria Dioecesi tute residere *propter potentiam & ma-*

& malitiam quorumdam Nobilium, qui terras, castra, jura &c. Ecclesiae Tridentinae per violentiam occuparant, sub datum *apud S. Petrum Idibus Aprilis Pontificatus anno secundo*, in Regesto Ep. 88. Huc usque indicata monimenta Vaticana mihi humanissime communicavit Cl. Comes Josephus Garampius, dignissimus Basilicae Vaticanae Canonicus, & Archivo Apostolico secretiori Praefectus.

Anno eodem 1296. Idibus Novembris Francofurti Praesul noster *Philippus* Regalia suscepit ab *Adulpho* Romanorum Rege. Diploma descriptum videsis, Vol. 2. pag. 630. Heic aliud adjecerim hujus tenoris:

„ *Adolphus* Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus. Universis Sacri Imperii Fidelibus presentes Litteras inspecturis gratiam „ suam & omne bonum. Pensantes quanta fuerint studia Divorum Imperatorum & Regum Predecessorum nostrorum erga Ecclesias Sacrosanctas, pium opinamur illas a quibuscumque lexionibus preservare. „ Sane cum ad Serenitatis nostre pervenerit notionem, quod *Meinhardus* „ quondam Dux Karinthie & Comes Tirolis Ecclesiam Tridentinam & „ Venerabiles Episcopos bone memorie *Eganonem* & *Henricum* Episcopos „ Tridentinos multis quassavit procellis & agressibus bellicosis: quare „ compulsi fuerunt Episcopi prelibati Concessiones, Investituras & Donationes atque Alienationes de bonis ipsius Ecclesie prefato *Meinhardo*, „ & nonnullis aliis facere, datis Litteris vel confectis publicis Documentis, que servate vergunt in ipsius Ecclesie non modicum „ detrimentum. Nos volentes ipsi Ecclesie de remedio consulere „ opportuno, Investituras, Donationes, seu Alienationes quaslibet „ bonorum vel rerum in prejudicium ipsius Tridentine Ecclesie ab „ iisdem *Eganone* & *Henrico* factas, etiamsi tantum effluxerit temporis quod perventum ad prescriptionem legiptimam videatur, de „ plenitudine Potestatis Regie cassamus, irritamus, cassaque, irrita „ nuncupamus, nulliusque firmitatis decernimus vel momenti. Statuendo quod in rebus & bonis ipsius Ecclesie Tridentine detentis vel „ occupatis temporibus *Eganonis* & *Henrici*, & insuper Venerabilis *Philippi* Episcopi Tridentini Principis nostri Dilecti nulla prescriptio, „ nullusque transcursus adversus ipsam Ecclesiam incompetentem vendicet sibi locum. In quorum omnium testimonium evidens & robur „ Sigillum nostre Serenitatis Regie duximus apponendum. Datum Frankinfurt Idib. Novembris Regni nostri Anno quinto.

„ (L. S.) Ego *Mannus* filius Ser *Nerii Manni de Aretio* Imperiali auctoritate Judex ordinarius & Notarius predictum exemplum de suo

„ Ori-

„ Originali fideliter exemplavi &c. Cui quidem exemplo sic lecto & „ auscultato in presentia Sapientissimi Viri *D. Francisci de Aretio* Vicarii Tridentini pro Ven. in Xpo Patre & Domino Domino *Nicolao* Epo Tridentino, nec non concordare invento, idem D. *Franciscus* Vicarius suam Auctoritatem interposuit & Decretum &c. An. 1339. Indict. 7. „ die 26. Novembris &c. “

Visus quidem est *Maynardus* quale quale resipiscentiae specimen praestitisse *Nicolao IV.* supra laudato, uti colligitur ex ejusdem Epistola ad Abbates S. Rufini, & S. Mariae de Felonica Monasteriorum Mantuanae Dioecesis, sed ad cor nullatenus rediisse experientia ipsa postea monstravit. Etsi enim vel urgente *Coelestino* summo Pontifice fidejussionem de reddendis Ecclesiae Tridentinae bonis praestiterit; adhuc nihilominus in suo proposito obfirmatus permansit, quemadmodum ostendunt Literae *Bonifacii VIII.* datae *Ottobono* Patriarchae Aquilejensi, quas *Vol. 2. pag. 633. ac seq.* produximus. Facti tamen poenitentem decessisse, testatur sequens ejus Codicillus:

„ Anno Domini 1295. Indict. 8. die Sabbati tertio exeunte Octobre supra Castrum de Greiffenberch ...... Diocesis: in presentia honorabilium virorum DD. *Friderici* Abbatis de Stames Ordinis ...... „ & suorum Sociorum, & Fratrum ...... predicti Ordinis, *Conradi* „ Abbatis de Witinga (*Wiltina*) Ordinis .... Brixinensis Diocesis, „ *Henrici Ruvernerii* Canonici Ecclesie Brixinensis, Magistri *Rudolphi* „ Canonici Ecclesie Brixinensis, & Notarii D. Mainhardi inclyti Ducis „ Karinthie, Magistri *Rudolphi* de *Mixina* Canonici Ecclesie Tridentine, ... Plebani in Greiffenberch, *Dieterici* Plebani &c. Nobilium „ etiam virorum DD. *Hainrici* de *Rotbenburck*, *Hainrici* de *Avverstein*, „ & sui filii, *Conradi* Pincerne de *Altenburck*, *Petri* dicti *Trausun* de „ Reysneke, atque *Uschni*, & *Ludevvici* Notariorum Illustris Domini „ Meinhardi Ducis praenotati, & *VValtherii* ejus Camerarii, & aliorum „ Testium quam plurium fide dignorum ad hoc rogatorum.

„ Cum certum sit, Principem Magnificum D. *Meinhardum* Ducem „ Karintie, & Comitem Tyrolis & Goritie, Testamentum & Dispositionem, seu Ordinationem omnium suorum bonorum die hodierna coram Testibus suprascriptis rite & provide fecisse, & ordinasse, ipso „ existente in lecto, infirmus & debilis valde, & licet corpore languens, „ tamen per graciam Omnipotentis sanus mente, & sensu, ac bone intelligentie, considerans hujus Mundi, & humane nature fragilitatem „ cito fore labilem, ab intestato decedere nolens, de bonis suis omnibus

„ bus dispoſicionem & teſtamentum in hunc modum facere procuravit. „ Et inter cetera, que in ſuo ultimo Teſtamento diſpoſuit, & ordinavit, prout per manus mei Ottonis Notarii conſcriptum eſt die hodierna.

„ In primis in Chriſti nomine ſuam elegit ſepulturam apud Ecclesiam beati Johannis in Stames Ordinis Ciſtercienſis Brixinenſis „ Dyoceſis.

„ Item voluit & ordinavit idem D. Teſtator, quod de bonis ſuis „ univerſaliter omnibus ſpecialiter, & generaliter, omnia male ablata, „ & indebite acquiſita, omnino reſtituantur juxta graciam, pietatem, & „ miſericordiam illorum, quos offendiſſet, vel de bonis ipſorum minus „ rite accepiſſet, ſive fuerunt poſſeſſiones, debita, municiones, caſtra, „ fortalicia, vel alia bona quocumque nomine dici poſſunt ubique lo„ corum in Epiſcopatu Tridentino, vel alibi poſita, que ad alias per„ ſonas de jure ſpectaverunt, & hoc probari poterit, ſicut juris ordo „ poſtulat, illa Bona quocunque nomine dici poſſunt, voluit, quod he„ redes & filii ſui reſtituant illis perſonis, ad quas de jure pertinere „ debent.

„ In omnibus vero aliis ſuis bonis quocunque nomine dici poſ„ ſunt, exceptis per cum legatis, ut in ſuo Teſtamento continentur, „ ſibi equales, & communes heredes inſtituit filios ſuos Dominos *Otto„ nem*, *Hainricum*, & *Ludovicum* ibidem preſentes, qui etiam de man„ dato ipſius Teſtatoris eorum patris preſtiterunt juramentum bona fide „ adimplere omnia, que diſpoſuit, legavit, precepit, & ordinavit, ut „ in ſuo Teſtamento de verbo ad verbum eſt conſcriptum. Et de con„ ſilio Sapientis dedit mihi *Ottolino* Notario publicandum omnia ſupra„ ſcripta contenta in ſuo Teſtamento.

„ Ego Wernherus ex Novo Burgo Bozani Sacri Palatii Notarius, „ cum in Breviatura quondam D. Ottolini Notarii quandam inveniſſem „ Breviaturam non cancellatam, ex ea exſcripſi Articulos ſupraſcriptos, „ poſui prout inveni, auctoritate D. *Heinrici* Venerabilis Epiſcopi Tri„ dentini, nec non ex auctoritate D. *Hainrici* inkliti Regis Bohemie & „ Ducis Karinthie fideliter exſcripſi, nihil addens, vel minuens, quod „ ſenſum, vel ſententiam mutet in aliquo. Et ſub meo Signo ad pu„ blicam formam reduxi."

Ne quidem poſt haec, ac poſt Maynardi obitum, eodem an. 1295. die 31. Octobris ſequutum, *Philippus* noſter in ſua Dioeceſi reſidere valuit, obſiſtentibus illi memoratis Maynardi filiis. Nihilo tamen ſecius hae redditae ſunt ei rationes de Collectarum introitu & expenſis a D. *Odorico* de *Coredo* Milite:

„ L. ✠ S.

„ L. ✠ S. Anno Domini 1303. Indict. 1. die Sab. 7. intrante „ Sept. Tridenti in Palatio Episcopatus: presentibus *DD. VValengo Plebano Marnice*, *Bonzubano Not. infrascripto Canonico Trid.*, *Antonio de Leudro Judice*, *Widone Judice*, *Simone de Gardulis*, *Walterio de Flaono*, *Daynesio de Clexio*, *Zano de Ripa Not.*, & *Nucio de Florentia habitatore Trid.* & aliis testibus rogatis. Certum est *Venerabilem Patrem Dominum Fratrem Philippum Dei & Apostolica gratia Episcopum Trid.* pro „ urgentibus necessitatibus & evidentibus utilitatibus Episcopatus & Ecclesie Trid. generalem hiis temporibus Subditis & Districtualibus suis „ videlicet quadraginta soldorum & dimidii pro quolibet foco imposuisse „ Coltam, & Virum prudentem *D. Odoricum de Coredo Militem*, cujus „ in hac parte fidem, industriam & diligentiam approbavit, Collectorem, Receptorem & Exactorem Collecte hujusmodi deputasse. Certum est insuper eundem Dominum Episcopum commisisse Camerario „ suo *F. Bonomino de Godio*, quod a Collectore prefato racionem introitus & expense dicte Collecte reciperet & audiret, & habita pecunia „ que restaret eidem Collectori remissionem, quietationem & finem ipsius Domini Episcopi nomine faceret de predictis, prout expediens videretur, sicut de imposicione, deputacione ac commissione predictis „ patet per legitima munimenta. Itaque idem *D. Odoricus* Collector „ prefato Camerario recipienti nomine Episcopi, Episcopatus & Ecclesie „ premissorum coram me infrascripto Notario & testibus suprascriptis „ publice recognovit, se vice ac nomine prefati Domini Episcopi habuisse & recepisse ac sibi integre non spe future remuneracionis datas, solutas & numeratas esse a Communitatibus & Hominibus infrascriptis pretextu Ecclesie Trid. infrascriptas pecunie quantitates. Nam „ primo quinque millia sexcentas & sexaginta Libras Veronenses a Communitatibus & Hominibus Plebatuum & Terrarum Vallium Ananie & „ Solis. Item 6086. libr. & 33. denar. Veron. a Communitatibus & „ Hominibus Plebatuum & Villarum Banalis, Randene, Tyoni, Boni, „ Condini, Blezii, Nomassi, Tenni, Leudri, Archi, & Vestini. Item „ 2594. libr. quinque solid. & sex denar. Veron. a Communitatibus & „ Hominibus Terrarum Pinedi, Levigi, Supramontis, Terlaci, Calavini, „ Cavedeni, Naci & tocius pertice Perzini atque Caldonacii. Item „ 1000. lib. Veron. ab Hominibus & Communitate Ripe. Item 300. „ lib. Veron. ab Hominibus & Communitatibus Terrarum Garduni. „ Item 60. lib. Veron. ab Hominibus & Communitate Murii. Item „ 300. lib. Veron. ab Hominibus & Communitate Montanee nove. „ Item 1000. lib. Veron. ab Hominibus & Communitate Bozani. Item „ 1180. lib. Veron, ab Hominibus & Communitate Flemarum: que

„ qui-

„ quidem pecunie quantitas in summa capiunt 18190. libr. (*sic*) 8. sol.
„ & 3. denar. Veron. Racionem autem expensarum per prefatum *D.*
„ *Odoricum* factarum de introitu & pecunia suprascriptis, idem *D. Odori-*
„ *cus* prefato Camerario reddidit in hunc modum. Nam primo asseruit
„ se reddidisse racionem Ven. Domino Episcopo memorato in Civitate
„ Mantue de 8057. lib. 7. sol. & 4. denar. Veron. ut de ipsa racione
„ patet publico Documento scripto manu *Federici Not. q. D. Homodei*
„ *Civis Mant.* sub an. Domini 1303. Indict. 1. die Ven. 5. Mensis Julii.
„ Protestatus est etiam atque confessus idem *D. Odoricus* Camerario preli-
„ bato coram me Not. & Testibus suprascriptis, quod in dicta summa
„ pecunie de qua facta fuit racio Domino Episcopo sepefato cadunt 6666.
„ lib. 13. solidi & 4. den. Veron. quas *D. Odoricus* predictus dedit &
„ solvit *D. Bartholomeo de la Scalla Capitaneo Verone*, nominatim proter-
„ tia parte 20000. lib. Veron. que pro redempcione Terrarum Ripe &
„ Tenni eidem Capitaneo debebantur. Item dixit idem *D. Odoricus* se
„ vice & nomine prefati Domini Episcopi dedisse, solvisse & numerasse
„ *D. Jacobo de Rotenburch Capitaneo Montanee Garduni* 1190. lib. Veron.
„ nominatim pro salario custodie Castrorum Montanee prelibate. Item
„ *D. Matheo de Formigario Capitaneo Castri Tenni* 1446. lib. Veron. no-
„ minatim pro salario custodie dicti Castri. Item *D. Guarnerio de Ta-*
„ *blato Capitaneo Fortaliciorum de Ripa* 1130. libr. Veron. nominatim
„ pro salario custodie dicte Terre. Item Custodibus Turrium dicte
„ Terre 153. lib. Veron. nominatim pro salario Custodie Turrium pre-
„ dictarum. Item Illustribus Principibus DD. Ducibus Carinthie 3500.
„ lib. Veron. de expressa licentia & mandato Domini Episcopi memo-
„ rati, ut per ipsius Literas plene patet, nominatim in subsidium ex-
„ pensarum factarum per ipsos Principes propter stipendia militum, quos
„ ipsi Principes in servitium Episcopatus & Ecclesie Trid. circa Festum
„ Natalis Domini nuper elapsum in Trid. tenuerunt, & in Judicarias
„ transmiserunt. Item 450. lib. Veron. expendit dictus *D. Odoricus* in
„ Terra Ripe predicta priusquam Terra ipsa fuisset prefato *D. Guarnerio*
„ assignata. Item 1350. lib. Veron. refudit & solvit dictus *D. Odori-*
„ *cus* Mareschalco Principum predictorum, quas expendit ipse Mareschal-
„ cus in Montanea Garduni, priusquam Fortalicia ipsius Montanee sibi
„ assignata fuissent. Item dedit & solvit prefatus *D. Odoricus* 1000.
„ lib. Veron. Domino Episcopo predicto auctoritate Literarum ipsius
„ dicto *D. Odorico* missarum. Item expendit idem *D. Odoricus* simul cum
„ *D. Odorico Robinerio* apud Bolzanum 105. lib. Veron. dum ibidem
„ exstiterunt pro imposita Colta Bolzanensibus exigenda. Item in Terra
„ Clexii 34. lib. Veron. expendit predictus *D. Odoricus* moram trahens

„ ibidem pro exigenda Colta. Item expenderunt Exactores deputati
„ per eundem *D. Odoricum* in Terra Banchi 6. Lib. & in Romallo 9.
„ libr. & in Valle Solis 6. libr. Veron. Item expendit idem *D. Odori-*
„ *cus* in pluribus vicibus 150. lib. Veron. dum occasione exactionis
„ Colte Tridentum accederet & ibidem diebus pluribus moraretur.
„ Item expendit predictus 30. libr. Veron. quando ivit ad Capitaneum
„ Veron. pro pecunia presentanda. Item expendit 15. libr. Veron. in
„ salariis Nunciorum qui pro notificatione Colte ad Sindicos, Officia-
„ les & Communia Terratorii Trid. prefati *D. Odorici* Literas portave-
„ runt. Que quidem expense seu pecunie quantitates in summa ca-
„ piunt 18631. libr. 17. sol. & 4. den. Veron. *(sic)* sicut ibidem in
„ presenti per eosdem Collectorem & Camerarium racione diligentissi-
„ ma computata veraciter est repertum. Unde computatis introitu cum
„ expensis, expense in 426. libr. 9. sol. Veron. preponderant & ex-
„ cedunt. Itaque prefatus *Frater Bonominus* vice & nomine dicti
„ Episcopi & Episcopatus & Ecclesie premissorum asseruit, prote-
„ status fuit & dixit, quod juxta seriem suprascriptam prefatus *D. Odo-*
„ *ricus* tam dicti introitus quam de expensis Collecte predicte sibi fe-
„ cerat & reddiderat racionem, & idem *D. Odoricus* predictas 426. lib.
„ & 9. sol Veron. de pecunia propria plus quam recepit expendit, fa-
„ ciens nomine ut de supra dicto *D. Odorico* pro se suisque Heredibus
„ stipulanti perpetuum finem, quietationem, absolutionem, remissionem
„ & pactum de predicta summa introitus vel aliqua sui parte ullatenus
„ non petendi &c. conveniens insuper & promittens se facturum & cu-
„ raturum omni exceptione remota, quod prenominatus Episcopus de
„ predictis 426. libr. & 9. sol. Veron. eundem *D. Odoricum* conserva-
„ bit indemnem per restitutionem ipsius pecunie quantitatis vel alias qua-
„ litercumque unde prefato *D. Odorico* integre satisfiat &c.

„ Ego *Bonus Johannes Bonandree* Apostolica & Imperiali auctoritate
„ Notarius & Scriba Ven. Domini Episcopi prelibati predictis presens
„ rogatus publice me subscripsi, meumque signum apposui consuetum.

„ Ego *Odoricus de Marianis* Sacri Palatii Notarius interfui rogatus
„ & scripsi. “

Eodem

Eodem anno 1303. die 18. Decembris postremum diem clausit Mantuae in Conventu Fratrum Minorum, ibique sepultus cum hoc Epitaphio:

Reverendus in Christo Pater Dominus Dominus Philippus Bonacolsus Mantuanus, Ordinis Minorum, Episcopus Tridentinus, Palatii Apostolici Sacrista, qui hoc Altare pretioso Sacrarum Reliquiarum Thesauro exornavit, hic sepultus jacet.
Obiit anno Domini MCCCIII.
Die XVIII. Decembris.

Sunt qui autumant *F. Philippum* ante obitum suum fuisse Mantuanum Antistitem designatum; sed eos opinor ego vehementer decipi, quippe de nova hac dignitate nec vola neque vestigium elucet in ejusdem Epitaphio modo relato; atque hinc P. Hippolitus Donesmundus O. M. in in Historia Ecclesiastica Mantuana Part. 1. Lib. 4. pag. 305. minime agnoscit *Philippi de Casaloldo* nostrum *Philippum* proximum Successorem, sed *F. Jacobum* Ord. Praed. Ubi obiter animadvertendum, Epitaphium *Casaloldi* longe exactius describi ab eodem Donesmundo, quam ab Ughello. Quandoquidem *Casaloldi* mors ab ipso haud consignatur 12., sed 21. Novembris. De quo quidem e re fuerit monuisse Lectorem propter ea, quae scriptis mandavimus *Vol. 2. pag. 170.*

Eodem *Philippo Bonacolso* Episcopatum Tridentinum regente, videlicet circa annum 1294., si fides Mariano in *Trento* pag. 521. & seq., suppressum fuit Monasterium Monachorum Ordinis S. Benedicti apud Ripam, juxta Ecclesiam S. Nicolai, de Bario nuncupati, in vertice Montis Brionis versus Lacum Benacensem, ubi in hodiernum diem rudera exstare dicuntur.

LXXXI. BARTHOLOMAEUS.

Venetus ex inclita *Quirinorum* Gente, prius Castellanus, seu Venetiarum, postea Novariensis Episcopus, ac demum Tridentinus an. 1304. die 10. Januarii. Verumtamen injustis Filiorum Maynardi occupationibus impeditus ac tandem concordia inter illos, nostrumque Praesulem utcumque inita, teste originali Diplomate dato *apud Papocias Adriensis Diocesis* 1305. *die* 26. *mensis Julii Indict.* 3., possessionem adiit dumtaxat an. 1306. in Vigilia Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, Animam exuit an. 1307. die 23. Junii.

De *Dulcino* viro nequam exterminando, ejusque erroribus a sua Dioecesi depellendis sategit. Indulgentiis auxit Ecclesiam S. Thomae *de Romeno*, aliasque a suis praedecessoribus *Friderico*, *Egnone*, *Hendrico*, sive *Henrico*, ac *Philippo* eidem concessas confirmavit:

Quae ab eo prodiere Diplomata uno Codice habentur collecta. Heic brevitati consulens duo tantummodo producam:

» An.

" Anno Domini 1307. Indict. 5. die Dom. 19. intrante Febr. Trid. " super scalis extrinsecus Palatii Episcopalis in publica Concione: pre- " sentibus R. P. Domino *Johanne Dei gratia Episcopo Caprulano, FF.* " *Petro Abbate Monasterii S. Laurentii prope Trid., Friderico Priore &* " *Daniele de Verona Lectore Conv. Predic. de Trid., Gualengo de Maringa,* " *Abriano de Nova, Wernerio de Metz dictarum Ecclesiarum Trid. Dioc.* " *Plebanis, Nicolao Quirino Canon. Castellan.; Nobilibus Viris DD. An-* " *drea Quirino Vicecomite Trid., Guilelmo & Aldrigeto ejus Nepote de Ca-* " *strobarco, Henrico seniore & Henrico juniore ejus nato de Rotenburg, Ol-* " *rico de Ragonia, Olrico de Coredo, Odolrico Badeca de Trid., & Guerne-* " *rio de Tablato Militibus: DD. Jacolino* (Jacobino) *de Cremona, Vidone* " *de Papia Vicario Curie Trid., Johanne Fuscarino, Andreolo Batilio, &* " *Andrea Cavalcalupo Civibus Venetis, Bonasigna de Gardano,* (Garduno) *Bonazun-* " *ta de Parma, Aicbebono Guilielmi de Belenzanis, & Antonio de Leudro Judi-* " *cibus de Trid., Gotzalco Judice Engne, Nigro de Trid., Magistro Bar-* " *tholomeo de Sardanella Medico, & ejus Fratre Nicolao de Verona, Gun-* " *fredo de Azula Sacerdote Brixinen.* (Brixien.) *Dioc., Simone de Gar-* " *dulis, Jacobo Squalo, Riprando Dñi Bonomi Judicis de Trid., & Francisco* " *de Viarago Notariis Trid.* testibus & aliis rogatis & vocatis. Ven. Pater " Dominus *Bartholomeus Dei gratia Episc. Trid. Dux, Marchio & Comes,* " assistentibus sibi honorabilibus Viris DD. *Giselberto de Brentonigo, Pace* " *de Mantua, Jacobo q. D. Gotsalchi Decani Trid. Nepote, Thealdo de Iva-* " *no, Uberto de Parma, Conrado de Mixina, Petro de Rallo, Giselberto q.* " *D. Contzii, & Manuele de Brentonico, Fulcerio de Kuneglano, & Bono* " *Johanne Bonandee de Bononia, Canonicis Trid.* & de ipsorum consilio, " beneplacito & assensu, pro se & Successoribus suis canonice intranti- " bus in Episcopatu & Ecclesia Trid. Excellentes Principes & Magnifi- " cos DD. *Ottonem & Henricum Carintbie Duces* Illustres, Tyrolis & Go- " ritie Comites, Aquilegien. Trid. & Brixin. Ecclesiarum Advocatos, " bone memorie Domini *Menbardi ejusdem Carintbie Ducis* Filios & He- " redes, humiliter petentes & cum instantia requirentes ac recipientes " pro se ipsis & pro eorum utriusque sexus Liberis in perpetuum de- " scendentibus ex eisdem, quantum scilicet ex vigore Concessionum & " Infeudationum seu Investiturarum Progenitoribus & Majoribus ipso- " rum ab Ecclesia Trid. factarum infrascripta Feuda deferuntur in Femi- " nas, de Advocatia dicte Ecclesie Trid. ac generaliter de omnibus " Feodis tam antiquis quam novis, que prefatus D. *Menbardus Dux Ca-* " *rintbie* & Progenitores ejus dum viverent juste ac rationaliter habue- " runt, tenuerunt & possederunt ab Episcopo, Episcopatu & Ecclesia " Trid. & que ipsi DD. *Otto & Henricus Duces* sic tenent & possident

" ab

„ ab Episcopo, Ecclesia & Episcopatu Trid. seu que ad ipsos justo titulo & rationabiliter pervenerunt, & de quibus ipsos DD. Duces de jure investire debebat, cum septem vexillis de Sindone rubra solemniter investivit. Ex altera vero parte ibidem & in presenti dicti DD. *Otto & Henricus Duces* & eorum uterque pro se Liberisque predictis promiserunt dicto Domino Epo stipulanti & recipienti pro se, Successoribus, Episcopatu & Ecclesia predictis, & tactis corporaliter Scripturis ad Sancta Dei Evangelia juraverunt se eisdem Domino Epo, Successoribus, Episcopatui & Ecclesie fideles futuros Vasallos, ipsosque Dominum Epum, Successores, Episcopatum & Ecclesiam, eorumque Honores & Jura totis viribus conservare, augere, defendere & tueri, & omnia alia Capitula integraliter & illibate servare, ad que secundum formam juramenti fidelitatis Vasallus suo Domino est astrictus: & quod predicti DD. Duces pro se, suisque Heredibus liberam habeant potestatem cum predictis Feodis faciendi omnem eorum utilitatem & voluntatem sine omni molestia & contradictione predicti Domini Epi, suorumque Successorum in omnibus & per omnia, prout mos & justitia consimilis Feodi seu consimilium Feodorum postulat & requirit. Promisit namque prefatus Dominus Epus Trid. pro se, Successoribus, Episcopatu & Ecclesia predictis suprascriptis DD. *Ducibus Ottoni & Henrico* recipientibus & stipulantibus sibi, suisque Heredibus predicta Feoda auctorizare, defendere & legitime expedire ab omnibus personis impedientibus, cum ratione in omni eo jure forma & modo, prout in ipsorum DD. Ducum & suorum Progenitorum Investituris Feodorum visum fuerit contineri, & prout alii Predecessores Domini Epi predicti pro se, Successoribus, Episcopatu & Ecclesia Trid. ad defensionem ipsorum Feodorum temporibus transactis sunt & esse noscuntur obligati in bonorum omnium obligatione Ecclesie Trid. memorate. Quibus sic omnibus peractis in signum perpetui amoris & fidei, pacis inter eos osculum intervenit.

„ (L. S.) Ego *Ottolinus Domini Hainrici Episc. Trid. & Sacri* „ *Palat. Not.* predictis omnibus interfui rogatus & publice scripsi. "

„ (L. S.) In Christi nomine. Amen. Anno ejusdem Nat. 1307. Indict. 5. „ die 27. April. in *Rovredo sub Domo Communis*: presentibus *Benadusio* „ *Not. q. Bonsiolo de Rovredo*, *Francisco q. D. Berte de Calapina de Rovredo*, *Nasimbeno dicto Vicentino habitatore Rovredi*, *Albertacio Becario de dicto loco*, Testibus & aliis. Ibique *Nobilis Vir D. Brianus f. q. D. Martini de Terzeno* coram me Not. & Testibus suprascriptis manifestavit „ habere

„ habere & tenere infrascriptum Feudum a *Ven. Patre Domino Bartholomeo Dei gratia Episcopo Trid.* secundum quod sui Antecessores habuerunt & tenuerunt ab Anterioribus dicti Domini Epi & Ecclesiae Trid. „ In primis partem sibi contingentem Castri ex summitate *Castri Perzeni*. Item Regulas & Aquas totius *Plebatus Perzeni*. Item in *Valle Solis* Decimam & Jus decimationis tocius Ville & Pertinencie *Cissii*. „ Item in *Valle Solis* Decimam & Jus decimationis tocius Ville & Pertinencie *Frabiani* pro indiviso cum *Dominis de Perzeno* suis consortibus. Item in *Valle Solis* medietatem tocius Decime & Jus decimationis de *Mastilina* pro indiviso cum dictis suis consortibus. Item in dicta *Valle Solis* Decimam & Jus decimationis tocius Ville & Pertinencie de *Castello* pro indiviso cum dictis suis consortibus. Item totam Decimam & Jus decimationis tocius Ville & Pertinencie de *Trexono* pro indiviso cum dictis suis consortibus. Et si plus invenerit „ quam celerius poterit suprascripto Domino Epo manifestabit bona fide.

Ego *Anthonius de Asylo Notarius* interfui, & rogatus scripsi. "

Narrat insuper de eodem nostro Episcopo Innocentius a Prato, eo gubernante *Statuta Tridentinorum tum primum condita*, idque elicit ex eorumdem Prooemio. Animadvertit praeterea P. Hieronymus de Tridento suis in Spicilegiis MSS., *Antonium Scotum* Canonicum Tarvisinum in Commentariis de *B. Benedicto XI. PP.* Cap. XVI. testari, ab ipso *Benedicto* missum fuisse *Legatum* ad Romanorum Regem *Episcopum Tridentinum* (nempe ut ipse P. Hieronymus verisimilius censet) *Bartholomaeum*, ceu conterraneum suum, atque a *Benedicto* ipsomet electum. Gentilitia ejusdem *Bartholomaei* Insignia videsis apud Ughellum Coleti To. 4. col. 713. & To. 5. col. 1272.

LXXXII. HENRICUS III.

Fuit oriundus ex Metis in Lotharingia, Abbas Monasterii Wilhariensis *Ordinis Cisterciensis*, ac *Henrici VII.* Imperatoris Cancellarius. Posteaquam diu Tridentina Sedes vacasset ob multiplices difficultates a Cardinali *Neapoleone* Legato Pontificio injectas ratione Palium Collectarum, tandem an. 1310. electus est, & a *Clemente V.* confirmatus eodem anno die 23. Maji. Die autem 25. Nov. ipsiusmet anni constituit suos Procuratores pro capessenda Episcopatus possessione, Magistrum *Nicolaum* Thesaurarium Eistetensem Imperialis Aulae Notarium, & Fratrem *Conradum* de *Urzestal*. Mox sequenti anno 1311. die 6. Januarii interfuit Coronationi

tioni *Henrici VII.*, atque ab hoc postea missus *Legatus* ad memoratum *Clementem V.* una cum Epo Botrontino, & Comite Sabaudiae. An. 1313. die 2. Apr. sub Datum Trid. quaedam Flemmensium privilegia rata habuit.

Anno 1314. die 16. Junii Tridenti in Episcopali Palatio recepit Juramentum Fidelitatis a Domino *Gvvilhelmo* Milite olim Domini *Azonis* de *Castrobarco*, expertus postea ipsum (cum esset ei a consiliis *Frater Daniel de Gusmariis de Verona* Ordinis Fratrum Minorum) erga suam Cathedralem Ecclesiam munificentissimum per conditum Testamentum an. 1319. Anno eodem 1314. die 19. Julii quamdam Investituram tradidit *Agolino* (al. *Aproino*), *Bertoldo*, & *Guillelmo* fratribus filiis q. *D. Petri de Petra Aquilaria Plebatus Terlaci*.

Anno 1319. dedicavit *Basilicam* seu *Ecclesiam S. Dionysii sitam apud Ecclesiam S. Bartholomaei prope Tridentum*. Anno 1321. die 14. Julii sub Datum Trid. per suas literas encyclicas hortatus est, propositis etiam Indulgentiis, omnes Christi fideles, ut manus adjutrices porrigerent pro complenda Ecclesia seu Capella ad honorem S. Mariae Magd. propriis sumptibus coepta in Villa *Preorii* a quodam, nomine *Florio*, Mansionario Majoris Ecclesiae Paduanae, recens defuncto.

Anno 1322. die 24. Junii, rursus confirmavit Privilegia Flemmensibus, signanter vero Gebardinum. Eodem anno 1322. die 20. Septembris, fidem faciente membraneo Monumento Magnificae Communitatis Fundi, Leges statuit, omnemque impendit operam, ut *jus & justicia per ipsum & Officiales suos in Civitate & Dyocesi Trid. & potissime in Vallibus Ananie & Solis ejusdem Dyocesis celebrari & observari posset*. Ipsomet an. 1322. die 15. Decembris Indulgentias quasdam concessit celebrantibus quotannis *Festum Conceptionis B. M. V.*

Anno 1323. Synodum congregavit, post aliam ante quatuor, aut quinque annos ab se coactam. Anno 1326. die 6. Decembris dies 40. Indulgentiarum elargitus est tribuentibus eleemosynas Clarissis Monasterii S. Michaëlis apud Tridentum, ad reparanda damna ab eluvione Fersinae ipsis illata. Totidem eo ipsomet anno erogavit Indulgentiarum dies porrigentibus manus adjutrices *Fabricae Ecclesiae Monasterii* (subintellige *Monialium Ordinis Fratrum Praedicatorum*) *Sanctae Margaretae in Surbano de Tridento*.

(Quia vero nosse plurimum interest, num a die 13. sive 14. Februarii ad 10. Martii an. 1327. Tridenti Episcopus noster resederit (quo quidem temporis intervallo *Ludovicum Bavarum* moram traxisse Tridenti, suorumque sequacium Conventum celebrasse constat) haud piget duo integra Documenta in publicum adferre, ex quibus palam est, eumdem Praesulem nostrum tunc in *Castro Tenni* mansisse, satis ab ipsomet *Ludovico Bavaro* procul. Documenta sunt haec:

„ *Frater Henricus Dei & Apostolice Sedis gratia Tridentinus Episco-*
„ *pus* Universis presentes Litteras inspecturis salutem in Domino sempi-
„ ternam. Assidue meditantes vias & modos, per quos Homines &
„ Subditi nostri in tota *Judicaria* quiete & pace simul possint frui &
„ gaudere, deliberato animo duximus ordinandum, ut inter Nos & No-
„ bilem Virum *Nicolaum de Archu* nullius scrupuli & turbationis possit
„ materia reperiri, fidem & legalitatem ipsius *Nicolai* attendentes, ipsum
„ in Burgo nostro *Archi*, & toto Plebatu, nostrum Capitaneum & Re-
„ ctorem constituimus per presentes: committentes eidem Jurisdictionem
„ nostram, quam habemus ibidem, racionabiliter exercendam usque ad
„ nostre beneplacitum voluntatis, modis & viis subnotatis; per hoc
„ intendentes quod in tota Judicaria nichil habeat disponere vel agere,
„ sed contentus esse debeat predictis Burgo & Plebatu nostris, ac Ju-
„ risdictione nostra, sibi commissis, in quibus ipsum nostrum fecimus
„ Capitaneum, & facimus pro nostre libito voluntatis: dantes & con-
„ cedentes sibi plenam & liberam potestatem inquirendi, corrigendi &
„ puniendi excessus quoslibet per quoscumque committendos ibidem;
„ neminem tamen contra Deum & justitiam aggravando vel aliqualiter
„ alleviando, dummodo non sint tales excessus, in quibus mortis peri-
„ culum aut mutilatio membrorum exigatur: ad quorum excessuum pe-
„ nam nolumus quod sua potestas extendatur, sed volumus, quod com-
„ mittentes excessus hujusmodi, vel aliquem eorundem, presententur ad
„ nostrum Palatium Tridentinum, & ibidem de consilio Sapientum &
„ Prudentum Virorum, secundum Deum & Justitiam corrigantur. In-
„ super eidem *Nicolao* Capitaneo nostro sub pena nostro arbitrio infli-
„ genda districte precipimus & mandamus, quatenus bannitos aliquos,
„ vel malefactores, quicumque sint & undecumque, in commissis sibi
„ Burgo & Plebatu ac Jurisdictione nostris predictis, nullo casu recepta-
„ re seu tenere audeat vel presumat. Volentes & mandantes ac in-
„ jungentes universis & singulis dicti nostri Burgi Archi & totius Ple-
„ batus ejusdem Jurisdictionis nostre Sindicis, Ancianis, Communitati-
„ bus & Hominibus, quatenus sub penis quibuslibet tam spiritualibus
„ quam temporalibus nostro arbitrio infligendis, in hiis que ad hujus-
„ modi Capitaneatus officium spectaverint, sibi tanquam Capitaneo eo-
„ rum per nos ad nostre voluntatis arbitrium constituto plene pareant
„ & intendant. Alioquin sententias sive penas, quas juste tulerit vel
„ inflixerit in Rebelles auctore Deo faciemus inviolabiliter observari
„ usque ad satisfactionem debitam & condignam. Si autem ipsum *Ni-*
„ *colaum* processu temporis a predicto Capitaneatu nostri Burgi Archi
„ & Plebatus ejusdem & Jurisdictione nostra amovere vellemus vel

„ amo-

„ amoveremus, nollemus tamen, nec volumus, quod in Hominibus & „ Jurisdictione, si quos, vel si quam in Judicaria juste & rite habere „ deberet, vel docere posset legitimis Documentis, aliquod prejudicium „ generetur. Nostre enim voluntatis est & esse debet, omnes subdi„ tos nostros in suis justis juribus, quantum poterimus & sciverimus, „ defensare & favorabiliter conservare. In quorum fidem presentes fieri „ fecimus, & Sigilli nostri munimine roborari. Actum & datum in „ *Tenno Castro* nostro die Sabbati 14. (13.) Febr. Nat. Dom. An. 1327. „ Indictione decima. (*Locus Sig. pendentis*)

„ In Christi nomine Amen. Anno Nativit. ejusdem 1327. Indict. „ x. die x. Martii, in *Episcopali Castro Theni*, presentibus Religioso viro „ Domino Fratre *Waltero* de *Metis* Ordinis Cisterciensis infrascripti Do„ mini Epi Capellano, nec non honorabilibus & discretis Viris D. *Hen„ rico* de *Campo* Decano Ecclesie Tridentine, *Conrado* S. Marie de *Ripa*, „ & *Guilielmo* S. Laurentii de *Nomasso* Ecclesiarum Tridentine Diocesis „ Archipresbyteris, atque Magistro *Gregorio* de *Toculis* de Leudro Physi„ co, *Enrico* Magistri *Mileti*, & *Petro* Guilielmi de *Arco*, & *Odorico* „ Domini Gislimberti de *Campo* Notariis, *Joanne* de *Sarburch*, *Vinchone* „ & *Joanne* familiaribus infrascripti Domini Epi, testibus & aliis voca„ tis & rogatis. Venerabilis in Christo Pater & Dominus *Henricus Dei* „ *& Apostolice Sedis gratia Tridentinus Episcopus*, *Dux*, *Marchio atque* „ *Comes*, pro se ac Successoribus suis canonice intraturis, & pro Epi„ scopatu atque Ecclesia Tridentina, osculo pacis investivit Nobilem Vi„ rum D. *Nicolaum* natum olim Nob. Militis D. *Odorici de Arcu* Trid. „ Dioc. flexis genibus devote petentem & recipientem pro se principa„ liter, & tutorio nomine, ut dicebat, & tanquam conjuncta persona „ *Joannis* Nepotis sui f. q. D. *Gerardi* Fratris olim dicti D. *Nicolai*, „ ac pro suis & prefati *Joannis* liberis legitimis masculis, & ex „ masculis in perpetuum descendentibus ex eisdem, de omnibus eorum „ Feudis antiquis & rectis, seu bonis feudalibus, que q. Progenitores „ eorum, dum viverent, juste & rationabiliter ab ipsis Episcopatu & „ Ecclesia tenuerunt, & que ipsi D. *Nicolaus* & *Joannes* sic tenent, seu „ que ad eos juste devoluta sunt, vel legitime spectant, sub tali modo, „ forma & conditione, secundum quas idem Dominus Epus bone mem. „ DD. *Odoricum* Patrem & *Gerardum* Fratrem ipsius D. *Nicolai* hactenus „ investisse dignoscitur, dum tamen non sint Feuda vel Bona Feudalia, „ que propter ipsius D. *Nicolai*, vel suorum offensas notabiles ipso facto „ reciderint in Episcopum & Ecclesiam Tridentinam, vel sint bona obli„ gata, vel Decime, que per ipsos DD. *Nicolaum* & *Joannem* ejus Nepo„ tem, de jure nequeant possideri. Quam Investituram fecit idem Do-

M 2 minus

„ minus Epus salvo jure dictorum Episcopatus & Ecclesie Tridentine ac „ omnium Personarum, ita videlicet, quod per eam nullum penitus „ eisdem Episcopatui & Ecclesie vel Personis prejuditium ingeratur. Ex „ altera vero parte ibidem & in presenti dictus D. *Nicolaus* per se prin- „ cipaliter ac tutorio nomine & tanquam conjuncta persona predicti „ *Joannis* Nepotis sui, promisit predicto Domino Epo legitime stipu- „ lanti & recipienti pro se ac Successoribus, Episcopatu & Ecclesia pre- „ libatis, & in suam & predicti *Joannis* Nepotis sui animas corporaliter „ tactis Scripturis ad Sancta Dei Evangelia juravit, quod ipsi amodo „ dicto Domino Epo, Successoribus suis, Episcopatui & Ecclesie supra- „ scriptis, fideles erunt Vassali, ipsosque, & eorum honores & jura, „ personas & res totis viribus conservabunt, tuebuntur pariter & auge- „ bunt, nec aliquid per se vel alios, facto vel verbo, sive alias qua- „ litercumque tractabunt, machinabuntur aut facient, quod vergat seu „ cedat vel vergere possit in eorum damnum seu dedecus, contumeliam, „ vel offensam; quinimo si quos hec vel eorum aliquid facere vel tra- „ ctare cognoverint, quam cito poterunt Domino revelabunt, & eis to- „ tis viribus se opponent, & generaliter puram & meram fidelitatem „ eisdem Domino Epo, Successoribus suis, Episcopatui & Ecclesie per „ omnia impertientur & reddent. Quibus omnibus sic peractis preno- „ minatus Dominus Epus dicto D. *Nicolao* recipienti pro se ac Nepote „ suo predicto, sub debito prestiti juramenti districte precepit, ut infra „ duorum mensium spatium ab hodie computandum, Feuda seu Bona „ Feudalia, que ab ipsis Domino Epo, Episcopatu & Ecclesia Tridenti- „ na tenent, notificent ei per publicum Instrumentum. Ut autem pre- „ missis omnibus majoris firmitatis robur accedat, dictus D. Epus presens „ publicum Instrumentum mandavit secreti Sigilli sui munimine roborari.

„ Ego *Trintinus Zuccolini de Tuyeno* publicus Imperiali authoritate „ Notarius, & prefati Domini Episcopi Scriba, predictis omnibus in- „ terfui & rogatus hec scripsi. (*Locus Sigilli pendentis*)

Jam extra dubium est, tunc, quum Tridenti adesset *Ludovicus Bavarus*, nostrum Antistitem abfuisse Tridento, atque ad *Castrum Tenni* divertisse. Quando autem ab hoc Castro ipse recesserit, atque Tridentum post discessum ejusdem *Ludovici* redierit, argui potest ex duabus Chartis, quas *Vol. 2. pag.* 184. retulimus, quaeve nobis testatum faciunt, *Tridenti in Episcopali Castro Boni Consilii anno* 1327. *Indict.* 10. *die duodecima Maji*, illarum publicationi eumdem nostrum Praesulem interfuisse. Hincque etiam in proclivi est inferre, quod ejus animus tunc longe aliis distineretur curis, quam ut potuerit praesto esse, dum

intra

intra praefata tempora, videlicet a die 13. sive 14. Februarii ad diem 12. Maji an. 1327. aut Tridenti suos Conventus agerent Sectatores *Ludovici Bavari*, aut Mediolani Imperialis Corona ipsimet *Ludovico* imponeretur.) Quod autem spectat supra memoratos Dominos Arcenses *Gerardum* & *Nicolaum*, ipsi sunt qui an. 1325. a fundamentis erigendum curarunt Monasterium, seu potius Hospitium PP. Coelestinorum ad Sarcam prope Toblinum, ut inibi praefert Inscriptio; ipsi etiam quorum nomina ad eumdem annum 1325. supra Portas Urbis Arci inscripta adhuc leguntur: adeoque laudandus noster Episcopus, qui erga tam pios Dominos, ac Patriae Patres, adeo prono animo fuerit. Sed quae de ipso sunt reliqua persequamur.

Adeo se addictum Sedi Apostolicae saepius declaravit, ut, quemadmodum latius ostendi part. 1. Dissertatione II., nonnisi per summam injuriam ei teterrima nota inuratur, quasi vero pro Schismate a *Ludovico Bavaro* invecto praefracte steterit, a gradu ceciderit, omnique auctoritate destitutus deinceps exstiterit. Sub obedientia Apostolicae Sedis, ac eadem auctoritate praeditum, permansisse vel post an. 1327. quo impositam diximus coronam eidem *Ludovico*, ex sequenti ejus Epistola facile datur intelligi. Ita sonat:

„ *Frater Henricus Dei & Apostolice* „ *Sedis gratia Episcopus Tridentinus*, „ Sindico & Communitati Plebis de „ *Ambulo* Vallis Annanie nostre Dio„ cesis salutem in Domino. Volu„ mus ac Vobis sub pena Excom„ municationis districte precipien„ do mandamus, quatenus Priorem „ & Fratres *S. Thome* Apostoli prope „ *Romenum* in Collectis & Daciis „ persolvendis de possessionibus ali„ quibus, quas habent in dicta Ple„ be Ambuli, seu alibi non pertur„ betis nec molestetis, cum dicti „ Prior & Fratres solvant & sepe „ solvere consueverint Collectas „ cum alio Clero. Dat. Tridenti in „ Episcopali Castro nostro Boni Con„ silii tertia die Mensis Junii.

„ (L. S.) Ego *Jacob* Sac. Pal. „ Not. ex autentico Episcopalis Li„ tere sigillate sigillo sano, integro „ & inleso hoc exemplum exem„ plavi bona fide sine fraude &c. „ & meum signum apposui currente „ anno M. CCC. XXXI. Indict. „ XIIII. “

Certe tam ante, quam post praefatum annum 1327. noster Antistes constanter in Documentis adpellitari meruit *Dei & Apostolicae Sedis gratia Episcopus Tridentinus*.)

Plures Synodales Constitutiones zelo plenas, quas prima Parte retulimus, edidit.

Anno 1336. celebrata Mense Januario Generali Synodo, quam Volumine secundo jam vulgavimus, obiit die 9. Octobris, in Abside Ecclesiae Cathedralis dextera sepultus cum hac Inscriptione:

Sepul-

Sepulcrum Reverendi Patris Fratris Henrici de Metis, Episcopi Tridenti, Imperialis Aule Cancellarii, qui obiit anno MCCCXXXVI. Ind. IIII. IX. Octob. & Domini Nicolai Militis Episcopi Fratris.

Reperi praefatum *Nicolaum* ad an. 1317. exstitisse Capitaneum Tridenti; ac inter alios nostri Praesulis *Henrici* fuisse Capellanum *Fratrem Simonem quondam Abbatem Victoriensem*, Vicarium autem in Spiritualibus Generalem *Julianum de Cadubrio* Canonici Juris Peritum. Tesserae gentilitiae ejusdem Episcopi, ac Successorum, videri possunt apud Ughellum cum Auctariis. Illorum nonnullae conspiciuntur etiam Cavalesii in Palatio Episcopali, ut nihil dicam de iis, quas vidi in Castro Tridentino.

Contigit sub laudato Antistite, nedum exstitisse Tridenti an. 1326. *Fratrem Galvagninum*, & an. 1328. *Fratrem Petrum* (al. *Petrum Bonum*) *de Padua*, ambos ex *Ordine Fratrum Minorum Inquisitores Haereticae Pravitatis;* sed & celebratum fuisse *Mirum Colloquium in Bolzano* (uti legere est in Opusculo Liberalis de Levada Tabellionis *de Proditione Tarvisii* n. 21.) sive *Parlamentum in Tridento an.* 1320. *mense Madii*, quemadmodum narratur in Cortusiorum Historia *L.* 2. *c.* 37. Hujusmodi *Parlamento*, ac *Miro Colloquio*, habito sive *Tridenti*, sive potius *Bulzani*, interfuisse in dicto Opusculo dicuntur *Rex* (Fridericus Dux Austriae) *& Duces Leopoldus, Otto, Albertus, & Rigus, fratres sui, Dux Kirintiae germanus ejus, Comes Goritiae Barbanus suus, Dom. Volricus de Gualsse, & plures alii Nobiles Barones, qui simul exercitum ingens ad refraenandum Canis impii superbiam firmavere.* De quo quidem Cane ibi refertur: *se promptum ostendens Edictis Regis obedire, cum sexcentis Equitibus ab armis, & mille peditibus movit de Civitate Veronae, & versus Urbem Tridenti arripuit iter suum, ibique juxta Civitatem in quadam planicie castrametatus est. Dom. autem Rex praesciens ejus adventum misit ad eum Dom. Ducem Kirintiae germanum suum, & Ducem Liopoldum ejus fratrem, ad hoc, ut securus cum fiducia iret coram eo personaliter comparere. Sed idem Canis finaliter ob ejus vitia tam seditiose commissa praeponens omnibus metum, hospite non salutato recessit, videre non ausus Regiam Majestatem &c.* Tum subditur in praefato Opusculo n. 22. *Hoc eodem tempore dum Sanctissimus Papa Johannes circa destructionem Tyrannorum de Lombardia sedulus cura pervigili solum intenderet, Mapheum Vicecomitem de Mediolano, qui dictam terram tyrannico modo regebat, cum ejus sequacibus complicibus, & fautoribus, tamquam rebellem Ecclesiae, & pluribus terminis contumacem anathematizavit, & sententialiter condemnavit.* Quae quidem retulisse juverit, ut palam sit, summa aequitate vetuisse nostrum Episcopum, *per Vallem Leudri portari salem & alia victualia Mediolanensi-*

nensibus &c. Memoratum Liberalis Opusculum novissime vulgavit Part. 2. *Comment. de B. Henrico Bulsanensi* Cl. Vir Rambaldus de Azzonibus Canonicus Tarvisinus.

Sub eodem Episcopo praeter supra laudatum *Gulielmum* de *Castrobarco*, fuit quoque de Tridentina Ecclesia optime meritus, *Maynardi* filius, *Henricus Bohemiae*, & *Poloniae Rex*, *Karinthiae Dux*, *Goritiae & Tyrolis Comes*, *Aquilejensis*, *Tridentinae*, & *Brixinensis Ecclesiarum Advocatus &c.* de quo *Vol.* 2. *pag.* 178. Accidit ejusdem *Henrici* mors in Castro Tirolis an. 1335. aut die 4. Mensis Aprilis secundum Chronicon Stamsense, aut die 2. ejusdem Mensis, secundum Anonymum Leobiensem. Etsi autem idem *Henricus* Rex fuerit tumulatus in Ecclesia S. Joannis infra dictum Castrum; post biennium tamen ejus corpus translatum fuit ad Stamsense Monasterium, ubi vetus erat suorum Majorum Sepulcrum, ex Sconleben *fol.* 300. Procul igitur a vero est, quod scripsit Aventinus, mortuum, humatumque fuisse Tridenti praedicto an. 1335.; cui quidem adsertioni ansam dedisse videtur ejus Anniversarium, quod in Majori Ecclesia celebrari consuevit die 2. Maji, ac Missa, quam ipse legavit anno 1334., hinc *Regia* nuncupata.

Nostro *Henrico* Episcopatum Tridentinum moderante, Brixinensi praefuit *Albertus*, ab aliis dictus de *Enna*, sive *Egna* in Valle Athesina, ab aliis de *Enn*, forte de *Enno* in Valle Anauniensi.

LXXXIII. NICOLAUS.

De *Bruna* Moraviae Urbe, Decanus Olomucensis, *Caroli IV.* Romanorum Regis a Secretis, & Cancellarius, electus Tridentinus Episcopus an. 1338., & a *Benedicto XII.* Papa eodem anno die 3. Julii confirmatus, hanc mox Investituram Feudorum Castrobarcensibus dedit:

„ In Dei nomine, amen. Anno Nat. Domini 1338. Indict. 6.
„ die 20. Novemb. Omnibus & singulis presens publicum Instrumen-
„ tum inspicientibus pateat evidenter, quod *Nobiles & potentes Viri D.*
„ *Gullielmus f. q. D. Azonis nati q. D. Friderici*, & *Aldrigettinus f. q.*
„ *D. Bonifacii nati q. dicti D. Friderici de Castrobarco* Trid. Dioc. con-
„ stituti ante presentiam *Reverendi in Xpo Patris & Domini Domini Ni-*
„ *cholai Venerabilis Episcopi Tridentini*, cum debita reverentia supplicave-
„ runt, quatenus dignaretur sue Paternitatis benignitas eos, & eorum
„ quemlibet singulariter & divisim investire de justis & rectis eorum, &
„ cujuslibet eorum Feudis, que ipsi, & eorum quilibet habent & te-
„ nent ab Episcopatu & Ecclesia Trid., offerentes se ipsi ambo & unus-
„ quisque ipsorum in solidum de dictis eorum Feudis a predicto Do-
„ mino Episcopo Investituram recipere, & Juramentum fidelitatis tam-
„ quam

„ quam Domino suo prestare, & omnia & singula facere ad que Feudatarii & Vassalli in similibus casibus tenentur Dominis suis de Consuetudine sive de Jure. Qui quidem Dominus Episcopus suprascriptus, Dux, Marchio & Comes, benigne & diligenter intellecta supplicatione & oblatione premissis, & super eis habito consilio & deliberatione solemni, prefatum D. *Gullielmum* & *Aldrigettinum* & quemlibet eorum flexis genibus devote petentes pro se suisque legitimis heredibus, de omnibus & singulis Feudis suis justis & rectis, que ipsi & eorum quilibet communiter vel divisim habent ab Ecclesia Tridentina, auctoritate qua fungitur, & ea qua Ducatus, Marchionatus & Comitatus auctoritate potitur, per immissionem anuli in digitum anularem manus dextre uniuscujusque dictorum Nobilium, salvo jure dicte Ecclesie Trid., & quorumlibet aliorum, benigne & solemniter investivit: promittens pro se & suis Successoribus & ipsa Ecclesia Trid. predictis D. *Gullielmo* & *Aldrigettino*, & cuilibet eorum pro se & suis Heredibus stipulanti dictam concessionem & omnia & singula suprascripta perpetuo firma, ratha & grata habere & tenere, & per se vel alium in nullo contrafacere vel venire. Quibus omnibus sic peractis, predicti D. *Gullielmus* & *Aldrigettinus* ibidem & incontinenti promiserunt & corporaliter juraverunt ad sancta Dei Evangelia tacto libro, quod in perpetuum ipsi erunt fideles Vassalli ipsi Domino Episcopo, & ejus Successoribus & Ecclesie Trid., ipsumque Dominum Episcopum & suos Successores legittimos, & dictam Ecclesiam Trid., eorumque Honores & Jura, presentia & futura, fideliter manutenebunt, & suo posse recuperabunt, & nichil per se vel alium tractabunt vel machinabuntur, quod vertatur, vel verisimiliter verti possit in aliquod detrimentum, damnum, periculum, contumeliam vel jacturam persone ipsius Domini Episcopi, vel suorum Successorum, sive Jurium vel Honorum dicte Ecclesie Trid. Quinimmo si sciverint ipsi, vel aliquis eorum, per quempiam predicta vel predictorum aliquid tractari vel procurari qualitercumque, dicto tractatui si poterunt obviabunt, ipsumque tractatum quam primum commode poterunt significabunt supradicto Domino Episcopo. Quicquid etiam eis, vel alicui eorum sub fide secretum fuerit impositum, fideliter retinebunt & nemini pandent, nec aliquid facient propter quod pandatur sine licentia sua. Personam insuper dicti Domini Episcopi, & suorum Successorum, nec non Jura & Honores & Jurisdictiones eorum & dicte Ecclesie Trid., si requisiti fuerint, totis viribus adjuvabunt, & generaliter puram & veram fidelitatem observabunt ipsi Domino Episcopo, suisque Successoribus, & Ecclesie Trid. predicte in omnibus & sin-

„ gulis

„ gulis Capitulis & Articulis, que & qui comprehenduntur in legitti„ mo & pleno Juramento fidelitatis; non obstante quod in presentis „ Juramenti forma aliquid forsan reperiretur obmissum, quod de vo„ luntate dictarum partium intelligi debeat & intelligatur expressum.

„ Post que statim & immediate, priusquam diverterent ad aliquos „ extraneos actus, dictus Dominus Episcopus monuit predictos D. „ *Gullielmum* & *Aldrigettinum*, eisque & eorum cuilibet imposuit & „ mandavit, quatenus omnia & singula eorum Feuda, recta & ju„ sta, que habere & tenere se dicunt ab Ecclesia Trid. intra unum „ Mensem ab hodie computandum eidem Domino Episcopo bona fide „ in scriptis exhibeant sub virtute prestiti Juramenti predicti. Et de „ predictis mandarunt tria fieri publica Instrumenta unius ejusdemque „ tenoris &c. quorum quodlibet debeat esse subscriptum manu *Henrici* „ *de Landesperg*, *Johannis Ser Bonaventure de Arecio*, *Trentini de Tuje*„ *no*, & *Cresembeni q. D. Tebaldi de Verona* Notariorum, de suprascri„ ptis omnibus ab ipsis & eorum quolibet rogatorum, nec aliter ipsa „ Instrumenta, vel eorum aliquod, nisi predictorum Notariorum sub„ scriptionem habuerint, intelligantur facere vel faciant ullam fidem. „ Acta, gesta & celebrata fuerunt omnia & singula suprascripta in Epi„ scopali Castro Boni Consilii, in Camera dicti Domini Episcopi, in „ conspectu *Illustris Principis Domini Johannis Dei gratia Karinthie Ducis*, „ *Tirollis & Goricie Comitis*, *Aquilegen.*, *Trid. & Brixinen. Ecclesiarum* „ *Advocati*, *& Venerabilis in Xpo Patris Domini Mathei Dei gratia Epi*„ *scopi Brixinensis*. *Presentibus strenuis viris DD. Henrico de Esloch Co*„ *mite*, *Henrico de Rotemburgo Ducalis Curie Magistro*, *Volchemario de* „ *Purchstal*, *Henrico de Anniberg*. (Amberg), *Georio de Vilandris*, *Te*„ *gnone de Vilandris*, *Henrico de Raspach* (Rasp), *Altomo de Boimont* „ *Militibus*, *Altomo de Synano*, *Rambaldo q. D. Zelemie de Castronovo*, „ *Nicholao de Arso*, *Simeone & Simone de Tono*, *Bertoldo & Henrico de* „ *S. Ipolito Vallis Ananie*: *Honestis & prudentibus Viris D. Ottone de* „ *Hepiano*, *D. Michaele de Castronovo Canonicis Trid.*, *Honorabilibus & sa*„ *pientibus Viris DD. Cyno de Castelione Judice & Consiliario Domini Re*„ *gis Bohemie*, *ac Vicario Trid.*, *Justiniano de Gardolis*, *Adelperio Domi*„ *ni Calapini*, *Barufaldo Domini Nicholai*, *& Francisco de Burgonovo Juris* „ *peritis & Civibus Trid.* Testibus, & aliis multis presentibus rogatis &c.

„ (L. S.) Ego *Alemanus q. Ser Facbonis de Fine Dioc. Pergamensis* Im„ periali auctoritate Notarius cum infrascriptis *Henrico de Landesperg*, *Johanne* „ *Ser Bonaventure de Arezio*, *Tridentino de Tujeno*, & *Crescimbeno q. D. Te*„ *baldi de Verona* Notaris, ad hec una mecum presentibus & rogatis, „ predictis omnibus interfui, & rogatus ea publice scripsi. “

E vestigio sequuntur aliae praefatorum Notariorum subscriptiones. Synodum Dioecesanam congregavit an. 1339., quo etiam per *Hermannum de Marano de Parma* Procuratorem suum Synodo Aquilejensi subscripsit: Eodem anno 1339. die 12. Aprilis, *praesentibus D. Ottone, D. Justiniano, & D. Nicolao de Bruna*, ex fratre nepote Episcopi nostri, huic manifestavit sua Feuda *Joannes de Castrobarco* in hunc modum:

„ Hec sunt Feuda, que ego *Johannes q. D. Abriani q. D. Bonifa-„ cii de Castrobarcho* teneo a Vobis *Reverendo Viro Domino Nicolao Dei „ gratia dignissimo Episcopo Tridentino.*

„ Imprimis *Ravioni* Castrum Vallis Lagari.
„ Item Castrum a *Zengulo*.
„ Item Castrum *Therodoy*.
„ Item Castrum *Paludi* jacens in Brentonicho.
„ Item Castrum *Paudi*.
„ Item Castrum *Albani*.
„ Item Medium Castrum *Castricorni*.
„ Item Decima de *Morio*.
„ Item Medium Castrum *Pradaye*.
„ Item Muda *Sachi*, scilicet Media pars.
„ Item Media pars Mude *Marchi*.
„ Item Media pars Turris *Castrobarchi*.
„ Item Media pars *Lizane*.
„ Item Medium Castrum *Avi*.
„ Item Medium Castrum *S. Jorii*.
„ Item Medium Castrum *Cruzole*.
„ Item Decima de *Castrobarcho*.
„ Item Castrum *Seravallis*. "

Sub ipsomet anno 1339. in Vigilia *B. Laurentii Martyris gloriosi*, Bohemiae Rex *Joannes Lucemburgicus* eidem nostro Episcopo *Nicolao* solemni Diplomate pro ejus Episcopatu concessit, ut Insigniis Sancti *Wenceslai* pariter Bohemiae Regis uti valeret, nempe Aquila nigri coloris in summitate alarum, rostro, ac pedibus deaurata.

Item eodem *anno* 1339. *Indict. septima, die ultimo Decembris in Castro Boni Consilii in Capella Superiori dicti Castri Episcopalis, coram Venerabili Patre & D. D. Nicolao Dei & Apostolicae Sedis gratia Episcopo Tridenti comparuit Nobilis Miles D. Nicholaus de Castro Archi, filius q. Nobilis Militis D. Odorici de dicto Castro Archi pro se, & ut Procurator & Procuratorio nomine Nob. Viri Joannis sui Nepotis fil. q. Nob. Viri*

D. Ge-

D. Gerardi filii q. dicti Domini Odorici, professus est, & recognovit secum dicto Joanne ejus Nepote habere & tenere, & eorum Praedecessores habuisse & tenuisse in Feudum, & Feudi nomine Feuda, & Bona Feudalia ab Ecclesia Tridentina per centum, ducentum annos, & ultra, & tanto tempore, cujus non extat hominum memoria, videlicet Castrum Arci cum omnibus suis Juribus &c. Praesentibus R. R. D. D. Othone de Epiano Canonico Tridentino, Generali Vicario praedicti Domini Episcopi Tridentini, Sapiente Viro D. Cino (de Castellione) *Judice, ejusdem Domini Episcopi Vicario in Tridento &c.*

An. 1340. teste Raynaldo ad eumdem annum sub num. 71. ipsi, ac Novocomensi, Tarvisinoque Episcopis, provincia demandata est anathemate liberandi Feltrenses atque Bellunenses oppidanos, qui Ludovici Bavari jugum servitutis excusserant.

Cum autem de gestis *Nicolai* nostri circa haec eadem tempora loquatur Chronicon Bulsanense an. 1548. conscriptum apud Puellium, pauca quae sequuntur, ex eodem excerpam:

„ An. 1339. *Joannes* Dux Carinthiae, Comes Tyrolis & Goritiae, „ filius Regis Bohemiae, una cum „ *Nicolao Episcopo Tridentino*, Ca„ strum *Laimburg* ultra Bulsanum „ situm, ad D. *Henricum de Rottemburg* spectans, destruxerat. „ An. 1340. in Caena Domini 13. „ April. *Nicolaus Episcopus Trid.* „ Bulsani primam Institutionem ha„ buit. Eodem Anno *Joannes* Dux „ Carinthiae de Provincia Athesina „ recedens, eandem praedicto *Epi*„ *scopo Nicholao* commendabat. Eo„ dem Anno in die S. Catharinae „ a duobus Castelbarcis Castrum „ *Peneda* supra *Gratsch* (Gartsch,) „ situm praefato Episcopo extra„ debatur, id D. *Nicolao de Arco* „ sua urgentissima obsidione evin„ cente. Eodem Anno 3. Sept. „ (*imo ut dixi praecedente* 1339. „ *in Vigilia B. Laurentii*) Eccle„ siae Tridentinae certa Insignia con„ cedebantur a Rege Bohemiae „ per Filium suum Marchionem „ Moraviae, *Nicolao* ibidem *Episco*„ *po*, ex Civitate Brünna in Mo„ ravia oriundo, transmissa. Erant „ autem Aquila Nigra flammis ru„ bris circumdata in Campo flavo. „ An. 1341. 11. Jun. die Sabbathi „ (aliud MS. habet 11. *Octob.*) *Ni*„ *colaus Episc. Trid.* auxilio *Joan*„ *nis* Ducis Carinthiae &c. Castrum „ *Laimburg* supra *Caldarum* ab *Hen*„ *rico de Rottemburg*, contra Episco„ pum & in damnum Ecclesiae Tri„ dentinae reaedificatum, secunda vi„ ce dextruxit &c. "

Dolendum hujusmodi Chronicon parum esse in Notis chronologicis accuratum.

Idem noster *Nicolaus* ita sequebatur partes saepe dicti Comitis ac Ducis *Joannis*, ut *B. Bertrandus* Patriarcha Aquilejensis apud Ughellum To. V. *Ital. Sac.* col. 100. scripserit: *Dominus Joannes Comes Tyrolis*

N 2 una

una cum Episcopo Tridentino venit ad nos in Sacile, habentes secum ultra septingentos equos, quibus omnibus fecimus expensas abundanter, & ipsum Comitem investivimus de Feudis suis. Haud tamen memorato Comiti usque adeo adhaesit *Nicolaus* noster, ut Ecclesiae suae curam neglexerit. Hinc aliam subinde an. 1344. habuit Synodum, in qua celebrem publicavit Constitutionem contra Vassallos, & Emphyteutas, Bona Ecclesiae suae occulte detinentes, injusteque occupantes, constituto D. *Francisco* de *Maynentis* Canonico Vicentino, & Vicario suo in Spiritualibus Generali, ad inquisitionem ea super re solerter faciendam, multis hoc pacto juribus Ecclesiae suae restitutis.

In eadem Synodo mandavit *per Clericos & Laicos Civitatis, Dioecesis & Districtus feriari, & inviolabiliter observari*, nedum *Festum Patroni Beati Vigilii Martyris gloriosi, & Sanctorum Martyrum Sisinii, Martyrii, & Alexandri*, sed etiam *ceterorum Sanctorum Corporum Civitatis, & Dioecesis Tridentinae, quorum Corpora in Dioecesi, & Ecclesia Tridentina esse noscuntur*. Neque quis miretur, quod in praefata Synodo nulla fiat expressa mentio nostri *S. Adelpreti*; miretur potius, haud itidem exprimi in ipsamet nomen *S. Maxentiae Matris S. Vigilii*, tametsi *Nicolai* nostri proximus Praedecessor *Henricus* ad coërcendos Nobiles atque Potentes, leges acquissimas tulerit, ac publicaverit an. 1322. *ad honorem & reverentiam Omnipotentis Dei & Beatae Mariae semper Virginis gloriosae Matris ejus, suorumque Sanctorum Beatorum Vigilii & Mascenciae Protectorum & Defensorum tocius Civitatis & Dyoc. Trid.* Heic quoque memoratu digna illa ejusdem Synodi Constitutio, qua dicitur: *Omni anno quintadecima die post Festum Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi omnes & singuli tam Regulares quam Saeculares, Laici & Praelati nostrae Civitatis & Dioecesis Tridentinae, hora nona in nostra Majori Ecclesia Tridentina sub poena decem Librarum pro quolibet ad celebrandam Synodum debeant personaliter interesse &c.*: quam quidem numquam satis laudandam consuetudinem celebrandi quot annis Dioecesanam Synodum, a suis Praedecessoribus, aliisque piis Praesulibus, accepisse *Nicolaum* nostrum nemo negaverit.

A praefato Rege *Carolo IV.* anno 1347. die 21. Julii in favorem Ecclesiae suae per solemne Diploma obtinuit beneficium restitutionis in integrum rerum omnium, quibus Tridentini Episcopi fuerant *injuste & indebite spoliati per quondam Maynardum Tyrolensem & Praedecessores, & Successores*. Dubitari minime potest, *Nicolaum* nostrum adversa multa pertulisse a *Ludovico* Marchione Brandeburgico, postea quam *Margaretha Maultasch*, sive *Maultbasserin*, ita dicta ob *magnum os* (ait Arnpekius) sive ob *repandi oris vitium* (inquit Gerardus de Roo) repudiato supradicto *Joanne*, filio *Joannis* Bohemiae Regis, ac fratre ejusdem *Caroli IV.* ad novas nuptias cum praefato Lu-

Ludovico Brandeburgico transvolavit. Agendum quoque *Nicolao* eidem fuit contra *Ludovicum* Imperatorem ipsiusmet *Ludovici* Brandeburgici Patrem; refert enim Ughellus To. 4. *Ital. Sac.* col. 249. „ Junxit „ Joannes (*Archiepiscopus Mediolanensis ex Vicecomitibus*) armorum „ foedus adversus Ludovicum Bavarum, nova decretoria sententia a „ Clemente deturbatum de Sede, „ cum Carolo Rege Bohemiae, „ Caesare designato. Extant Pontificiae literae ad eundem Carolum „ Augustum, tum ad Joannem Archiepiscopum, ut auxiliaribus copiis cum *Nicolao Episcopo Tridentino* sociatis, Ludovico Bavaro in „ Italiam iterum irrumpere meditanti, Alpium aditus intercludere. " Vide *Annal. Pistorien.* ad an. 1346. To. XI. *Rer. Ital. Script.* col. 519. Rainaldus quoque ad an. 1340. n. 67. exhibet Epistolam *Bertrando* Patriarchae Aquilejensi scriptam a Papa *Benedicto XII.*, in qua mentio fit de colloquio, quod *Nicolaus* noster habuit cum praefato Patriarcha, *ne Bavarus, vel gentes suae transire possent ad partes Italiae*.

Vita functus est *Nikolsburgi in Moravia* an. 1347. excunte, post se relinquens serae posteritati locupletissimum, simulque authenticum Codicem membranaceum, Ecclesiae suae Tridentinae Monumenta continentem: de cujus quidem sinceritate nefas duxerim dubitare ob leviuscula quaedam Indictionum vitia, aliaque id genus in eo reperta sphalmata, probe gnarus eorum, quae Covarruvias, Baluzius, Mabillonius, Cangius, Fontaninus, Palmerius, aliique viri doctissimi hac de re tradiderunt. Praesertim cum Veteres minime constantes fuerint in figendo earumdem Indictionum initio, alii ducentes anni exordium a die 25. Decembris, alii a Januario, alii a Martio, alii a Septembri, & alii etiam ab Octobri, uti Petavius, ac Patres Maurini bene notarunt. De eodem Codice fusius actum in *Dissert. Praev. Vol.* 2. *pag.* lxxxviii.

Ab eodem *Nicolao* auctum habemus Tridentinum Statutum, quod exstat adhuc in Tabulario Castri Boni Consilii Germanice scriptum. Idem perrexit cudere Monetas, quarum ectypon plures viderunt. Sedente laudato *Nicolao* constructam Domum Flagellantium, quam vocant *Battutorum*, demonstrat haec supra januam Inscriptio:

Hec est Domus Batutorum Laicorum Civitatis Tridenti, qui nunc sunt, vel pro tempore fuerint, incepta & edificata ad honorem Dei, & Virginis Marie, ac Ven. Patris Domini D. Nicolai Dei gratia Episcopi Tridentini, per Bonaverium de Belenzanis predictorum Fratrum tunc Ministrum sub anno Domini M. III. XL. die XXV. Januarii.

Sub eodem Antistite *Nicolao* (anno scilicet 1339. Indict. 7. die Lunae 29. Mensis Novembris) *Magnificus Vir D. Fredericus de la Scala Comes*

Val-

Vallispullicellae, Tridenti suum condidit Testamentum, in quo se se satis beneficum ac liberalem exhibuit erga *Sorores Minores Ordinis Sanctae Clarae in Claustro S. Michaëlis de Tridento*, nec non ergo *Sorores Minores Ordinis Sanctae Clarae de Marano Comitatus Tirollis*. Mentio in eodem fit *Sophiae filiae suae Uxoris Domini Azonis de Castrobarcho*. Inter Testes numerantur ex Canonicis Trid. *Domini Henricus de Rallo Decanus Majoris Ecclesiae Tridentinae, Petrus de Rallo Canonicus, & Archipresbyter Plebis de Lagaro*, nec non *Rolandinus de Rangonibus de Parma Canonicus*; ex FF. Praed. Trid. *Fr. Dominicus de Padua Prior*, ac *Fr. Paulus de Tridento*; ex FF. Minor. Trid. *Fr. Franciscus de Mantua Guardianus*, & *Fr. Joannes de Padua*; ex FF. Heremit. Trid. *Fr. Haymericus de Mantua Prior*, & *Fr. Johannes de Verona Lector*; ex FF. S. Mariae de Montebaldo *Fr. Martinus Sacerdos*, & *Fr. Bartholomaeus Conversus &c.*

LXXXIV. GERARDUS II.

De *Magnaco de Widers*, quem Ughellus vocat *Decanum de Bauterio in Ecclesia Constantiensi*; Balutius vero *Canonicum Nametensem*, & *Archidiaconum de Balthesio* in eadem Ecclesia, opinaturque fratrem habuisse *Aymericum de Manbaco Archiepiscopum Parisiensem ex antiqua nobilitate Lemovicensi Oppidi de S. Juniano*. In Literis *Clementis VI.* apud Raynaldum ad an. 1346. n. 36. nuncupatur *Magister Geraldus de Magnaco Archidiaconus de Balthesio Constantiensis Ecclesiae, Capellanus noster*. Ab eodem *Clemente* fuit Epus Tridentinus electus die 12. Decembris an. 1347. Mox sequenti anno 1348. die 4. Januarii, ceu Tridentinus Electus constituit Nob. Virum D. *Nicolaum Alraim* de Bruna Capitaneum suum, cum in Tridentina Civitate, tum in Episcopatu qua late patet universo; pariterque die 29. Maji ejusdem anni ceu Electus, per suos Vicesgerentes D. *Othonem de Eppiano* Archidiaconum, ac reliquos Canonicos, constituit suos generales Capitaneos in tota Judicaria Nobiles Viros D. *Nicolaum de Arco* Militem, & *Joannem* ejus Nepotem f. q. D. *Gerardi de Arco*. Sed Ludovici Brandeburgensis Marchionis, Tirolisque Comitis, grandi violentia, injustaque bonorum Ecclesiae Tridentinae occupatione coactus extorrem ducere vitam, huic eodem anno 1348. finem imposuit.

De eo praeter allegatos agunt Abrahamus Bzovius, Cherubinus Ghirardaccius &c. Sub ejusdem *Gerardi* tempora in tabulis occurrit mentio *Dominarum Honoritae, & Itae Monacharum & Conversarum Ecclesiae S. Blasii subtus Villam Romalli Plebatus Revoy* in Anaunia, atque *Monacharum praedecessorum*.

LXXXV.

LXXXV. JOANNES III.

De *Pistorio*, dictus etiam in antiquo Catalogo, *Cortisanus de Tuscia*, & ab Ughello appellatus *Decanus Ecclesiae S. Salvatoris Trajectinensis Dioecesis*. Apud Raynaldum autem ad an. 1346. n. 19. ac n. 26. etsi nominetur *Magister Joannes de Pistorio Decanus Ecclesiae S. Salvatoris Trajectensis*; in Literis tamen *Clementis VI.* ibidem n. 36. dicitur *Magister Joannes de Pistorio Decanus S. Joannis Trajectensis, Capellanus noster*. Ab eodem *Clemente* meruit eligi Tridentinus Antistes die 28. Octobris an. 1348. Anno mox sequente hocce Ripensibus Privilegium tribuit:

„ In Christi nomine. Amen. Nos *Joannes miseratione Divina* „ *Dux, Comes & Marchio, Episcopus Trid.* Volentes Predecessorum no„ strorum vestigia imitari, & etiam intendentes toto mentis affectu „ subjectorum nostrorum utilitatibus providere, & ab ipsis in quantum „ possumus scandala removere: nec non inherentes Statutis ac Edictis „ predictorum, & specialiter Edicto & Statuto edito per *bone memorie* „ *Venerabilem Patrem Dominum Bartholomeum olim eadem miseratione Epi*„ *scopum Trid.* intitulato ac posito sub Rubrica: *Quibus locis pro posses*„ *sionibus Collecte solvi debeant &c.* edito die Lune decima Aprilis sub „ An. Domini 1307. Indict. 5., nec non Dilectorum Fidelium nostro„ rum Hominum Terre nostre *Ripe* Trid. nostre Dyocesis precibus in„ clinati, hoc irrefragabili Edicto seu Privilegio speciali sancimus, edi„ cimus, statuimus & ordinamus, quod terre, vinee, domus & posses„ siones site & posite in Plebatu nostre Terre Ripe, que fuerunt tem„ poribus preteritis alienate quocumque titulo, sive in ultimis volun„ tatibus relicte quibuscumque personis, & locis cujuscumque conditio„ nis existant, non habitantibus in Terra nostra, nec cum ipsa & ipsius „ Communitate onera & functiones publicas substinentibus, extimari „ debeant bona fide, sine fraude & dolo, per Officium sive Extimatores „ Communis Terre Ripe predicte nunc ad hoc deputatos, & de cetero depu„ tandos, & juxta eorum extimationem sic fiendam dictarum domorum, ter„ rarum, vinearum & possessionum possessores & detentores ubi velint habi„ tantes teneantur & debeant cum Hominibus & Communitate nostre Terre „ Ripe predicte onera & functiones publicas sustinere, & solvere an„ garias & perangarias, que predicti Homines & Communitas pro uti„ litate & statu suprascripte Terre Ripe & Plebatus ipsius, seu alias „ prout crediderunt expedire, duxerunt pro libito voluntatis imponen„ da & etiam ordinanda. Idem intelligentes & statuentes de dominibus, „ terris, vineis & possessionibus in quaslibet personas de cetero quoquo „ titulo alienandis, seu in qualibet ultima voluntate modo quolibet re-

„ lin-

„ linquendis. Et quod predicte persone predictorum bonorum possessores, sive que de cetero dicta bona modo quolibet possiderent & „ detinerent, ad solutionem dictorum onerum & publicarum functionum „ imponendarum per Homines & personas prefate Terre Ripe ad statum & utilitatem ipsius Terre Ripe & habitantium in ipsa, per Potestatem & Officium suprascripte Terre Ripe possint & debeant compelli & costringi per penarum impositionem & earum exactionem, pignorum captionem, & dictarum personarum incarcerationem, ac etiam „ fructuum, bonorum & reddituum arestationem, detentionem & venditionem, & per alia Juris remedia, prout melius crediderint expedire. Item statuimus & edicimus & ordinamus, quod nullus habitator „ Terre nostre predicte vel non habitator, qui ad presens aliqua de „ dictis domibus, vineis, terris & possessionibus detineat & possideat „ quoquomodo, vel in futurum modo quolibet contingeret possidere, „ audeat vel presumat ipsas domos, terras, vineas & possessiones & „ bona, sive aliquas ex ipsis quoquo modo vendere, donare, seu aliquo alienationis titulo vel in ultima voluntate transferre in aliquas „ Personas & loca non habitantes in prefata Terra Ripe, sive non sustinentes realiter & de facto onera & publicas functiones dicte Terre „ Ripe. Quod si contrafactum fuerit, tunc venditores, donatores & „ alienatores dictorum bonorum sive alicujus eorum, & in ultimis voluntatibus quomodolibet contra predicta vel aliquid predictorum relinquentes, sive ipsorum heredes, in amissione precii dictarum domorum, terrarum, vinearum & possessionum, sive extimationis earum, „ debeant condemnari: quod precium sive extimatio per Officium nostre „ Terre Ripe exigi debeat nostro, & Successorum nostrorum auxilio si „ opus fuerit mediante. Et nihilominus Contractus, Donationes, ultime Voluntates & Instrumenta omnia super his confecta quantum ad „ hec ipso Jure non valeant & nullum robur obtineant firmitatis. Tabelliones vero qui super premissis vel aliquo premissorum modo quolibet scienter Instrumenta confecerint, in 50. lib. Veronen. parvulor. „ debeant condemnari & in plus arbitrio Potestatis. Hii autem qui ad „ predicta scienter testes & mediatores extiterint, nisi infra triduum „ dicte Terre Ripe notificaverint, in 25. lib. debeant condemnari & in „ plus arbitrio Potestatis nostri. Cui per presens Privilegium obviare „ intendimus, ut premittitur, ut onus in pluribus partium facilius supportetur. In cujus rei testimonium presens Privilegium nostri Episcopalis Sigilli appensione muniri mandavimus. Datum & Actum in „ Episcopali Palacio Veronensi die Mercurii penultimo Mensis Aprilis „ Anno Domini nostri Jesu Christi 1349. Indict. 2. "

At

At cum Tridentina Civitas a Ludovico Brandeburgensi adhuc occupata teneretur, grassareturque in ea quorumdam rebellium Nobilium ac Magnatum persecutio, Ripae ad Benacensem Lacum Sedem fixit, tuncque pro tuendis Ecclesiae suae Juribus, & ab injusto occupatore vindicandis, eamdem Ripam *Mastino II. Scaligero* Veronae Domino oppignеravit, ea lege, ut loco ipsius in Italiam abituri, Bona Ecclesiae defendere, ac recuperare pro viribus adniteretur. Diploma hac de re praefert *Actum, Datum & Factum Veronae in Palatiis dicti Magnifici D. D. Mastini de la Scala in Contrata Sanctae Mariae Antiquae die 29. Novembris* 1349. Memorantur in eo ex Tridentinis *Joannes de Belenzanis de Tridento, qui habebat Castrum Tenni a Capitulo Ecclesiae Tridentinae, Episcopali Sede tunc vacante, Nobilis Miles D. Nicolaus de Arco, & Joannes ejus Nepos de Arco, qui habebant in pignore a D. Episcopo Tridentino Jurisdictionem de Arco, & D. Trentinus de Toculis Judex de Tridento, qui habere debebat ducentos florenos auri a D. Episcopo pro Custodia & Salario Castri & Terrae de Ripa*. Ex eodem Diplomate palam est nostrum *Joannem* ad Ripam ita oppignerandam, fuisse fatali quadam necessitate adactum *propter gravem rebellionem quorundam Nobilium, & Magnatum Civitatis & Districtus Tridenti inimicorum, & rebellium Reverendi Patris D. D. Joannis Dei gratia Episcopi Tridentini, Ducis, Marchionis, Comitis, & Ecclesiae Tridentinae, qui Deum prae oculis non habentes, non solum dictum D. Episcopum Tridentinum, ac Ducem, Marchionem, & Comitem ad suam Episcopalem Sedem in Civitate Tridenti recipere noluerunt, sed etiam Terras, Castra, Jurisdictiones, & Bona spectantes, & spectantia ad dictum D. Episcopum & Ecclesiam Tridentinam, per vim & potentiam &c. occupare & opprimere conabantur*.

Anno 1352. die 20. Februarii *Canis Grandis de Scala* fuit pro eodem *Joanne* Epo Capitaneus Arci, licet is ad Spoletanam Ecclesiam fuisset jam nominatus an. 1349. Dicto autem anno 1352. idem *Joannes* Tridentino Episcopatui nuncium penitus misit, originalibus tabulis certam fidem facientibus, quod an. 1353. Tridentina Sedes omnino vacaret.

De hoc Episcopo legere est apud Ughellum Tom. 4. in Joanne Archiepiscopo Mediolanensi 103. „ Cum Ludovicus Junior, parto „ Tyrolensi Comitatu, *Joannem Tridentinum Episcopum* bello vexaret, „ rogatus Vicecomes a Pontifice, „ ut Praesulem inique oppressum „ auxiliari exercitu fulciret, illum „ in manu potenti ab injuriis po„ tentissimi Principis ademit. " Nec non To. 1. apud eumdem Ughellum in Epo Spoletano 48. „ Joannes Hetruscus Pistoriensis „ *Tridentinus Episcopus*, cum semel „ sibi delatae dignitatis exterus ho„ mo nunquam inire possessionem „ po-

„ potuisset, ad Ecclesiam Spoletanam translatus est an. 1349. 10. Kal. Nov. ex Reg. Vatican. Epis. 59. fol. 41.; ejusdemque mentio habetur in Lib. Solutionum Sacri Collegii an. 1350. Is Praelatus sanctissimis moribus fuit, cumque sanctitatis opinione e vivis discessit an. 1371. “

LXXXVI. MAYNARDUS.

De *Neubaus*, seu *Novadomo*, Baro Bohemus, *Ulrici IV. ex Margarita filia Mainbardi Carinthiae Ducis filius*, ut legere est apud Ughellum. Qui quidem *Ulricus* verisimiliter idem est cum *Nobili Viro Ulrico Domino de Novadomo Pragensis Dioecesis, Barone de Regno Boemiae*, a Benedicto XII. sacris Indulgentiis affecto, ob ipsius zelum *pro exaltatione catholicae fidei*, & *baereticorum exterminio, vel reductione ad lucem catholicae veritatis*, quemadmodum sonat Diploma relatum a Raynaldo ad an. 1340. n. 72. Porro *Maynardus* fuit primum Canonicus Pragensis, tum electus Tridentinus Episcopus die 4. Novembris an. 1349. Sed cum praefati Ludovici Brandeburgensis vi & armis omnia occupantis caussa ad possessionem pertingere neutiquam valuisset, hinc factum est, ut ejus Praedecessor *Joannes* Episcopatum saltem animo retinuerit usque ad an. 1352., quo se prorsus abdicavit. Profecto *Maynardum* numquam iniisse possessionem facile persuaderi potest, nedum quia eodem anno 1352. die 8. Junii (referente Benevenuto de S. Georgio in *Hist. Montis-Ferrati* col. 536. To. 23. *Rer. Ital. Script.*) veluti tantummodo *electus Episcopus Tridentinus*, una cum *Joanne* Epo Moraviensi, seu Olomucensi, & aliis, fuit testis cujusdam Protestationis ab Imperatore Carolo factae in Castro Petrae-Sanctae, sed etiam quia in Tabulis an. 1353. *D. Franciscus de Domina Bellina de Tridento* (in aliis Chartis vocitatus *Miles de Zaffonibus*, *alias de la Bellina Civis Trid.*) absque ullius Episcopi mentione nominatur *Vicarius in Valle Ananiae & Solis*, ejusdem vices gerente *in Villa Banchi*, *ubi Jus fiebat*, *Domino Nicolao de Avolano habitatore Tridenti*. Idque adhuc clarius elucescit ex alia Charta ejusdem an. 1353. diei 14. Aug. in qua memoratur *D. Loterius de Brixia Vicarius Generalis in spiritualibus pro Capitulo Tridentino Sede vacante*; & ex alia an. 1355. diei 23. Januarii, in qua idem *Loterius* dicitur *Laurentius de Brixia Canonicus Trid. pro Capitulo Trid. in spiritualibus Vicarius Generalis nullo praesidente Pastore*. Item ex alia an. 1356. diei 4. Apr. in qua asseritur, Epum a sua Sede absuisse. Similiter ad an. 1357. diebus 29. & 30. Decembris occurrit *Bartholomaeus de Vallesella Can. Trid. & Vicarius Generalis in spiritualibus pro Capitulo Tridentino*, *nullo residente Pastore*. Tandem *nullo praesidente Pastore* fuit quoque *Generalis Vicarius totius Episcopatus Trid. Ven. D.* Hen-

Henricus Plebanus Tyrolensis; uti constat ex Charta scripta *in Castro Valerii* an. 1358. die 23. Junii.

Vitam noster *Maynardus* absolvit Pragae anno 1362., qui, dum vixit, promovere studuit cultum Deiparae Virginis: namque in Tridentina Episcopali Bibliotheca servatur Codex Chartaceus manu scriptus an. 1417. & *Laus Mariae* nuncupatus, in quo reperitur sequens *Bulla* eo ipso an. 1417. descripta:

„ Arnestus Dei & Apostolice Sedis gratia Sancte Pragensis Ecclesie „ Archiepiscopus, Universis & singulis Clericis secularibus & religiosis „ cujuscumque status, condicionis, aut preeminentie existant, jure or- „ dinario nobis subditis, ac omnibus Christifidelibus per & infra no- „ stram Diocesim constitutis, salutem in Domino sempiternam. Notum „ sit universitati vestre, quod accedens ad nostram presenciam Venera- „ bilis in Christo Frater & Dominus Dominus *Meinhardus de Nova Do-* „ *mo* Electus Ecclesie Tridentine exhibuit & presentavit quemdam Li- „ bellum de novo editum ad laudem & honorem beatissime virginis „ Marie, qui intytulatur *Laus Marie*, petens a nobis cum instancia, „ quatenus benigne annueremus, ut per Clericos nostre Diocesis, qui- „ bus placeret, & quorum corda tangeret Spiritus Sanctus, Series dicti „ Libri ad Cursum beate Virginis successive pro lectionibus legeretur: „ non obstantibus lectionibus ad Cursum ipsum ab antiquo legi con- „ suetis, & Constitutione nostra, & predecessorum nostrorum quacum- „ que. Et nichilominus dictas lectiones devote legentibus certas In- „ dulgentias ad promerendam vitam eternam concederemus. Nos ita- „ que precibus hujusmodi justis & rationabilibus favorabiliter annuen- „ tes, & presertim per hoc venerabili & intemerate virgini Marie, ex „ cujus partu felicissimo desupercelestis throni fulgorem humano ge- „ neri non ambigimus, ymmo aperte cognoscimus interminabilis felici- „ tatis augmentum divini muneris inces sabili profluvio derivari, speciale „ laudis preconium procurare & efficere cupientes: omnibus vere peni- „ tentibus, contritis, & confessis, qui dictas lectiones de novo com- „ pilatas ad Cursum legerint devote, pro qualibet die XL. dies In- „ dulgentiarum de injunctis eis penitentiis misericorditer in Domino „ condonamus. Insuper speciali concessione misericorditer dispensamus, „ quod hii, qui hujusmodi novas lectiones tenuerint, ad alias, que prius „ legi consuete sunt, ut prefertur, non sint aliquatenus alligati & astri- „ cti: harum, quibus sigilla nostra sunt appensa testimonio literarum.

„ Datum in Raudnitz Anno Domini M. CCC. Quinquagesimo VI. „ die XXII. mensis Decembris. "

Hinderbachius noster in margine notat: „ Credendum etiam, quod „ *Meinardus* Electus Tridentinus, „ ad cujus preces & instantiam hec „ Compilatio, seu Excerptio Lau- „ dum beate Virginis edita, ac „ indulgentie concesse, similiter & „ ipse pro ampliatione ejusdem pro „ observantibus in Eccle$i$a & Dio- „ cesi sua similes indulgentias con- „ cesserit &c. „

Continuo subnectuntur Literae *Gotfridi* Epi Pataviensis an. 1358., *Georii* pariter Episcopi Pataviensis an. 1405. atque *Werchtoldi* Archiepiscopi Saltzburgensis an. 1405. ejusdem ferme tenoris; quarum priores, tametsi *Maynardi* nostri nomine carentes, ad ejusdem nihilominus preces indultas, & publicatas non dubitamus.

Laudato *Maynardo* adhuc vivente, scilicet anno 1357. die 7. Febr. Syndici & Majores Communitatis *Pinedy*, seu Pineti, a *Domino Concio dicto Zinle Capitaneo Castri Perzini vice & nomine Domini ac illustris Principis D. Ludovvici Marchionis Brandenburgensis, Ducis Karinthie & Babarie, Comitis Tyrolis & Goricie, Archicamerarii S. R. I. &c.* pretio *CC. & LXXXX. Florenorum boni auri & justi ponderis* coëmerunt *Castrum Rokkabrune*, ac destruxerunt. Anno autem 1359. feliciter accidit, ut memoratus *Ludovicus* ad meliorem mentem, atque ad Ecclesiae obsequium reverteretur, uti testantur ejus Literae datae Monachii Frisingensis Dioecesis penultima die Mensis Aug. Anno Dni MCCCLVIIII. Integras refert Raynaldus ad eumdem annum a num. 7. usque ad 10. Nos heic exscribemus tantum earum fragmentum, quatenus ad Tridentinam adtinet Ecclesiam:

„ Nos *Ludovicus de Bavaria* primogenitus *quondam Ludovici de Bavaria*, qui pro Romanorum Imperatore, dum viveret, se gessit, sed „ judicio Ecclesiae reprobati, in praesentia coram Reverendis Patribus „ Dominis *Paulo Frisingensi Episcopo, & Petro Abbate Monasterii S. Lamberti Salzeburgensis Dioecesis*, Commissariis super infrascriptis a Sede „ Apostolica specialiter deputatis &c., confitemur & recognoscimus, quod „ *Civitatem Tridentinam*, & nonnulla Oppida, Castra, Terras, Villas, „ loca, bona, jura, & jurisdictiones, ad *Ecclesiam Tridentinam* spectantia, occupavimus, & per duodecim annos vel circa detinuimus occupata: sed ea omnia nuper vobis Reverendis Patribus Dominis Commissariis praedictis, vice & nomine dictae Romanae Ecclesiae recipientibus, secundum Domini Papae mandatum, libere, realiter, & expedite restituimus, & assignavimus, seu assignari fecimus, prout nostis: „ & alia bona spectantia ad *Capitulum dictae Ecclesiae Tridentinae*, per „ nos, seu alios, nostro nomine, seu favore hactenus occupata & de- „ tenta,

„ tenta, ipsis Capitulo restituimus, assignavimus, tradidimus, & dimi-
„ simus, seu per alios occupata nostro favore tenentes assignari, resti-
„ tui, & dimitti plene & libere fecimus, prout de hoc per literas eo-
„ rundem Capituli, eorum sigillo munitas, clare & sufficienter docui-
„ mus coram vobis &c. "

LXXXVII. ALBERTUS II.

Ex Comitibus *Oelegiae* & *Ortenburg* in Carinthia (utpote quos *Comites* constanter vocant Liberalis de Levada, Anonymus Leobiensis, ac passim Diplomata, & MSS.) ab Ughello dictus etiam *Cassitus*, electus vel desinente anno 1362., vel certe ineunte anno 1363., cum die 24. Januarii ejusdem anni 1363. possessionem Episcopatus jam fuisset adeptus, agentibus Austriacis Ducibus, ad quos Comitatus Tirolensis pervenerat.

Eo ipsomet an. 1363. die 17. Octobris confirmavit Flemmensibus Privilegia, uti constat ex Documento dato *Tridenti in Contrata S. Benedicti in Domo sua*, apud MS. Catalogum P. Ambrosii Rosmini. Elargitus est etiam Investituram Feudorum *Nobili Viro Ser Petro de Castro Thoni q. Nob. Viri D. Simonis de dicto Castro Thoni*. Ita exorditur: „ In nomine Domini. Anno ejusdem Nat. 1363. Indict. 1. die „ Dominica 19. Mensis Novembris „ Tridenti in Episcopali Castro Boni Consilii in Stuba Sale superioris dicti Castri: presentibus Nobilibus Viris D. *Marco* Milite de „ Castro *Clesii* q. Nobilis Viri D. „ Manphredi Militis, D. *Ebelle* Juris utriusque perito de dicto Castro *Clesii* q. D. Friderici, Aymano de dicto Castro *Clesii* q. D. „ Symonis, Ser *Uricio* de Castro „ *Thoni* q. D. Friderici, Ser *Vigilio* „ de dicto Castro *Thoni* q. D. Bertholdi, Ser *Josio* de Castro *Sancti* „ *Ypoliti* q. D. Heinrici, & *Sandrio* „ de *Rallo* q. Ser Warienti; omnibus de Valle Annania Dioc. Trid. „ nec non D. *Riprando* de *Formigario* &c. " In hujusmodi Investitura quatuor Castra nominantur 1. *Castrum Belvesini*, 2. *Castrum Thoni*, 3. *Castrum Visionis*, 4. *Castrum Bragberii*.

Praefato anno 1363. Castrobarcensibus de Valle Lagari Investituram Feudorum concessit subscriptam *manu Francisci q. Magistri Bonfioli de Segallis de Rovredo Vallis Lagari Imperiali auctoritate Notarii*. Quo anno insuper quasdam Pactiones (quae vulgo *Compattate* nuncupantur) cum Austriacis Ducibus, tamquam Tirolis Comitibus, inire compulsus est, quibus alias addere postea debuit, minime obstantibus nedum restitutione facta a *Ludovico Brandeburgensi*, de qua paulo ante sub Epo *Maynardo* audivimus, sed & restitutione in integrum per Diploma *Caroli IV.* Romanorum Regis sancita, de qua diximus in Epo *Nicolao*.

Eo-

Eodem an. 1363. Ser *Thomasium de Pissavacha* investivit de Feudis *q. Ser Aichebonі q. D. Marci de Pissavacha* ejus consanguinei.

Anno 1365. die 4. Dec. Tridenti amplam tribuit Investituram *Leonardo, Antonio, & Federico fratribus ac filiis q. Ser Bertholdi de S. Hippolito* Vallis Anauniae. Anno 1367. hae habentur nostri Praesulis literae:

„ *Albertus* Dei & Apostolice Sedis gratia Electus (*annis superiori-*
„ *bus dictus etiam* Confirmatus) Tridentinus, *Comes in Ortenburg*, Dile-
„ cto Nobis in Christo *Hainrico Westfal* Clerico (*Subdiacono*) Hildesse-
„ mensi salutem in Domino. Laudabilia tue probitatis merita ab ex-
„ perto Nobis nota requirunt, ut personam tuam favore benivolo pro-
„ sequentes, tibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque Officium
„ Scolastrie in Ecclesia nostra Tridentina, ad collationem nostram spe-
„ ctans, nuper vacaverit per obitum *Martini de Bohemia* ultimi Scolasti-
„ ci ibidem: Nos volentes tibi gratiam facere specialem, Officium ipsum
„ sic ut praemittitur, vel alio quovis modo vacans, cum omnibus juri-
„ bus & pertinentiis ejus, tibi auctoritate ordinaria conferimus, ac pro-
„ videmus de illo, te investientes per nostrum annulum presentiali-
„ ter de eodem: salvo jure nostre Ecclesie Tridentine, & cujuslibet al-
„ terius. Et ut hujusmodi nostra gratia plenum consequatur effectum,
„ honorabilibus viris Domino *Udalrico* nostre Ecclesie Tridentine Deca-
„ no, ac *Francisco* de *Parma* ibidem Canonico, & cuilibet eorum in
„ solidum tenore presentium committimus & mandamus, quatenus ipsi,
„ vel unus eorum per se vel alium seu alios Te, vel Procuratorem
„ tuum nomine tuo in corporalem possessionem dicti Officii, jurium &
„ pertinentiarum ejus imponant & inducant, inductumque defendant:
„ amoto ab eo quolibet illicito detentore. Tibi, vel dicto Procuratori
„ tuo pro te faciant de ipsius Beneficii fructibus, redditibus, proventi-
„ bus, juribus, & obventionibus universis, integre responderi; contra-
„ dictores & rebelles auctoritate nostra per Censuram Ecclesiasticam
„ compescendo. In cujus rei testimonium presentes fieri jussimus, &
„ nostri Sigilli appensione muniri. Datum in *Aquilegia* Civitate Anno
„ Domini 1367. Indict. 5. die 26. Februarii. “

Anno 1368. die 10. Martii Tridenti renovavit Investituram suorum Feudorum *honorabilibus viris Cognovuto & Nicolao fratribus de Campo q. Nobilis Militis Gratiadei de Castro Campi Plebis Nomassi*; idque praesentibus *Nobb. DD. Comite Ottone, ejusque filio Comite Friderico de Ortenburg, D. Joanne de Pugnis* LL. Doctore, atque ejusdem Epi in tem-

temporalibus Vicario Generali, nec non D. *Joanne Digni* in spiritualibus ipsius Vicario Generali. Eodem anno 1368. alias duas elargitus est Investituras *Nobili viro Ser Josio de Castro Sancti Yppoliti*, *q. Ser Heinrici de dicto Castro*, alteram sub *Dat. Trid. in Castro B. C. die 24. Febr.*, alteram ibidem *die 16. Martii*. Testes prioris fuere Nobiles & Sapientes viri Dominus Comes *Otto de Ortenburg*, Dominus *Fridericus de Greiffenstain*, Dominus *Conradus dictus Pranger*, & Dominus *Josius de Grevvt* Milites, nec non D. *Joannes Digni* Generalis in spiritualibus Vicarius, *Fricius de Castro Thoni &c.*

Anno 1369. die 7. Febr. Trid. suscepit resignationem quorumdam Feudorum in favorem *Nobilis viri Guarnardi q. Nob. viri D. Nicolai de Castro Arsi* a *Ser Blasio q. Nob. viri D. Friderici de Castro Tuyeni* factam per Procuratorem *Nob. Virum D. Ebblionem* (alias *Ebbele* nuncupatum) *de Castro Clesii Jurisperitum*, & pro eodem Epo in Vallibus *Solis & Ananiae* in temporalibus Vicarium Generalem. Eodem anno ac loco, die 7. Apr. aliam tradidit Investituram *Nobili Viro Joanni de Zocbulo*, *ejusque fratri Rudigero*, *ac nepotibus Vigilio*, *Nicolao*, *& Petro de Zocbulo*, quos investivit nominatim de *Castro Zocbuli* & vineis eidem adjacentibus.

Anno 1371. die 7. Nov. motos in Anaunia, & Valle Solis fluctus composuit, solemnemque pacem inter praecipuos hujusmodi Vallium Dynastas invicem belligerantes sanciendam curavit. Anno 1373. die undec. Apr. Trid. de Feudis resignatis a *Nobilibus viris Fritzio de Thono*, & *Josio de S. Ypolito* vice & nomine *Ser Sanderi q. Ser Guarienti de Rallo*, investivit *Discretum & Nobilem Virum Guarinbertum q. D. Federici de Thono Vallis Annaniae*. Anno 1374. die 18. Dec. *Discretum virum Georgium q. Ser Aicbeboni de Tridento* tutorem & tutorio nomine *Antonii* pupilli filii & heredis q. *Thomasii de Pissavacba*, investivit de suis Feudis antiquis & rectis, quae q. *Thomasius* pater ejus, & *Aicbebonus q. D. Marci de Pissavacba*, eorumque praedecessores, dum viverent, juste a Tridentina Ecclesia tenuerunt, videlicet *de Soleo sive Loco, in quo olim erat aedificata Rocba, sive Domus de Pissavacba, cum Gazis & Nemoribus circa dictum Locum possessis ab antiquo per Aicbebonum & Thomasium, & eorum praedecessores &c.* Investituram hanc postridie subsequuta est alia ad Castrobarcenses spectans, digna plane, mea quidem sententia, ut integra heic a me referatur. Inquit ergo:

„ In nomine Domini. Die Martis 19. Decembris Tridenti in Ca„ stro B. C. presentibus Honorabili Viro Domino *Bartholomeo de Pa„ dua Decretorum Doctore Abbate Abbatie S. Laurentii prope Trid. in spi„ ritualibus Trid. Vicario Generali, D. Jacobo de Stermol Canonico Trid. „ & Capellano D. Episcopi Trid., D. Osvvaldo in Aich, & D. Nicolao in „ Wipaco Ecclesiarum Plebanis Aquilegien. Dioc., Chunrado Truschacher, „ Hainrico dicto Galle, Magistro Yvano Ciroico q. Ser Gabrielis de Yvano „ habitatore Trid. & Michaele q. Bertrami de Villa Avii Dioc. Veron.* te„ stibus, & aliis vocatis & rogatis. Omnibus & singulis hoc presens „ publicum Instrumentum inspecturis pateat evidenter, quod Nob. & „ potens Vir D. *Aldrigetus* Filius q. Nob. & egregii Militis D. *Gul„ lielmi de Castrobarcho* constitutus ante presentiam Reverendi in Xpo „ Patris & Domini Domini *Alberthi de Ortenburg Dei & Apostolice Sedis „ gratia Episcopi Trid.* tanquam tutor & tutorio nomine *Jacobi* pupilli „ Filii & Heredis universalis q. Nob. Militis D. *Joh. Caroli* f. q. pre„ fati Nob. Militis D. *Gullielmi de Castrobarcho*, pro se & mediante „ persona q. *Chunradi* pupilli ipsius *Jacobi* Fratris & filii q. dicti D. „ *Joh. Caroli* in pupillari etate defuncti, ut constat & constare potest „ de ipsa tutela in Testamento ultimo condito per prefatum D. *Johan„ nem Carolum* scripto manu mei *Antonii Not.* sub anno Domini 1373. „ Indict. 11. die Veneris 9. Mensis Decembris: item alio publico In„ strumento sub die Martis 5. Decemb. 1374. Indict. 12. de Decreto „ & auctoritate ejusdem tutele interposito per Honorabilem Virum D. „ *Joh. Salgardum de Feltro LL. Doctorem Vicarium & Jus reddentem in „ Civil. & Criminal. Causis in Civitate & Curia Trid. pro dicto Domino „ Episcopo*, & ab eodem pro legitimo tutore habitus & declaratus, cum „ debita reverentia supplicavit quatenus dignaretur sue Paternitatis be„ nignitas eundem D. *Aldrigetum* tanquam tutorem dicti *Jacobi* & pro „ ipso *Jacobo* investire de suis rectis, legalibus, antiquis & honorabi„ libus Feudis, que ipsius *Jacobi* Antecessores habuerunt ab Ecclesia „ Trid. in Feudum &c. Qui Dominus Episcopus, Dux, Marchio & „ Comes benigne annuit & per immissionem anuli in digitum anularem „ manus dextere ejusdem D. *Aldrigeti* dicto nomine recipientis, salvo „ jure dicte Ecclesie Trid. & quorumlibet aliorum, solenniter investi„ vit &c. Et predictus D. *Aldrigetus* tanquam tutor & tutorio nomine „ dicti *Jacobi* & pro ipso *Jacobo* ibidem & incontinenti promisit & „ corporaliter manibus tactis Scripturis juravit ad Sancta Dei Evangelia, „ quod in perpetuum ipse *Jacobus* fidelis erit Vasallus &c. Feuda vero „ sunt. Primo Jurisdictionem merum & mixtum Imperium existentem „ in Plebatu de *Murio*, videlicet in Villis *Tierni*, *Besagni*, *Paldi & Sa-*

„ *ni*;

„ *ni*; nec non totam Decimam & Jus decimationis & perceptionis ipsius; „ quod & quam suprascriptus D. *Joh. Carolus* & sui Antecessores te„ nuerunt & possederunt, & nunc dictus *Jacobus*, sive dictus *D. Aldri*„ *getus* ejus nomine, tenet & possidet in dicto Plebatu de *Murio*, & to„ tam Decimam & Jus decimationis & perceptionis ipsius Ville, Curie „ & Pertinentie de sub *Beseno* Trid. Dioc. Item Decimas illas & Jura „ decimationis & perceptionis ipsarum, que nuncupantur & dicuntur „ Decime *Pertichárum Belentanorum*, & *Fayneli*, posite & jacentes in per„ tinentiis de prope *Castrumbarchum* in Plebatu de *Lagaro*, nec non Ju„ risdictionem merum & mixtum Imperium & certas partes Decimarum „ & Jura Decimationum & perceptionum earum, quod & quas dictus „ D. *Joh. Carolus* & Predecessores sui tenuerunt & possederunt, & ad „ presens predictus *Jacobus*, sive dictus *Aldrigetus* ejus nomine, tenet & „ possidet in dicto Plebatu de *Lagaro*. Item quintam partem pro in„ diviso totius Decime & Juris Decimationis & perceptionis ipsius Vil„ larum & Pertinentiarum *Matarelli*, *Lidorni* & *Novaline*, quam quin„ tam partem dictus D. *Joh. Carolus* jure Feudi habebat & tenebat pro „ indiviso cum Nobb. Viris DD. *Ottone*, *Aldrigeto* predicto, *Alberto* & „ *Francisco Leone Milite* suis Fratribus, & nunc dictus *Jacobus* habet & „ tenet pro indiviso cum dictis suis Patruis Feudatariis dicti Domini „ Episcopi &c. Anno Domini 1374. Indict. 12.

„ (L. S.) Ego *Anthonius f. q. Magistri Philippi Not. de Murio* „ Imp. auct. Not. &c.

„ (L. S.) Et ego *Joh. q. Chunradi de Novacella* Clericus Brixin. „ Dioc. auct. Imp. Not. &c. "

An. 1375. Indict. 13. die 7. Januarii noster Epus *attendens quamplurima grata & fidelia servitia, quae sibi & Ecclesiae Trid. Nobb. & Discreti Viri Johannes q. Arpi, & Riprandus q. D. Adelpreti de Castro Clesii fecerunt & impenderunt &c. ipsos investivit manu tacta ad rectum & bonorabile Feudum de omnibus & singulis Feudis antiquis & rectis, quae q. D. Ablo tempore vitae suae, & Anthonius ejus Filius legitimus successive post eum tenuit & habuit in Feudum tempore vitae suae, qui sine sobole masculina decessit, & nullum reliquit suorum Bonorum Feudalium Successorem, & Heredem legitimum*.

Item eodem anno die 17. Januarii *investivit Nobiles viros Franciscum q. Ser Marchesii de Caldesio pro se & procuratorio nomine Ser Cathelani q. Ser Marchesii de Caldesio fratris sui, & Gulielmum ac Pretlinum fratres q. Ser Rabinelli de Caldesio, & Finamontum eorum fratrem, de omnibus & singulis Feudis, & Bonis Feudalibus honorabilibus, antiquis & rectis, quae Nobilis Vir D. Pedracius de Caldesio, Cathela-*

thelanus, *Franciscus*, *Petrus*, *Stephanus*, *Guilielmus*, *Finamontus & Marchesius ejusdem Pedracii nepotes*, *& eorum antecessores habuerunt*, *tenuerunt*, *& possederunt in Feudum ab Ecclesia Trid.*, de quibus idem *Pedracius*, ceterique praedicti aliam Investituram obtinuerant sub an. 1364. Indict. 3. die Jovis undec. intrante mense Decembri. Eodem an. 1375. die 27. Febr. noster *Albertus* aliam tribuit Investituram *Nobili viro Concio q. Nob. viri Witi de Runo*, qua ipsum *investivit de Castro Runo in Annania*. Investivit praeterea ipso an. 1375. die 14. Martii sub datum Trid., ac praesentibus *Nobili & Strenuo Milite D. Friderico de Greiffenstein* Capitaneo Episcopatus Trid., *Henrico Liechtenstainer*, D. *Jacobo de Stermol* Canonico Trid., & D. *Nicolao* de *Los* Plebano in *Wipaco* Aquilegensis Dioecesis, Capellanis suis, *Nobiles viros Fridericum*, *& Antonium* fratres filios & heredes *q. D. Bertholdi de S. Hippolyto*, de quibusdam Decimis *Caldesii*, *Cartzati*, & *Comasini*, in eorum favorem resignatis a *Nobilibus viris Joanne q. D. Arpi*, *& Riprando q. D. Adelpreti de Castro Clesii*.

Anno 1376. die 6. Febr. Trid. Feudalem Investituram indulsit *Nobilibus & Discretis viris Guarimberto de Thono* Vicario Generali in temporalibus Vallium Anauniae & Solis, *Antonio de S. Hippolyto*, & *Georgio de Gardulo*, tamquam Tutoribus & tutorio nomine *Antonii*, *Henrici*, *& Jacobi* fratrum pupillorum filiorum & heredum q. Nob. viri *Josii* q. Ser *Hainrici de S. Hippolyto*.

Eodem anno 1376. noster Antistes instituit *Priorem SS. Lazari & Julianae Citra Pontem Avisii* Presbyterum *Nicolaum de Padua*, qui idcirco Capellaniam S. Blasii de Albiano resignavit. Quo etiam anno laudatus Princeps noster curavit Tridentinas Monetas ad primaevam aestimationem reducere. Illae autem vel sub tempora nostri praeclarissimi Praesulis talem cursum habebant, ut in Testamento de anno 1365. Indict. 3. die Jovis 12. Mensis Junii in Villa Basilicae in domo infrascripti Testatoris &c. *Ser Bonaventura dictus Zentil q. Ser Vivandi de Villa Basilge Supramontis &c.* legaverit de bonis suis Domino Presbytero *Paci* Plebano Supramontis *centum solidos denariorum parvulorum Tridentinorum pro missis celebrandis pro Anima sua*. Item legaverit de bonis suis Fratribus Monasterii S. Laurentii de prope Tridentum Ord. Praed. *decem libras denariorum parvulorum Tridentinorum pro missis celebrandis pro Anima sua*. Item legaverit de bonis suis Fratribus S. Marci de Tridento Ord. Herem. *decem libras denariorum parvulorum Tridentinorum pro Missis celebrandis pro Anima sua*. Item legaverit de bonis suis Fratribus Monasterii S. Francisci de Ord. Fratrum Minorum, *decem libras denariorum parvulorum Tridentinorum pro Missis celebrandis pro Anima sua &c.* Hactenus ex praefato Testamento scripto

manu

manu *Sycherii q. Domini Mirabelli de Vezano* auctoritate Imperiali Notarii. Accedit aliud quoque Documentum de anno 1374. in quo *Georgius f. q. Ser Bonelli de Burgo Perzino* promisit *Federico dicto Cerro* factam donationem servare, atque defendere *sub poena quinquaginta Librarum Denariorum Tridentinorum*, ut alia in hanc rem Monumenta praeteream.

Anno 1378. in die S. Jacobi in Messe Tridenti dedit Diploma *Nobili Henrico de Rotenburg Capitaneo ad Athesim*, ac etiam *Capitaneo Tridenti*, quo ipsi promisit, se eumdem servaturum indemnem ad duorum Consiliariorum judicium. Anno 1386. die ult. Maji Tridenti, praesentibus inter ceteros, Nobili viro D. *Henrico de Liechtenstain* Vicario in Judicariis, & Sapiente viro Ser *Francisco* Notario q. Ser *Bonaventurae de Molveno* Cive Tridentino, investivit de antiquis & rectis Feudis *Nobilem virum D. Antonium q. D. Bertholdi de S. Hippolyto Vallis Ananiae, tamquam tutorem, & tutorio nomine Bertholdi ejus nepotis, filii & heredis universalis q. D. Friderici fratris olim dicti D. Antonii, & filii dicti q. D. Bertholdi*.

Anno 1387. die 19. Jan. Tridenti, coram *Venerabilibus Viris D. Joanne de Mila Carniolae & Marchiae Archidiacono, & D. Jacobo Plebano in Radmanstorf*, Capellanis suis, renovavit, confirmavitque Investituram *antiquorum Feudorum Nobilis viri Simeonis q. Nob. viri D. Petri de Thono Vallis Ananiae*, quem insuper die 16. Febr. mox subsequuti, investivit de quodam antiquo & legali Feudo *in vineis Trameni* resignato a *Nob. viro Leonardo q. Negerle q. D. Adelperii de S. Petro de Tridento*.

Anno 1389. die 3. Maji Aegrae a *Wenceslao* Rege obtinuit Confirmationem super Donatione ab Imp. *Friderico I.* Ecclesiae Tridentinae facta de *Argenti Fodinis*. Eodem *an. 1389. Indict. 12. die Solis 23. mensis Maji in Stuba minori Castri Reysinz* (in alia Charta *Reysiniz*) *Aquilegiensis Diocesis, in praesentia Spectabilis & Magnifici D. D. Friderici generosi Comitis in Ortenburg &c.* idem noster Episcopus *manibus tactis ad rectum & honorabile Feudum antiquum investivit Stephanum Johannem dictum Voches q. D. Gislemberti q. D. Georii de Madrucio, & Georium ejus filium, ibidem praesentes, & quemlibet ipsorum, flexis genibus devote suscipientes, & Annam ipsius suprascripti Johannis Stephani filiam absentem tanquam praesentem, pro se & suis filiis masculis duntaxat ex eis legitime descendentibus, & quemlibet ipsorum, de omnibus & singulis Feudis & Bonis Feudalibus antiquis & rectis, quae q. Nobilis Vir D. Azo q. Nobilis Viri D. Georii de Castro Madrucii Barbanus eorum usque ad finem vitae suae juste & pacifice possedit &c.* Ibidem quoque nostro Episcopo a praefatis Nobilibus de Madrucio facta fuit refutatio partis Castri Madrucii, ac die proxime sequenti, nempe 24. Maji

eo loci, *praesentibus Illustri Principe & D. D. Georio Duce, & Venerabili Viro D. Johanne de Mila Plebano Bozani Protbonotario ejusdem D. Episcopi &c. coram hoc constituti Nobiles viri Stephanus Johannes dictus Voches q. Gislemberti de Madrucio, & Georius ejus natus de verbo & consensu dicti sui patris ex una parte & Egregius vir Jacobus natus Nobilis viri D. Henrici de Rochabruna Civis & habitator Tridenti pro se principaliter, ac etiam vice & nomine praedicti D. Henrici ejus patris, & Honestarum Dominarum Flornovellae uxoris dicti Jacobi & Franciscbinae Sororum, uxoris Providi viri Petri Civis & babitatoris Trid. q. Antonii de Zamboninis de Matarello, parte altera, compromiserunt sponte & libere in D. Fridericum Comitem de Ortenburg de & super omnibus eorum causis, & quaestionibus, querelis, & contumeliis, quas ipsi haberent ad invicem &c.*

Mortalia reliquit hactenus laudatus Antistes in Episcopali Castro Tridenti an. 1390. die 9. Septembris, & in sua Cathedrali Ecclesia tumulatus in Crypta ad latus sinistrum Altaris S. Maxentiae cum Inscriptione:

Reverendus in Christo Pater
Dñs Albertus in Ortemburg
Episcopus Tridentinus obiit
Anno Dñi MCCCLXXXX.
die nono mensis Septembris.

Eidem nostro Praesuli hoc adtexit elogium Beyerlinckius: „ Anno „ MCCCLXIII. Episcopatum obtinuit, intentus quomodo injurias „ ab Ecclesia sua propulsaret, & „ intestina odia extingueret. Quod „ & effecit, & Tridentinam civitatem libertati suae restituit, atque „ ita summa cum gloria apud Deum, „ & Homines, plenus dierum, & „ meritorum, discessit, postquam „ annis viginti septem praefuisset &c. “

Laudatur in Prooemio Statutorum ejusdem Tridentinae Civitatis L. 1. *de Civil.*, & in Statuto Episcopi Alexandri ibid. L. 3. *de Criminal.* cap. 117. Reperi habuisse Vicarium in spiritualibus Generalem *Philippum de Laybaco Plebanum in Janchan.* Reperi quoque fuisse Vicarium in temporalibus Tridenti ad an. 1378. Honorabilem & Sapientem Virum D. *Dedum de Dedis* de Feltro Jurisperitum: Priorem autem Monasterii S. Hilarii in Valle Lagarina circa idem tempus quemdam Presbyterum nomine *Paxium*. Ejusdem Episcopi aevo floruerunt Honorabilis vir D. *Concius de Castro Segonzani f. q. D. Jacobi de Rotenburg*, D. *Nicolaus q. Francisci de Belenzanis de Tridento*, & *Albertus de Enna*, sive de Enno, Episcopus Brixinensis, alter a supramemorato pag. 95. col. 2.

In exordio Episcopatus nostri *Alberti Ortenburgici* ad Austriacos Duces pervenit Comitatus Tirolis. Cum enim *Margaretha Maultasch*, rejecto primo Marito, alteri, nempe juniori Ludovico Bavaro ab an. 1342. ad 1361. nupta mansisset,

tandem

tandem soluta a lege viri, ac etiam biennio post orbata filio *Meinardo*, factum est, ut ex Provincialium Ordinum decreto, proximis suis cognatis *Rudolpho*, *Alberto*, & *Leopoldo* Austriacis (*Fridericus* quindecim annos natus, eo ipso anno obierat) omnem suam ditionem pleno jure tradiderit. Id quod praestitit solemni Cessione facta die 26. Jan. 1363., quam a Comite de Brandis, & a Nigrino descriptam habemus. Ejus summa haec est apud Gerardum de Roo Lib. 3. Hist. Austriac. pag. 114. Edit. 1592. quod dicta *Margaretha* publico Diplomate *testatum voluit*, *Austriacos fratres*, *quorum Avia fuit Elisabetha*, *Henrici Tirolensis Soror*, *proximos sibi consanguineos esse*, *ad quos si ipsam mori contingeret*, *omnium suarum ditionum ac rerum quarumcumque haereditas*, *naturae lege*, *sit devolvenda*, *quos jam viva ac valens*, *suique compos*, *iis omnibus pleno jure praeficiat*. Et quamvis Goritiensium Comitum rationes contra starent, videndae apud P. de Rubeis in *Monument. Eccl. Aquilejen.* cap. 85. & 87., nihilo tamen secius Tirolim iisdem Austriacis ab ipsa *Margaretha* transcriptam, ratam habuit *Carolus* Caesar, ac etiam *Ludovici* defuncti fratres, *Ludovicus Romanus*, & *Otto* Bavariae Principes, ac Brandeburgenses Marchiones, publicis tabulis testati sunt, nihil sibi juris in eam ditionem esse, neque eo nomine Austriacis ullam se molestiam inlaturos: idemque ab *Alberto* Goritiensi Comite factum.

LXXXVIII. GEORGIUS I.

Ex illustri Familia Baronum de *Liechtenstein* de *Nicolspurg* in Moravia ortum duxit. Fuit Protonotarius Apostolicus, & Praepositus Ecclesiae S. Stephani Viennae in Austria, tum per Compromissum factum *Bartholomaeo de Bononia* Ord. S. Benedicti Abbati S. Laurentii apud Tridentum, electus & ad Tridentinum Episcopatum promotus an. 1390. die 29. Septembris, confirmatus a *Bonifacio IX.* die 10. Octob. ejusdem anni, possessionem nactus exeunte mense Martio 1391., atque a *Wenceslao* Rom. Imp. de Regalibus investitus.

Ipse autem dicto an. 1391. plures de variis Feudis, quae longum esset omnia commemorare, investivit; videlicet die 2. Aprilis *Petrum & Matthaeum Fratrem suum de Sporo*; die 9. Aprilis *Nob. Virum D. Jacobum de Castrobarcho f. q. Nob. Militis D. Jo. Caroli de Castrobarcho*; die 11. Aprilis *Morandum q. Beringerii de Castro Vassi*; die 12. Aprilis *Nob. & potentem Virum D. Antonium q. Nob. & pot. Militis D. Azonis de Castrobarcho*, idque *cum anulo aureo*, nec non praesentibus *Religioso Viro Domino Fratre Bartholamaeo de Bononia Decretorum Doctore Abbate Monasterii S. Laurentii prope Trid. Domini Episcopi Vic. in Spirit. Generali*, *Venerabilibus Viris DD. Rambaldo Decano & Can. Eccl. Trid. Sicbone de Trid. & Guilielmo Ar-*

chi-

chipresbytero de Murio, *Canonicis Eccl. Trid.*, *Honorabili & Sap. Viro D. Antonio Jurisperito Domini Episc. Vicario in temporalibus &c.*; die 25. Aprilis *Petrum de Coredo*; die 28. Aprilis *Haynricum Liechtensteiner*; die 4. Maji *Nob. Virum D. Guarimbertum q. Nob. viri D. Federici de Castro Toni pro se & nomine Nobb. Virorum consortalium suorum*, scilicet *D. Vigilii q. D. Bertholdi*, *D. Simonis q. D. Petri*, nec non *Philippinum q. D. Georgii de Castro Toni*, praesentibus *D. Jo. Reuter* (in alia Charta *Rauter*) *Decretorum Doctore & Prothonotario Domini Episcopi*, *D. Florio Canonico Trid. & Plebano S. Mariae de Condino &c.*; die 8. Junii *Nobilem Virum D. Peterzotum q. Nobilis Viri D. Parisini de Castro Lodroni* coram *Osvvaldo Plebano in Gries Consiliario Domini Episcopi*, *Conrado Frizerdorff Magistro Curiae Domini Episcopi & Capitaneo in Castro Boni Consilii*, *Gratiadeo q. D. Cognovuti & Marco q. D. Nicolai de Castro Campi &c.*; die 22. Novembris *Veneran. & Religiosam D. Margaretam Abbatissam Monasterii & Conventus de Suneburg Dioc. Brixinen.*, adstantibus *Ven. & Disc. Viris ac DD. Petro Praeposito Monasterii ad S. Michaelem Ord. S. A. Can. Reg.*, *Johanne Plebano in Zimbria &c.*

Anno 1393. Indict. 1. die Sab. 18. mensis Maji in Castro Boni Consilii in Sala Magna Superiori itidem investivit de Feudis *q. Nob. Viri Leonardi f. q. Ser Viti de Castro Runi Plebatus Revoy* (utpote qui absque ullis Filiis viam fuerat universae carnis ingressus) *Nob. Virum Nicolaum q. Nob. Viri Ser Federici de Castro Masanigi Vallis Runi*, praesente cum aliis pluribus *Ven. Viro D. Johanne Plebano S. Mariae de Terzino Domini Episcopi Capellano*.

Mox sequenti anno 1394. in Festo S. Joannis in Solstitio Tridenti, nostro eidem Antistiti, ac Ecclesiae Trid. *Henricus de Rotenburg* fidelitatem promisit, seque obstrinxit contra Ecclesiae Tridentinae inimicos pugnaturum, Tirolis Comite excepto, ac impleturum articulos omnes, quibus, uti Capitaneus erga Episcopum suum, ipse tenebatur. An. 1396., consentiente dein Pontifice *Bonifacio IX.*, numerum viginti septem Tridentinorum Canonicorum ad octodecim redegit. Anno 1398. idem *Bonifacius IX.* ratam habuit Parochialis Ecclesiae *Marlinganae* concessionem, quam fecerat *Georgius* noster *Praeposito*, & *Conventui Monasterii in Augea prope Bozanum*, *praehabito super hoc diligenti tractatu cum Archidiacono*, & *Capitulo Ecclesiae Tridentinae*, *de ipsorum Archidiaconi*, & *Capituli*, *seu majoris & sanioris partis eorundem consilio & assensu*. An. 1399. Privilegium tenoris sequentis ab eodem Episcopo exivit:

„ Geor-

,, *Georgius Dei gratia Episcopus Trid.* Ad universorum notitiam
,, deducimus per presentes, quod nuper precibus Dilectorum Fidelium
,, Subditorum nostrorum *Sapientum nostre Civitatis Trid.* nec non Ho-
,, minum *Nobilium Plebis Lomassi Vallis Judicarie* nostre Diocesis Nobis
,, fuit cum instantia supplicatum, quod cum ipsi fuerint & sint in pos-
,, sessione vel quasi immunitatis, ac semper fuerint immunes & liberi &
,, exempti a Collectis & functionibus publicis quibuscumque, quas alii
,, populares subeunt, & hoc fuerit & sit observatum per tantum tem-
,, pus, cujus initii vel contrarii memoria hominum non existit, dignare-
,, mur de gratia speciali predictos Nobiles in sua quasi possessione im-
,, munitatis manutenere & favorabiliter conservare. Nos igitur atten-
,, dentes eorum utilitatibus providere & quantum possumus litigia, scan-
,, dala & pericula removere: attendentes etiam merita & grata servicia
,, Nobis & Ecclesie nostre Trid. per eos impensa & adhuc in posterum
,, impendenda; nec non inherentes Statuto Civitatis Trid. sub Rubrica:
,, *de publicis Functionibus*, ex cujus forma pro prediis & bonis quibus-
,, cumque quocumque nomine censeantur, Cives Tridentini Privilegiati
,, & Nobiles, qui secundum antiquam consuetudinem non solverunt,
,, excusantur a solutione Collectarum & publicarum functionum, dicto-
,, rum Fidelium nostrorum Civium precibus inclinati, hoc irrefragabili
,, Edicto seu Privilegio speciali ordinamus, decernimus & declaramus,
,, quod predicti Nobiles & eorum singuli totius Plebis Lomassi Vallis
,, Judicarie nostre Diocesis Trid. sint & esse debeant immunes, liberi
,, & exempti a Collectis & publicis functionibus, pro prediis, terris,
,, vineis & possessionibus & aliis bonis immobilibus, ac etiam juribus
,, & actionibus quibuscumque hactenus acquisitis, & de cetero vero, ju-
,, sto & non ficto titulo quomodolibet acquirendis: volentes eos & eo-
,, rum heredes ab eisdem Collectis & ab omnibus publicis functioni-
,, bus, angariis & perangariis qualitercumque nominatis habere de ce-
,, tero supportatos. Mandantes firmiter omnibus nostris Officialibus di-
,, cte Vallis Judicarie aut eorum Vicesgerentibus presentibus & futuris,
,, quatenus predictos Nobiles & eorum Heredes deinceps supra hujus-
,, modi Contributionibus seu Collectis non impediant seu conturbent;
,, sed pocius ipsos in quasi possessione immunitatis & exemptionis, se-
,, cundum quod hactenus & hucusque fuerunt, firmiter manuteneant &
,, defendant. Non obstante quocumque Privilegio sive Edicto per Nos
,, alias concesso Popularibus dicte Plebis Lomassi in contrarium facien-
,, te: cui specialiter derogamus & per presentes Litteras intendimus de-
,, rogare, eo potissime cum nostre intentionis non fuerit juri dictis No-
,, bilibus jam quesito derogare absque eorum expresso consensu; nec

,, eos

„ eos eorum quasi possessione sine manifesta causa privare, quibus tene-
„ mur paterna provisione consulere; & presertim ratione Sententie pro
„ eis late per nos vise & lecte, que in rem transivit judicatam: ratio-
„ ne etiam antique consuetudinis, que Principis Privilegio equipollet:
„ item etiam ratione Statuti Civitatis Trid. in contrarium disponentis:
„ de quibus omnibus in Privilegio dictis Popularibus concesso nulla
„ mentio facta fuit, quibus causis & rationibus apparet & constat Nos
„ fuisse circumventos. In quorum fidem & testimonium omnium, hoc
„ presens Privilegium sive Edictum Sigilli nostri appensione fecimus
„ roborari &c. Decernimus etiam quod si presens Sigillum nostrum ali-
„ quo casu frangi aut violari contigerit, nihilominus tamen presenti
„ Instrumento exhiberi volumus plenam fidem. Acta sunt hec Trid.
„ in Castro Boni Consilii in Salla magna die 26. Mensis Martii An. 1399.
„ Indict. 7. presentibus Venerabilibus & Discretis Viris DD. *Joanne*
„ *Reutter Doctore Decretorum Cancellario nostro*, *Antonio Stinkanoli LL. Do-*
„ *ctore Cive nostro Trid.*, *Joanne de Stemesdorff Canonico nostro Trid.*,
„ *Joanne Einbach Plebano in Lenano*, *Nob. Viro D. Theodorico de Schoim-*
„ *burg*, & *Wilhelmo de Bellasio*, Testibus ad premissa vocatis & rogatis."

An. 1400. die 13. Martii, ex MS. P. Rosmini, largitus est aliquot Privilegia Thennensibus. Diploma praefert *Datum in Villa Gardulae in Ecclesia S. Mariae de Thenno*, scriptumque fuit manu Notarii *Bartholomaei quondam Henrici de Francken-marcht*, in quo dicitur, Episcopum *Joannem de Pistorio* ante annos circiter 50. vendidisse *Dominis Scaligeris* Ripam, Thennum, Vallem Leudri, ac Tignalum, atque in eorum possessionem postea intrasse *Galleatium* Mediolani Ducem, ac Dominum Veronae, ejusque heredes; tandem vero Thennenses ad proprium legitimum Dominum rediisse, aperientes ei, seu potius ejusdem Deputatis *Joanni de Wolckenstein Capitaneo Generali Exercitus*, atque *Azoni Francisco de Castrobarco de Dosso Majore*, Portas Burgi Thenni *de infra Portam*.

Anno 1401. a *Ruperto* Romanorum Rege impetravit, ut Pedagii nomine certum Denariorum numerum posset exigere. An. 1403. die 9. Jan. tamquam Patronus Ecclesiae Parochialis S. Mariae *in Munster* Dioecesis Brixinensis, nominavit Rectorem ejusdem Ecclesiae, atque *Ulrico* Brixinensi Episcopo praesentavit, Presbyterum *Nicolaum dictum Taxer f. q. Henrici de Ruetbernig Salzburgensis Dioecesis*. Eodem anno 1403. mense Martio declaravit suae Ecclesiae Capitulum a quibuscumque imponendis Collectis immunitate gaudere.

Anno continuo sequenti recuperavit *Ripam Tridenti*. Eodem anno 1404. reparationem *Castri Spinedi in Judicariis* indulsit literis suis in haec verba loquentibus.

„ *Nos*

„ Nos *Georgius* Dei gratia *Episcopus ac Dominus Trid.* Tenore pre-
„ ſentis littere ad noticiam univerſorum deducimus evidenter, quod
„ quamquam temporibus preteritis ex aliquibus certis & racionabilibus
„ cauſis, Nos & Eccleſiam noſtram Trid. concernentibus, arma moveri-
„ mus ac guerram fecerimus cum *Nobilibus & Fidelibus Vaſallis noſtris*
„ *dilectis Vinciguerra & Antonio Fratribus de Caſtro Arcbi*, ipſaque
„ guerra tunc vigente inter Nos & ipſos Fratres eorum *Caſtrum Spi-*
„ *nedi in Valle Judicariarum* ac Juriſdictionibus noſtris ſitum per Gen-
„ tes noſtras diruptum ac etiam dirutum fuerit; quia tamen prefati Fra-
„ tres Nobis poſtmodum plene reconciliati ſunt, ipſoſque in noſtram
„ gratiam ac gremium Eccleſie noſtre Tridentine omnino ſuſcepimus:
„ compreſtita Nobis per eos primitus ac premiſſa debita obedientia, ad
„ quam Nobis & Eccleſie noſtre ex debito fidelitatis vaſallagii digno-
„ ſcuntur obligati ratione predicti Caſtri, nec non aliorum Caſtrorum
„ ſuorum & Bonorum Feudalium, que ipſi & eorum Progenitores a No-
„ bis & Predeceſſoribus noſtris & Eccleſia Trid. ſemper recognoverunt &
„ adhuc deinceps a Nobis & Succeſſoribus noſtris canonice intraturis
„ & ab Eccleſia noſtra predicta in perpetuum per ſe & per ſuos Heredes
„ recognoſcere tenentur: ideoque ipſis Fratribus ad eorum inſtantem &
„ humilem petitionem harum ſerie expreſſe damus verbum & licentiam
„ predictum Caſtrum denuo erigendi, elevandi ac penitus reparandi.
„ Nichilominus contenti ſumus & annuimus per preſentes ex ſpeciali
„ favore pariter & dilectione, quibus erga prefatos Fratres afficimur, ut
„ ſi qui ex Subditis & Servitoribus noſtris ſua opera & juvamina circa
„ reparationem ipſius Caſtri eis impendere & exhibere voluerint, quod
„ hoc facere queant impune. Et inſuper precipimus & mandamus omni-
„ bus & ſingulis Capitaneis & Officialibus noſtris, quatenus Subditos &
„ Servitores noſtros quoſcumque in hujuſmodi eorum benivolentia no-
„ ſtraque licentia ſic conceſſa nullatenus debeant prohibere. Datum in
„ Terra noſtra Rippe die Sabbati 17. Menſis Maji Anno Domini 1404.
„ noſtri Sigilli ſub appenſione. “

Eodem anno 1404., opera *Francisci de Carraria*, eo loci, videlicet Ripae, die penultimo mensis Maji, inita est famigerata Compositio inter *Georgium* nostrum ex una, & *Xiconem de Castronovo* Ausuganae Vallis ex altera parte. Quo ipsomet an. 1404. die 25. Junii in Castro Boni Consilii idem Episcopus ab Hominibus totius Communitatis Tignali (qui *a quinquagintaquinque annis citra fuerant sub alieno Dominio constituti, quamquam de jure ad Ecclesiam Tridentinam spectarent ab antiquo*) accepit fidelitatis Sacramentum, eisque largitus est *Banderiam S. Vigilii, quam in suo Plebatu erigere promiserunt*.

Anno 1405 Ripensibus vetera confirmavit privilegia, novaque adjecit. Eodem anno sequentem *D. Guilielmo de Castrobarco* Investituram dedit:

„ Nos *Georgius &c.* Tenore presentium Litterarum notum facimus „ universis, quod *Nob. & Fidelis noster Dilectus Guilielmus natus q. Spectabilis & Potentis Viri D. Antonii de Castrobarcho de Lizana* Vallis Lagarine nostre Diocesis, coram nostra presentia personaliter constitutus „ infra anni circulum post obitum dicti sui Genitoris, a Nobis cum debita instantia humiliter postulavit, quatenus ipsum pro se ac vice & „ nomine *Fratris sui Aldrigeti*, & Heredum ipsorum, de infrascriptis „ Feudis & Bonis Feudalibus, Nobis & Ecclesie nostre Trid. jure di„ recti Dominii spectantibus, & generaliter de omnibus & singulis re„ ctis, antiquis & honorabilibus Feudis, que prefatus eorum Genitor „ & illius Progenitores a Nobis & Predecessoribus nostris & Ecclesia „ nostra predicta tenuerunt & recognoverunt, titulo nove seu renovate „ Concessionis investire dignaremur. Cupientes igitur Predecessorum „ nostrorum vestigiis inherere, & acquisitum atque relictum Nobis per „ eos thesaurum incomparabilem, Amicos videlicet & Fideles, quod est „ preciosissimum genus divitiarum, omni cura & solicitudine conservare, „ prefatum *Guilielmum* devote requirentem pro se ac vice & nomine „ prefati *Aldrigeti Fratris sui* & eorum Heredibus legitimis masculis „ duntaxat ex eis in perpetuum descendentibus, tam pro Nobis, quam „ etiam Successoribus nostris canonice intraturis & Ecclesia nostra Trid. „ manualiter investivimus, ac etiam per presentes favorabiliter investimus. Primo videlicet de *Castro Lizane* cum tota Jurisdictione Plebatus Lizane tam in monte quam in plano, & cum Jurisdictionibus & „ Decimis spectantibus ad ipsum Castrum: exceptis tamen & exceptatis „ *Terticha Terragnoli, & Perticha Barbarolle, & Decima Ville de Marcho*. „ Item de *Castro Castrunculi penes Burgum Terre Roveredi*. Item de *Muda de Sacho* tam lignaminum quam aliorum quorumcumque mercimoniorum conducendorum tam per terram quam per aquam, & anima-

„ lium

„ lium quorumcumque, Equorum videlicet & Bestiarum Bovinarum & „ aliorum animalium cujuslibet generis existentium. Item de *Muda de* „ *Marcho* tam lignaminum quam animalium quorumcumque & mercimo- „ niorum quorumcumque & cujuscumque generis existentium, & modo „ quolibet per inde transeuntium. Item de *Muda de Roveredo* in simili „ forma de quibuscumque mercimoniis & animalibus quibuscumque du- „ cendis & vehendis versus partes Territorii Vicentini. Item de *Muda* „ *de Ravazono* de quibuscumque mercimoniis inde transeuntibus, que „ exigi solebat in *Clusolis* Vallis & Diocesis suprascripte per *Nob. &* „ *potentem Virum D. Azonem Militem de Castrobarcho prefati D. Antonii* „ *Genitorem*. Item de Decima *Ville Sani & Castioni Plebatus Murii*, vi- „ delicet Vini & Bladorum, quam seu quas Decimas olim tenuerunt in „ Feudum ab Ecclesia nostra Trid. *Marchabrunus* & *Antonius Fratres* „ *Filii q. D. Aldrigeti de Castrobarcho de Gresta*; ac etiam de omnibus „ aliis eorum rectis Feudis, que ipsi & eorum Genitor supradictus & „ alii Progenitores ab Ecclesia nostra Trid. recognoverunt & adhuc re- „ cognoscunt in Feudum ad habendum &c.: salvo semper jure nostro „ & ipsius Ecclesie & alterius persone cujuscumque. Versa quoque „ vice ibidem & incontinenti prefatus *Guilielmus* solemniter promisit & „ tactis corporaliter Scripturis juravit, quod ipse pro se & *Aldrigeto* „ supradicto ejus Fratre & eorum Heredibus legitimis ex eis descen- „ dentibus, Nobis & Successoribus nostris canonice intraturis & Eccle- „ sie nostre predicte erit amodo fidelis Vasallus, & omnia & singula „ faciet, adimplebit & observabit in quibus quilibet fidelis Vasallus te- „ netur ac dignoscitur obligatus Domino suo. In cujus rei evidens „ testimonium presentes fieri, prefatoque *Guilielmo* concedere jussimus „ sub appensione nostri Sigilli roboratas. Datum & Actum Tridenti in „ Castro nostro Boni Consilii in Canzelaria nostra die Dominico 29. „ Mensis Martii in media Quadragesima: presentibus *Ven. Domino Bar-* „ *tholomeo Decretorum Doctore Abbate S. Laurentii de prope Trid. Vicario* „ *nostro in spiritualibus Generali*: & Egregiis Viris DD. *Franciscbino de* „ *Valle Ananie LL. Doctore Vicario in temporalibus Trid.*, *Magistro Odori-* „ *co de Arcbo Phisico & Cive Trid.*, *Nobili Viro Guilielmo de Castro Be-* „ *lasii*, *Honorabili Johanne de Stemesdorfer Canonico Ecclesie Trid. Capellano* „ *nostro*, *& Antonio de Molveno Massario nostro Trid.* ad premissa „ vocatis, Anno Domini 1405. "

Anno 1407. die 4. Aprilis a pluribus Subditis in Cathedrali Ecclesia, duce *Rudolpho Bellenzano*, seditiose captus est, ac carceri mancipatus, atque ad summi contemptus, immodicaeque tyrannidis cumulum, ipsi delata duorum Familiarium suorum capita detruncata. Dum autem de pluribus Subditis ipsi rebellibus sermo est, in eorum censum minime veniunt, quinimmo cum laude memorandi sunt Tridentini Cives *Paulus de Trilacu*, & *Antonius de Molveno*.

Neque hos dumtaxat dicere ausim eidem Episcopo fideles; etenim tabulas vidi in quibus *Sindici & Procuratores Communitatum & Universitatum Villarum tocius Vallis Ananie & Solis Diocesis Tridentine, solemni stipulatione promiserunt prelibato Domino Episcopo presenti, & suis Successoribus, & dicte Ecclesie Tridentine fidelitatem.* Publicatae fuerunt *Anno Nativit. Chr. Millesſ. Quadringentesimo Septimo, Indict. quintadecima, die Jovis ultimo Mensis Marcii, in Terra Bulzani Diocesis Tridentine, super Domo Domini Episcopi Tridentini in ejus Camera, Presentibus Nobilibus & Egregiis Viris Domino Henrico Milite de Rotemburgh, dicto de Caldario, bonorabili Capitaneo in partibus Atasis, nec non Capitaneo ipsius Domini Episcopi, & Ecclesie Tridentine, Domino Daniele Milite de Lietemberg, Domino Michaele Milite de Volchenstayn, Domino Henrico Lanespergar, Domino Herasmo de Tono Vallis Ananie, Venerabili Viro Domino Johanne Capellano & Canzelario ipsius Domini Episcopi Tridentini, Odorico Comite de Arso, Odorico Sratempergar Camerario prefati Domini Episcopi Testibus, & aliis quam pluribus in multitudine copiosa vocatis & rogatis &c.* Hos omnes, ne uno quidem excepto, quis praefatae rebellionis audeat insimulare?

Anno 1409. die Sab. post S. Gallum Suazii in Valle Oeni manavit Diploma, quo *Eberhardus* Archiepiscopus Salisburgensis, una cum *Udalrico* Brixinensi Episcopo, *Udalrico* Episcopo Lavantino, *Udalrico de Weispriach* Capitaneo in Trapsperg, & *Osvvaldo Goringer* Capitaneo Salisburgi, vi Compromissi Archiducis *Friderici*, & Episcopi *Georgii* in Arbitrum electus Sententiam tulit, ut inter cetera eidem *Georgio* Pontificalia, Mitra, Pastorale, ac etiam Vestes, ablatique Libri restituerentur &c. Hoc Monumentum fuisse ita ab originali desumptum duo Abbates in Stambs & Wilten an. 1425. testantur.

An. 1410. die Martis ante S. Luciam Oeniponti obtinuit, ut Suffraganeus, ac in Spiritualibus Vicarius, pro regimine ecclesiastico ab se constituti, libere Tridenti commorari permitterentur, relicto penitus temporali dominio. Diploma firmatum est Sigillo Episcopi, & Petri de Sporo.

Anno 1411. a *Joanne XXIII.* Summo Pontifice Cardinalis, & an. 1412. a *Sigismundo* Imperatore Consiliarius intimus creatus fuit. Anno eodem

1412.

1412. suprememoratus *Rudolphus Bellenzanus*, totius illius seditionis auctor, debito supplicio scelus luit capite minutus, agente cumprimis praedicto strenuissimo juxta ac fidelissimo *Henrico Rotenburgico*. De quo quidem supplicio exstat Nummus a Cl. Gentilotto in Notis ad Ughellum memoratus, quem novissime luculenta Dissertatione illustravit noster P. de Hippolytis.

Interfuit *Georgius* Constantiensi Concilio, ubi Ecclesiae suae caussam egit, & vicit. Quippe auctore Gerardo de Roo L. 4. *Hist. Austr. pag.* 156. „ Jacobus Laudensis Episcopus, Italicae Nationis Praeses, sacrosanctae Generalis Synodi nomine, literas dedit ad Petrum Sporum Militem, Simonem & Erasmum de Thunno, Hiliprandum Glesium, & reliquos in Ananiae ac Solis Vallibus, Tridentinae Ecclesiae Syndicos, ac Fiduciarios, hoc argumento: Cum omnis potestas ex Deo sit, nihil ad humani generis conservationem utilius esse, quam ut iis qui magistratum gerunt pareatur, qua una in re, vera ac solida laus consistit. Cum igitur Georgius ipsorum Episcopus, a Friderico Austriae Principe, multis magnisque incommodis affectus, vindictae omni cupiditate vacuus, nihil aliud in votis habeat, quam ut sublatis inimicitiis, in pristinum dignitatis gradum restitutus, suamque sponsam recuperare posset: dandam ipsis operam esse, ut Fridericus cum illo in gratiam redeat, & Ecclesiam illi suam male affectam restituat. Ea in re si quod sui officii est fecerint, id Deo Opt. Max. & Synodi Patribus Ecclesiam Dei repraesentantibus gratissimum fore, sin minus, pro conservanda Ecclesiae tranquillitate, se, etsi cum animi dolore, processuros.

„ Datum Constantiae VIII. Calen. Junii anno decimo sexto supra mille quadringentos. “

Videnda Acta ejusdem Concilii Sess. 27. ac 28. nec non Diploma *Sigismundi* Romanorum Regis de an. 1415. die Lunae ante Festum S. Margaritae Constantiae. Testatur quoque Cl. Vir Philippus Nerius Puellius Canonicus Regularis Neocellensis apud ipsum exstare Literas *Marquardi Canonici & Vicarii Generalis Trid.* ad *Jacobum* suum ibidem *Concanonicum* datas circiter *an.* 1418. die 9. *Martii*, in quibus adseverat, *caussam Ducis Friderici cum Episcopo suo Tridentino finitam esse, Duce se totaliter submittente*. Scribit autem ex Constantiensi eodem Concilio, ubi cum suo Episcopo versabatur, addens ad finem: *proxime Pontificem & Regem Sigismundum cum dicto Episcopo Tridentum venturos &c.*

An. 1419. pacem acceptavit atque firmavit cum *Anna de Bransvvigg* Archiducis *Friderici* uxore, sibi sub certis articulis propositam a *Sigismundo* Romanorum Rege, uti clarescit ex Originali Diplomate nedum suo Episcopali Sigillo, sed etiam Sigillis

gillis in hodiernum diem usque pendentibus supradicti *Petri de Sporo*, *ac Parisii de Lodrono* sui Capitanei munito, ac dato eodem an. 1419. die Mercurii ante Dominicam Palmarum in Novo Spaur. Nihilo tamen secius iterum a praefato *Petro de Sporo* captus, ac in Castro Spori detentus, non absque veneni propinati suspicione e vivis sublatus est an. 1419. die, uti noster P. Hieronymus de Tridento in suis MSS. Spicilegiis notat, octavo Calendas Septembris, ejusque cadaver Tridentum translatum, in Ecclesia Cathedrali tumulatum fuit, nimirum ut habet antiquior Catalogus, *in Sepulcro immediati Antecessoris sui*; illud etiam addens, quod *inter alia ornamenta Ecclesiastica fieri fecit Crucem Argenteam magnam, que inpresentiarum* (imo hodie quoque) *in Ecclesia Parochiali de Flaono conservatur, insignitam armis suis*.

Compertum nobis est, sub nostro Principe atque Episcopo *Georgio* in usu fuisse Denarios Tridentinos; occurrunt enim in Chartis Clarissarum S. Michaëlis extra muros Tridenti ad an. 1404. *Marchae Denariorum Tridentinorum*; ad an. 1405. & 1407. *Solidi Denariorum Trid.*; ad an. 1411. *Librae Denariorum Trid.*; ad an. 1413. *Grossi Denariorum Trid.*; & ad an. 1418. *Librae quinque, & Grossi sex Denariorum Trident. sive quadraginta Grossi Carentani*.

Idem Episcopus *Georgius* laudatur una cum aliis Episcopis Tridentinis *Bartholomaeo*, *Henrico*, *Nicolao*, & *Alberto de Ortemburcb*, in supra memorato Prooemio Statutorum Civilium Tridentinae Civitatis; nec non Lib. 4. *Histor. Austriacae* Gerardi de Roo ad an. 1409. tamquam Pacis inter Austriacos initae auctor.

Hujusmodi igitur Pastore longe optimo, ac plane digno, qui melioribus vixisset temporibus, viduata, proh dolor! Tridentina Ecclesia, huic eodem anno 1419. praefectus est *Joannes* de *Isnina* Canonicus Tridentinus, & in spiritualibus Vicarius Generalis. Sed cum hic in vehementem suspicionem venisset, ceu *Friderici* Tirolensis Comitis fautor, confirmationem a Sede Apostolica impetrare nullatenus potuit. Nihilo tamen minus idem *Fridericus* an. 1420. die 11. Augusti ei tradidit possessionem Castri Boni Consilii Tridenti, & die 16. ejusdem mensis Tridentinos Cives ad praestandum illi fidelitatis juramentum adegit; sicque temporalem Episcopatus jurisdictionem aliquatenus administravit per unum annum, & menses decem circiter, donec an. 1421. Episcopatum sponte dimisit. Hinc robore vacuum mansit Diploma de an. 1420. die Dom. *post S. Laurentium* Tridenti, quo spoponderat, statim ac fuisset confirmatus, se Comiti Friderico cessurum *Luchtenburg*, & *Caldarium*, nedum cum omnibus, quae *Henricus de Rottenburg*, & alii ejusdem Friderici inimici obtinuerant, sed

etiam

etiam cum omnibus Ecclesiae Tridentinae Feudis in Valle Lagarina devolutis.

Haec circa tempora a *Martino V.* Pontifice *Arnestus*, sive *Ernestus*, dictus *Avver*, & ab Ambrosio Franco *Stauderus*, Gurcensis Episcopus, Ernestique Archiducis Austriae Cancellarius; & inde an. 1422. die 3. Aprilis *Magister Henricus Flechtel*, seu *Fleckel*, Decanus Ecclesiae Pataviensis, ejusdem Papae Capellanus, & Causarum Palatii Apostolici Auditor, ad Tridentinum Episcopatum destinati fuere; sed obsistente Friderico praefato nequiverunt ad possessionem pertingere. Joannes Hubnerus in Catal. Epp. Trid. Part. 8. Brev. Polit. Hist. Quaest. pag. 331. ex praefatis *Joanne*, & *Ernesto* unicum creavit Episcopum *Joannem Ernestum*. Sed in Catal. Gurc. ibi pag. 292. silet ejusdem *Ernesti* translationem, quem usque ad an. 1414. dumtaxat sedisse in Gurcensi Cathedra adfirmat. Beyerlinkius de *Henrico* nihil habet, sed de solis prioribus inquit: „ *Joannes de Isnina* Ecclesiae Tridentinae Decanus, qui uno anno, & decem mensibus invita civitate Ecclesiam rexit. Unde in numerum Episcoporum recenseri non solet. Uti nec *Ernestus Gursensis Episcopus*, quem Martinus V. Pontifex anno MCCCCXXIV. eo miserat. “ Circa hunc annum 1424. ob ea quae de *Alexandro* dicam infra, errorem cubare certum est. *Hermannum* Frisingensem Episcopum, quem refert Ughellus ad Tridentinam Sedem translatum an. 1420. quarto Cal. Aprilis nostri Catalogi non agnoscunt; neque de hujusmodi translatione ulla fit mentio apud Hundium, uti neque in Catal. Epp. Frising. apud Hubnerum cit. part. 8. pag. 121., unde habetur, *Hermannum* illi Ecclesiae praefuisse usque ad an. 1421.

LXXXIX. ALEXANDER.

Polonus, ex *Mazoviae* Ducibus, atque ex Regio genere, & *Friderici III.* postea in Romanorum Regem electi Avunculus. Fuit enim frater *Cimburgae* ejusdem *Friderici* Matris, ac filiae *Zemovitti* Ducis Mazoviae, ex Jo. Schönleben in Ephemer. Hamburgo-Austriac. fol. 256.; eumque Archiducibus Austriacis propinquitate conjunctum testatur Sententia, quam vidi, latam Oeniponti in Vigilia S. Matthaei Apostoli & Evangelistae an. 1435. Fuit etiam Praepositus Gnesnensis, ad Episcopatum Tridentinum promotus, licet nondum in Subdiaconatus Ordine constitutus, an. 1423. atque hoc ipso anno die 20. Octobris (prius eodem die absoluto praedicto *Henrico* a vinculo, quo Ecclesiae Tridentinae tenebatur, & quidem ipsomet consentiente) a *Martino V.* Papa confirmatus, & Tridentinam Civitatem ingressus anno 1424. in Festo S. Vigilii, idest die 26. Junii; quo quidem anno,

die

die Veneris proxime post Festum S. Viti Oeniponti Archidux *Fridericus* ab eo Investituram petiit Castri & Jurisdictionis *Altemburg in Eppan*; Castri & Jurisdictionis *Enn* cum Valle *Truden*; Castri *in Perzen*; Castri *in Nomy*; Castri *Castrifundi* in Anaunia; Jurisdictionis *Caldarii*, & omnium quae f. m. *Henricus de Rottemburg* in feudum acceperit. Item Castri *Greiffenstein*, nec non Agri *in Enn*, in quo Rates fiunt; Castri *Predaplan*, & omnium Feudorum, quae f. m. *Rudolphus de VVellisan* obtinuerat. Insuper *Caldonatii* cum tertia parte Montis &c., nec non cum tertia parte montis *Viaraci*, & *Zente*, ac tertia parte medietatis *Laci S. Christophori*, & tertia parte Montis *Cost* cum omnibus Feudis, quae f. m. *Jacobus de Caldonatio* fuerat consequutus.

Eo ipso an. 1424. die Jovis post S. Jacobum Tridenti confirmavit Feudum concessum *VVenceslao Campaner de Termin*, videlicet Praedium dictum *apud Ek*, & Vineam sitam in *Prantall*, testibus honorandis *Herdvvico Balthassare de Thunn*, *Henrico Payr de Tremin &c.* Die autem Sancto Lucae sacra ipsiusmet anni hasce Literas dedit:

„ *Alexander Dei gratia Eccl. Trid. Electus confirmatus, & Dux Mazoviae, Russiae, nec non Terrarum Plotzensis, Ravensis, Sochatzomensis, Plonensis, Czonstinensis, Dominusque & Heres Wisnen. & Belizen &c.* Significamus tenore praesentium Universis & Singulis praesentium notitiam habituris, quomodo *egregia & spectabilis Czuana Conioralis legitima Aldrigeti Castribarchi*, pia devotione & speciali affectu, quem ad Nos & Ecclesiam nostram praedictam Trid. gerit mota, sue etiam ac suorum Predecessorum ac Successorum salutis ob respectum, de scitu, voluntate & consensu Filiorum & Filiarum suarum, Castrum suum vulgariter *Pradaii* nuncupatum, situm in Valle Lagarina, quod a nostris Predecessoribus & Ecclesia nostra habebat in Feudum, pro Nobis, Successoribus nostris ac Ecclesia Trid. cum omni jure, proprietate & Dominio, quod sibi & proli sue in eodem competebat, spontanee, libere, ac cum matura deliberatione resignavit, dedit, contulit, donavit, ac liberaliter & irrevocabiliter assignavit. Quorum intuitu eidem *Domine Czuane*, & Heredibus ejus grata vicissitudine occurrere, & tamquam Benefactrici Ecclesie nostre complacere, ac aliqualem recompensam facere cupientes, ipsam cum Heredibus suis legitimis in Nostram, Successorum nostrorum & Ecclesie nostre tuitionem, protectionem & defensam recepimus ac recipimus per presentes. Promittentes pro Nobis & Successoribus nostris Epis Trid. canonice intraturis, quod eidem *Domine Czuane*, ac Heredibus ejusdem contra

„ omnes

„ omnes eisdem injurias, molestias, damna aut offensas contra justitiam „ inferentes, aut inferre in antea volentes, astabimus, & eam & here„ des ipsius legitimos tamquam Ecclesie nostre Vasallam & Benefactri„ cem protegemus, tuebimur & defendemus. In quorum fidem & te„ stimonium Sigillum nostrum presentibus est appensum. Dat. Bulzani „ ipso die S. Luce anno Domini 1424. "

Die autem Lunae ante Festum SS. Simonis & Judae ibidem Nobilibus ac Strenuis Dilectis Fidelibus *Francisco Vindler*, *Georgio Mezner*, & *Christophoro Rossensteiner* concessit *Electus* quidem, & *Confirmatus*, sed nondum consecratus, Investituram Castri dicti *Runglstein*, una cum praedio & monte contiguis, quae omnia coëmerant a nobili ac strenuo Equite Domino *Cypriano de Willanders* cum onere Feudi &c.

Mox sequenti an. 1425. die 11. Junii, ad instantiam *Magistri Gotfridi Friling Canonici Ecclesiae Tridentinae*, pro indemnitate Ecclesiarum Parochialium Neocellensis Collegii prope Brixinam Oratoris, ex commissione *Martini V.* Processum formavit *contra Henricum Comitem Goritiae*, in cujus Instrumento, quod mihi humanissime significavit Cl. Puellius, subscripti leguntur *Joannes Decanus*, *Stanislaus Cancellarius*, *Nicolaus Savor*, *Joannes Ottenbaym Summus Scholasticus*, *omnes Canonici Eccl. Trid.* Eodem Anno elargitus fuit *Comitibus Vinciguerrae & Antonio Fratribus de Arco*, tenoris sequentis Investituram, quam haud piget legentium oculis integram exhibere:

„ *Alexander Dei gratia Episcopus Trid. & Dux Mazovie &c.* Signi„ ficamus tenore presentium quibus expedit universis, quomodo quam„ vis ex innata nobis clementia soliti simus omnium Fidelium nostro„ rum honestis & exaudibilibus precibus benigne annuere, eosdemque „ Fideles nostros favorabiliter pertractare; illorum tamen precipue pe„ titiones libentius admittimus, & majoribus gratiis & favoribus eos„ dem prosequi consuevimus, quos & Antecessorum suorum & propria „ quibus Ecclesie nostre complacuerunt merita recommendant, ut sic „ fidelitatis, & aliarum probitatum ac virtutum suarum se condigna vi„ dentes recipere premia, ad nostra & Ecclesie nostre servitia & bene„ placita celeriores reddantur, & fortius animentur. Cum itaque *Ma„ gnificus Miles D. Vinciguerra*, & *Antonius Fratres Comites Arci*, Fideles „ nostri dilecti, sint de numero Fidelium nostrorum notabilium, qui „ temporibus retroactis tam per se, quam per suos Predecessores, ex „ quibus processerunt, Ecclesie nostre & Antecessoribus nostris (his „ vero temporibus Nobis & Ecclesie nostre) per ipsorum fidelia ser- „ vitia,

„ vitia, & maxime circa recuperationem Castrorum *Rochę Bragutii* & „ *Castri Romanii &c.*, plurimum complacuerunt, & aucto fidelitatis studio „ proponunt & promittunt magis ac magis complacere. Horum intuitu „ prenarratum *D. Vinciguerram Comitem* coram Nobis flexis genibus ac „ devote pro se & dicto *Comite Antonio Fratre suo* & eorum Heredi- „ bus masculis duntaxat in perpetuum ex eisdem descendentibus peten- „ tem, ut eum suo ac dicti Fratris sui & Heredum ex eis descenden- „ tium nomine de infrascriptis Bonis Feudalibus eis de jure spectantibus, „ & que ipsi Fratres & eorum Progenitores a Predecessoribus nostris „ Episcopis Ecclesie nostre Trid. hactenus tenuerunt & recognoverunt „ in Feudum (quamvis de aliquibus illorum Feudorum prout Littere „ eorum antique referunt per *q. Magnificos & Potentes Dominos della Scala* „ injuste & quasi per tyrannidem privati & spoliati fuerint) investire di- „ gnaremur, benigne exaudivimus eum pro se, dictoque Fratre suo „ *Comite Antonio*, ac eorum Heredibus masculis duntaxat sicut prefer- „ tur in perpetuum ab eis descendentibus, per manus nostre solemnem „ stipulationem de eisdem Feudis, ut premittitur infra notatis, & gene- „ raliter de omnibus aliis rectis & antiquis Feudis, que ipsi & eorum „ Progenitores tenuerunt, & que ipsi adhuc habent, tenent & possident „ in Feudum ab Ecclesia nostra Trid., & de quibus alias legitime inve- „ stiti sunt, pro Nobis & Successoribus nostris & Ecclesia nostra investivimus „ & presentibus investimus ad habendum, tenendum, possidendum & utifruen- „ dum, cum omnibus juribus & honorantiis ipsis Bonis quovis modo spectanti- „ bus, secundum bonas & antiquas consuetudines hactenus introductas. „ primo videlicet de *Castro Arci* cum omnibus suis juribus & pertinentiis „ universis, cum omni jurisdictione meri & mixti Imperii, Deci- „ mis, Vassalatico, Macinatis, Rimaniis & aliis Honoribus, Privilegiis „ & Immunitatibus ad dictum Castrum spectantibus & pertinentibus. „ Item de *Castro Drene* eodem modo cum omnibus suis juribus & per- „ tinentiis. Item de *Castro Spinedi* eodem modo cum omnibus suis „ juribus & pertinentiis. Item de *Castro Rastorii* cum omnibus suis „ juribus & pertinentiis. Item de *Dosso sive Castellania Castri Ville* „ *Plebatus Thyoni* cum omnibus suis juribus & pertinentiis. Item de „ *Dosso sive Castellania Caramalle sito juxta Condinum* cum omnibus suis „ juribus & pertinentiis. Item de *Castro Castellini posito supra Gardu-* „ *num super montem* cum omnibus suis juribus & pertinentiis. Item „ de *Castro Penede* cum omnibus suis juribus & pertinentiis universis, „ & cum omni jurisdictione juris meri & mixti Imperii in *Naco* & „ *Turbulis*, cum Decimis, Muta, Pischeria, Vassalatico, Macinatis, Ri- „ maniis & aliis Honoribus, Privilegiis, Immunitatibus tam ad id

„ Ca-

„ Castrum, quam ad predicta Castra & Dossa spectantibus & perti-
„ nentibus. Item de Decimis & Jure Decimationis, quas habent, &
„ sui Predecessores habuerunt, tenuerunt & possederunt *in Plebatibus*
„ *Lomassi*, *Blezii*, *Banalli*, *Thyoni*, *Rhandene*, *Boni*, *Condini*, *Cavedeni*,
„ *& Calavini* Dioc. Trid. cum omnibus suis Juribus, Honoribus &
„ Jurisdictionibus sibi & dictis Decimis spectantibus & pertinentibus.
„ Item de Decimis & Jure Decimationis, quas habent & Predecessores
„ habuerunt, tenuerunt & possederunt, *in Plebatibus Ripe*, *Thenni*,
„ *Leudri & Tignalis* predicte Dioc. Trid. cum omnibus suis Juribus,
„ Honoribus, Jurisdictione, mero & mixto Imperio sibi spectantibus
„ & pertinentibus. Item de *Rivatico Ripe*, quod exigitur a Forensibus
„ conducentibus venalia ad ipsam Terram Ripe per Lacum Garde.
„ Item de Francatione seu Libertate *Portus de Turbulis* secundum bo-
„ nam & antiquam consuetudinem, ita quod condicionari non possit
„ per homines nostros de Terra *Ripe*; sed quod mercimonia cujus-
„ cumque condicionis existant discaregari & caregari ac conduci & ex-
„ portari valeant de *Turbulis* per quoslibet Mercatores sine ullo impe-
„ dimento & gravamine aliquo, dummodo solvant Mutam Dominorum
„ de Arco, que illic exigi & solvi consuevit pro introitu & exitu
„ Portus antedicti. Item de parte *Pischerie Fluminis Sarce prope Tur-*
„ *bulas* spectante ab olim Ecclesie nostre Trid. Item de *Consallonia*
„ *Vallis Randene*, que spectat ipsis Dominis de Arco, & quam ipsi,
„ ut Privilegia canunt, multis annis possederunt pacifice & quiete. Item
„ de Decimis *de Condino Vallis Boni*, quas, Progenitores dictorum Do-
„ minorum de Arco, prout antiqua eorum Privilegia narrant, tenuerunt
„ & possederunt &c. Item de Theloneo sive Muta in *Turbulis*, *Naco*, *Arco*,
„ *Ballino*, *Saxis de Banallo*, *& in Condino*, secundum quod in eorum Privi-
„ legiis & publicis Instrumentis clarius & plenius continetur, cum omnibus
„ Juribus & Honoribus spectantibus eisdem & cuilibet ipsorum. Hanc enim
„ Investituram fecimus predicto *D. Vinciguerre* stipulanti & recipienti
„ nomine suo ac vice *Comitis Antonii Fratris* sui predicti & cujuslibet
„ eorum Filiorum Masculorum legitimorum ex eis duntaxat descendentium:
„ promittentes sibi stipulatione solemni per Nos & Successores nostros
„ canonice intraturos dictam Investituram & omnia suprascripta & sin-
„ gula infrascripta firmam & ratam, ac firma & rata habere, tenere,
„ attendere & observare, & non contrafacere vel venire per Nos, vel
„ per alios, aliqua ratione, causa vel ingenio, de jure vel de facto: salvo
„ semper Jure nostro & Ecclesie nostre Trid., ac omnium aliarum Perso-
„ sonarum. Ex adverso dictus *D. Vinciguerra* pro se & dicto suo *Fra-*
„ *tre Comite Antonio*, ac eorum Heredibus ligitimis Masculis duntaxat,

„ promisit solemniter ac juravit tactis corporaliter Scripturis, quod ipsi „ amodo Nobis & Ecclesie nostre, ac successoribus nostris canonice in„ traturis, erunt fideles Vassali, Nosque & successores nostros ac Eccle„ siam nostram in Juribus, Honore, Persona, & Rebus, totis viribus „ conservabunt, manutenebunt, procurabunt, augebunt, tuebuntur & „ fideliter observabunt, & omnia alia facient, que in sacramento fide„ litatis, & in suis Capitulis continentur. In quorum omnium testi„ monium Sigillum nostrum presentibus est appensum. Datum in Ca„ stro nostro Stenici 11. Mensis Septembris Anno Domini 1425. pre„ sentibus Nobilibus Viris *Joachino* de *Montanea*, *Balthassario*, *Antonio*, „ *Sigismundo* & *Ulrico* de *Thonno*, *Petro Formianer*, *Michaele* de *Corredo*, „ & multis aliis testibus fide dignis. Per manus Venerabilis *Stanislai* „ de *Subnovo* Magistri Artium Magne Polonie ac nostri Cancellarii.

Locus ✠ *Signi*.

Eo ipsomet anno 1425. die 27. Septembris ab *Henrico de Ast* Feltrensi Episcopo, consecratus fuit, aliis duobus adsistentibus Episcopis. Anno 1426. die 11. Octobris noster *Alexander* Ripam postliminio recepit. Hinc in Pace Ferrariensi de an. 1428. *Cardinalis Sanctae Crucis* Legatus *Martini V.* cum ea exceptione illam conclusit, ut *Terra Ripae Tridenti*, *& Castrum Tenni cum omnibus suis fortilitiis, juribus, jurisdictionibus, & pertinentiis, quae per Reverendum in Christo Patrem Dominum Episcopum Tridentinum praesentialiter possidentur, non comprehendantur*. Lunig t. 4. Cod. Dipl. col. 1688.

Anno 1427. die 8. Martii delegavit Joannem *de Cavallis*, & *Hartwvicum de Patavia* Canonicos Tridentinos pro visitandis Parochiis Italicis Dioecesis suae, & ad investigandum *an haereses pullulent, an Simoniaca pravitas committatur, an Beneficiati a suis Beneficiis sine facultate absint &c.* Anno 1432. die 20. Januarii Placentiae *Sigismundus* Romanorum Rex ipsum in suorum Consiliariorum intimorum numerum adscripsit.

Basileensi Concilio interfuit, ubi anno 1434. die 12. Aprilis ab *Adelpreto de Calepinis*, & *Luca filio Jo. Lucae de Lippis*, Syndicis Civitatis Tridentinae fidelitatis Juramentum accepit. An. 1435. rem cum *Friderico* Austriae Archiduce composuit. Plura exstant in hanc rem Diplomata eo ipso anno emissa. Primum die Veneris ante *Dominicam Oculi* Tridenti datum, cui plures interfuere, *Udalricus de Metsch Junior Comes in Kirchperg & Capitaneus ad Athasim, ab Archiduce Friderico, ut Ecclesiae Advocato tanquam ejus plenipotentiarius cum copiis missus, Perillustris Dominus Vinciguerra Comes ab Arco, & Joannes de Spaur nomine Antonii Comitis ab Arco*,

Arco, Fratris dicti Vinciguerrae, Episcopi Procuratores cum plenipotentia, Fridericus de Gresl Capitaneus Castri Cornu, & Vicarius Vallis Flemarum, Georgius de Spaur Capitaneus Ripae, Dominus Joannes Parochus Tenni loco Capitanei in Tenn, Stenglerus Capitaneus in Stenig cum plenipotentia, Udalricus Schrankpaumer Capitaneus in Zilf, seu Silva, Georgius Visinteiner Capitaneus in Castro Mani, & ad Rocham, Anselmus Meisestein Capitaneus in Pradai, Vendelinus Riemer Judex Bulsani, Udalricus Swveigmburger Judex in Tremin, cum omnibus Sindicis Judicariarum & Vallium Ananie & Solis, aliarumque Communitatum Hominibus. Praefatum autem Diploma firmatum municumque fuit appensis sigillis praedicti Udalrici de Metsch, Sigismundi de Niderntbor Equitis, & Conradi Hartenfelder Purgravii in Tyroli pro parte Archiducis Austriae, & Provinciae, nec non Domini Vinciguerrae Comitis ab Arco, & Joannis de Spaur nomine Antonii ab Arco Fratris ejusdem Vinciguerrae, Episcopi Tridentini Procuratorum. Item Nicolai Kinitschki Capitanei Castri Tridenti pro se & suis alleatis in Castro existentibus &c.

Duo alia subsequuta sunt Diplomata, ambo data eodem anno 1435. die Lunae post Dom. Jubilate Viennae, in quorum primo Archidux Fridericus acceptavit Sententiam Archiducis Alberti circa Controversias cum Alexandro Episcopo latam; in secundo idem Archidux Fridericus in exsecutionem Sententiae Archiducis Alberti, erga Tridentinam Ecclesiam Advocatiam Defensionemque promittit. Nec desunt alia plura Diplomata; unum eodem an. 1435. in Festo S. Joannis ante Portam Latinam Viennae, in quo Archidux Austriae Albertus nomine Imp. Sigismundi Sententiam tulit super Controversiis inter Archidux Fridericum & Episcopum Alexandrum; aliaque duo eo ipso an. 1435. die Sab. post Assumptionem Mariae Oeniponti, in quibus Sententiam dicti Archiducis Alberti, Archiducem Fridericus, & Episcopus Alexander, ratam firmamque habuere. Legere quoque est eodemmet an. 1435. erga Alexandrum nostrum, ratione Castri Boni Consilii protestatum fuisse fidelitatem D. Conradum Wolkenstein Capitaneum.

An. 1436. die 13. Augusti coram ipso Alexandro, atque illis, quos To. I. pag. 250. commemoravimus, Nobilis & Generosus Vir D. Gulielmus de Castrobarco Lizanae, q. Nob. & Potentis Viri D. Antonii de Castrobarco Lizanae, palam confessus est, se suosque omnes praedecessores de Castrobarco a centum, ducentum annis & ultra, imo verius, ut jura & eorum Privilegia testantur antiqua, ab erectione Ecclesiae (forte subintelligendum in Principatum) semper fuisse Vassalos Ecclesiae Tridentinae.

Anno 1437. idem Alexander, una cum Tridentina Ecclesia, sub Sedis Apostolicae protectionem susceptus fuit ab Eugenio PP. IV.

Anno

Anno 1439. die 22. Aprilis, Synodum Dioecesanam celebravit, quam aperuit Sanctus *Joannes* de *Capistrano* Ordinis Minorum, Sermone inscripto *Speculum Clericorum*: cujus quidem Sancti Chartam Fraternitatis gloriatur se habere pia Domus Flagellantium, vulgo *Battutorum*, Tridenti. Anno 1440., quarto Idus Octobris a *Felice V.* Antipapa creatus fuit Cardinalis, ac Legatus per totam Germaniam, & Aquilejensem Provinciam, nec non Aquilejensis Patriarcha, cum titulo Administratoris perpetui Episcopatus Tridentini.

Anno 1441. die Jovis post S. Georgium manavit Diploma, quo *Georgius Episcopus Brixinae*, *Udalricus de Metsch* Comes in Kirchberg Capitaneus ad Athesim, *Joannes Spaur*, *Wolfhartus Fuchs de Fuchsenberg*, *Sigismundus de Slandersperg*, *Georgius Mezner*, & *Leopoldus Aspach*, nomine *Friderici* Romanorum Regis restitutionem decreverunt faciendam *Alexandro Cardinali Patriarchae Aquilejensi per totam Germaniam a Latere Legato*, sequentium Castrorum, videlicet *Stenig*, *Thenn*, & *Castri Mani*, cum omnibus Juribus & Reditibus; quae quidem restitutio executioni mandari debeat ad Festum S. Joannis, quo die ipso facto *Sigismundus* de *Thunn* in *Stinig*, *Georgius Visinteiner* in *Thenn*, & *Udalricus Thunner* in *Castel Mano*, jurent fidelitatem dicto *Cardinali Alexandro &c*; ita tamen ut Romanorum Regi *Friderico* in tota ditione Ecclesiae jus claudendi vel aperiendi vias sit reservatum, & tandem Episcopus in Castro & Civitate Tridenti sedem figere, ac in absentia sua Capitaneum constituere queat. Hujusmodi Diploma est praedictorum omnium Sigillis munitum. Eo ipso anno 1441. ratam habuit abdicationem Feudi *Castri Madrutii* factam a *Jacobo filio Balthassaris de Rocbabruna*.

Eodem anno die 14. Julii Viennae obtinuit gravissimas Literas *Friderici III.* Romanorum Regis ad Ecclesiae suae jura sarta tectaque servanda contra eos, qui plura sibi in ejusdem Ecclesiae praejudicium vindicaverant.

Anno 1442. constituit Judicem & Vicarium Vallium Anauniae & Solis D. *Michaëlem de Thuno*. Quo quidem anno ipsi conlata est Praepositura Viennensis, ut patet ex Literis Basileensis Concilii eodem anno, septimo Calendas Novembris datis, in quibus nuncupatur *Administrator Ecclesiae Tridentinae, & Curiensis*.

Anno 1443. constituto Tridenti *Joanne*, electo, & confirmato Episcopo Feltrensi ac Bellunensi, suo in Spiritualibus ac Temporalibus Vicario, & Locumtenente (qui eo ipso anno in Castro Boni Consilii die 7. Junii Bullam *Bonifacii IX.* super restrictione XXVII. Praebendarum ad XVIII. exsecutioni mandandum praecepit) iter in Germaniam arripuit, & Monachium appulsus, die 24. Aprilis, *Pontificatus SS. D. Felicis*

licis Divina Providentia Papae Quinti anno tertio, qua *tit. S. Laurentii in Damaso S. R. E. Presb. Cardinalis*, *Patriarcha Aquilegiensis vulgariter nuncupatus*, *Administrator perpetuus Ecclesiae Tridentinae*, *per SS. Generalem Synodum ac Sedem Apostolicam Legatus de Latere specialiter deputatus*, quasdam erogavit Indulgentias Capellae S. Georgii in Castro *Merzing* Frisingensis Dioecesis, uti fert Diploma novissime vulgatum a Cl. Viro Andrea Felice Oefelio To. 2. *Scriptor. Boic* pag. 290. Tandem Viennae in Austria die 2. Junii 1444. excessit e vivis, in Ecclesia S. Stephani, cui praefuit, in abside sinistra juxta Altare B. M. V. sepultus cum Inscriptione:

Anno Dñi MCCCCXLIIII. die II. Mensis Junii obiit Reverendissimus in Christo Pontifex, Pater, & Illustrissimus Princeps ac Dñs Dñs Alexander Dei gratia Cardinalis, & Patriarcha Aquilejensis, Administrator Ecclesie Tridentine, & Dux Mazovie. Cujus Anima vivat Deo.

Circa praefatos titulos *Cardinalis*, ac *Patriarchae Aquilejensis*, qui etiam in pluribus a me visis Diplomatibus occurrunt, adjecto alio *Administratoris perpetui Ecclesiae Tridentinae*, aut *Commendatarii Episcopatus Tridenti*, consulendus Pater de Rubeis in *Monum. Eccl. Aquilej.* col. 1051., apud quem insuper lego in Append. pag. 19. de nostro *Alexandro* adjectum cuidam Chronico; quod *optime meritus de Sede Apostolica fuit, & in publicis privatisque negotiis bene se gessit &c.*

Joannes Hinderbachius Episcopus, de quo postea, testatur ab eodem *Alexandro* in Dioecesana Synodo fuisse *instituta Festa S. Stanislai Episcopi Cracoviensis & Martyris*, ac *S. Adalberti Episcopi & Martyris Pragensis*. Condidit saluberrima *Statuta & Ordinamenta secundum antiquissimam consuetudinem ad Officium Syndicorum Tridenti spectantia*, quae postea a Magno *Bernardo Clesio* fuere *successive aucta*, *declarata*, *& confirmata ad bonum*, *quietum*, *& pacificum statum suum*, *& ejus Civitatis Tridentinae*, *& ad reprimendum animum malorum praeponentium utilitatem suam bono publico*, *& inobedientium*. Videatur Liber secundus Statutorum Tridentinorum. Consulatur quoque Liber tertius de Criminalibus, ubi habetur Cap. 117. *de Vino non conducendo ad Civitatem ex Statuto q. Episcopi Alexandri*.

Varia inter praeconia, quae meruit, unum est apud Marianum in *Trento* pag. 328. *Magni Reparatoris Tridentinae Ecclesiae*. Verum quidem est, plures adversus eumdem passim circumferri criminationes: sed ad eas depellendas, exsuflandasque, satis erit referre luculentissimum e contrario testimonium, quod ad ejus adserendam innocentiam contra refractarios ac rebelles quosdam perhibuit Capitulum Tridentinum

dentinum sub Datum Tridenti die 18. Septembris 1437. hisce conceptum verbis:

„ Si bonorum merita sunt laude „ digna prosequenda, utique gesta „ Reverendi in Christo Patris Domini nostri Domini *Alexandri* „ Episcopi Tridentini spetialis laudis titulo sunt commemoranda, „ & memorabilibus quondam Tridentinorum Pontificum inscribenda, ut ipsius Successores Tridentini Presules suorum Predecessorum laudabiles actus imitando, „ pro Ecclesia Tridentina labores „ quoslibet subire non recusent, „ & queque ardua aggredi non „ formident. Attestamur namque, „ quod prefato Domino nostro Episcopo *Alexandro* in suo primo „ introitu ad hanc suam Civitatem „ Tridentinam de bonis & terris „ Ecclesie Tridentine tantum Castrum Boni Consilii cum Civitate Trid. assignatum fuit, quodque alia Castra, Terre, & Jurisdictiones, ac Valles dicte Ecclesie per diversos potentia Laycali alienata, & occupata, alienateque & occupate fuerunt, que „ omnia predictus Dominus Episcopus gratia Divina sibi assistente, sua industria cum magnis laboribus, & expensis, & fatigis „ recuperavit & acquisivit: qui dictam Ecclesiam per plures annos „ ex post pacifice tenuit & rexit „ ac laudabiliter gubernavit, seque „ honesta vita, & bona conversatione Clero, & benevolis fidelibus gratum exhibuit, & amabilem fecit. Sub cujus felici „ regimine & statu pacifico Ecclesia magna gaudebat pace & quiete. Quod moleste ferens humani generis inimicus Diabolus „ per suos Satellites nuper post „ recessum ejusdem Domini Episcopi ad Sacrum Basileense Concilium, Ecclesie tranquillum statum turbare diversimode cepit, „ etiam ad detrahendum dicto Domino Episcopo, & diversa crimina sibi, sed false, ascribendo, „ nonnullos concitando etiam ad „ Bona Ecclesiastica, & Personas „ Ecclesiasticas invadendum, derobandum, & multiplices molestias, „ damnaque tam dicto Domino Episcopo, quam suis subditis inferendum: suggerendo etiam rebellionem subditorum suorum & „ Ecclesie ad rebellandum inducendo, de quo que, qualia, & „ quanta mala sint secuta, & adhuc „ evenire timentur, non expedit „ scribere &c. “

Omitto peculiarem Dissertationem ad ejusdem Vindicias longe aequissimas a P. Hippolyto Perginensi novissime lucubratam. Profecto gravamina adeo illustri Episcopo ac Principi objecta anno 1436., a plerisque malevolis ac seditiosis fuere consarcinata ad conflandam ipsimet invidiam. Certum quippe est an. 1435. die 15. Februarii saevam contra eumdem plerorumque Civium rebellionem fuisse excitatam, cumque pro voto res ipsis non cessisset,

fisset, Tirolensem Comitem, confictis hujusmodi gravaminibus in ipsum concitare tentarunt, illud vehementer veriti, ne redux ex Basileensi Synodo eorum Episcopus ac Princeps, commeritas ab eis poenas exigeret.

Sub eodem Antistite floruisse Officinam Nummariam ambigendum non est. Quippe constat ex authenticis Monumentis Clarissimi S. Michaëlis prope Tridentum fuisse in usu ad an. 1425. *Libras Denariorum Tridentinorum*; ad an. 1431. *Grossos*, atque *Libras Monetae Tridentinae*; ad an. 1435. rursus *Libras*, & *Grossos Tridentinos*; ad an. 1438. *Libras Tridentinas*; ad an. 1439. *Libras Denariorum parvorum Tridentinorum*; ad an. 1440. *Solidos Denariorum Tridentinorum &c.* Consule, si lubet, Librum secundum Tridentinarum Legum Municipalium, ubi Monetarum Tridentinarum mentio saepius occurrit, nec non cit. Dissertationem Cl. Viri Simonis Petri Bartholomaeji pag. 35.

Pro eodem Principe fuere in temporalibus Vicarii Tridenti Eximii Legum Doctores DD. *Ludovicus de Calvis de Bononia*, *Julianus*, dictus etiam *Joannes, de Chochapanis de Carpo*, *Gerius de Monte Catino de Ferraria Comes Palatinus*, *Jacobus de Ursulinis de Tussigno &c.* Circa an. 1425. *Guarinum* Veronensem seniorem Tridenti humaniores tradidisse Literas cum Graecas, tum Latinas, huc ab ipso *Alexandro* verisimiliter accitum, auctor est Apostolus Zenus To. 1. Dissertation. Vossian. in *Guarin. Veronen.* pag. 216. Addit Pater Hieronymus Cassina in suis MSS. Spicil. laudati *Alexandri* aevo pervenisse Tridentum *S. Bernardinum* Senensem, hospitatumque fuisse in Domo Costeda, quae postea in Collegium PP. Societatis Jesu conversa est. De eodem S. Bernardini adventu loquitur etiam Marianus in *Trento* pag. 138. Hujus nostri Antistitis iterata mentio fit in Dictionario Historico Ludovici Morerii verbo *Alexandre*, ac verbo *Cardinal* Edit. Parisien. an. 1732.

Defuncto itaque Episcopo *Alexandro*, ac durante tunc Romanae Ecclesiae Schismate, Frater *Nicolaus de Azara*, Ordinis Minorum, *bonis operibus & assidua praedicatione in Tractu Tridentino plurimos retraxit a sequela Felicis Pseudo-Pontificis*, *olim Ducis Sabaudiae*, quem proinde an. 1445. laudavit *Eugenius* Papa IV., uti testantur Annales VVaddingi ad eumdem annum n. 12. Interea vero in *Alexandri* successorem eligi meruit *Theobaldus de Wolckenstein*, Decretorum Doctor, Tridentinae ac Brixinensis Ecclesiarum Canonicus, & a Basileensi Synodo confirmari; repugnante tamen praefato *Eugenio IV.*, qui anno 1444. die 12. Octob. *Benedictum de Tridento* Abbatem S. Laurentii apud Tridentum, Ordinis S. Benedicti, denunciaverat Episcopum Tridentinum. Qui propterea illam Tridentinae Dioecesis partem rexit, in qua tunc Veneti dominabantur,

nempe in Territorio Ripensi, in Valle Lagarina &c. *Theobaldus* anno 1446. die 8. Junii Tridenti coram testibus, atque interposito juramento renunciavit Episcopatum, commisitque *Joanni Theul* Abbati S. Georgii in Monte Brixinensis Dioecesis, ac *Leonardo Bismar* Plebano Tirolis in Curiensi Dioecesi, ut hujusmodi abdicationem Synodo Basileensi referrent; *Leonardus* tamen die 21. Septemb. ejusdem anni loco sui hoc in negotio substituit D. *Joannem Bertell de Sultzbach* Clericum Ratisponensis Dioecesis, & in Decretis Licentiatum. Renunciavit anno eodem etiam *Benedictus*; attamen Romam confugit causam suam coram Pontifice peroraturus, quod non sponte cessisset. Res nihilominus ita fuit a Pontifice temperata, ut successor *Georgius* ducentos Florenos auri de Camera *Benedicto* daret, quorum medietatem reapse solvi mandavit Romae die 13. Maji 1450. per manus praedicti *Joannis de Sultzpach* tunc Canonici & Decani Tridentini, eo missi ad Apostolorum Limina visitanda, & componendum cum *Benedicto* praefato. Porro idem *Benedictus* dimisso *Episcopi* titulo, illum *Abbatis S. Laurentii* repetiit, & contra Episcopum *Georgium*, Capitulum Tridentinum, atque *Joannem Hinderbachium* tunc Praepositum, ac dein Episcopum, coram S. Sede litem excitavit pro capessendo jure Bonorum dictae Abbatiae S. Laurentii prope Tridentum, quae quidem lis usque ad annum 1458. efferbuit, obeunte tunc *Benedicto* penitus terminata.

XC. GEORGIUS II.

Hack dictus de *Themeswald* ex Nobilibus Silesiae, *Happi Hack*, Sigismundi Ducis Austriae, Comitisque Tirolis Marescballi, posteaque ad an. 1453. & 1454. Capitanei *in Salurno* frater, Plebanus Ecclesiae S. Martini in *Mistelbach* Pataviensis Dioecesis, Tridentino Capitulo, atque praefato *Sigismundo* requirentibus, a Synodo Basileensi electus Episcopus noster, uti patet ex ejusdem Synodi Literis datis *Basileae XIV. Kal. Novemb. Anno a Nat. Dñi* 1446., jamque a nobis vulgatis *Vol.* 3. *part.* 1. *pag.* 252. *ac seqq.*

Anno 1447. die Mercurii post Pascha Caldarii ratum habuit Feudum *Jacobi Campaner de Tremino*. Eodem anno confirmavit privilegia incolis Vallis Flemmarum a suis Praedecessoribus erogata, per sequens Diploma:

„ Geor-

„ *Georgius Dei gratia Episcopus Trid.* Notum facimus tenore pre-
„ sentium quibus expedit universis, quod pro parte *Fidelium nostrorum*
„ *Hominum Communitatis nostre Vallis Flemarum* coram Nobis produ-
„ ctum & exhibitum est quoddam certum Privilegium continens Jura,
„ Consuetudines & Pacta Universitatibus & Communitatibus omnium
„ Villarum prefate nostre *Vallis Flemarum* a Reverendis in Xpo Patri-
„ bus & Dominis Dominis *Gebbardo*, *Hanrico*, *Nicolao*, *Alberto*, *Geor-*
„ *gio* & *Alexandro* nostris Predecessoribus & Epis Tridentinis datas,
„ concessas & confirmatas, ac data, concessa & confirmata, prout in
„ hujusmodi Privilegio prefati Domini *Alexandri* Epi nostri Predecesso-
„ ris Sigilli appensione roborato plenius continetur; pro parteque eo-
„ rundem Hominum nobis humiliter & devote extitit supplicatum, qua-
„ tenus ipsis hujusmodi Jura, Consuetudines & Pacta a longissimis tem-
„ poribus observatas & observata, nostra ordinaria auctoritate similiter
„ ratificare, confirmare & approbare dignaremur gratiose. Primo quod
„ Homines Villarum & Communitatum *Plebis Flemarum* a *Clusa Trodene*
„ usque ad *Pontem de la Costa* debent solvere Nobis vel nostris *Castal-*
„ *dionibus* omni anno 24. *Armanias cum suis Foderis*, & alios nostros
„ redditus, quos habemus in *Flemis*; & illas *Armanias* solvere debent
„ tam Clerici quam Laici, Famuli, & *de Mazanata* in dicta *Valle Fle-*
„ *marum* & infra dictos confines habitantes. Debemus etiam Nos &
„ nostri Successores Epi Trid. omni anno bis in anno mittere unum
„ *Castaldionem* ad dictam *Vallem Flemarum*, qui ibidem faciat omnibus
„ postulantibus plenarie cum *Consilio Juratorum Flemi* rationem, videli-
„ cet ad Festum S. Martini, & de mense Maji. De *Bannis* vero sic in
„ dicto Privilegio ordinatum & statutum est; quod ille de quo conque-
„ ritur de debito debet solvere Nobis & Castaldioni nostro 20. solidos
„ Denar. Veron. Ille vero qui condempnatur vel per Juratos accusatur
„ de violentia facta alicui, debet solvere *Bannum Castaldioni* libras tres
„ Veron. Similiter ille qui accusatur vel condempnatur aliquem spuisse,
„ verberasse, alapam dedisse vel aliquo modo percussisse vel capillasse,
„ unde sanguis non exivit, solvat *Bannum Castaldioni* tres libras Veron.
„ Ille vero qui aliquem interficeret vel vulneraret cum cultello, lancea,
„ spada, sagitta vel aliquo alio ferro vel lapide seu maza, unde sanguis
„ exiret, hoc *Bannum* Nobis vel nostro *Castaldioni* ad nostram volunta-
„ tem & secundum *Consilia Juratorum Flemi* est reservatum. Item si
„ aliqua *Villa Flemarum* violentiam faceret alicui persone vel personis,
„ illa debet solvere pro *Banno* si sanguis non exivit 30. libr. Veron.,
„ si vero sanguis exiret, talis pena debet stare in arbitrio nostro vel
„ nostri *Castaldionis*. Item si tota *Communitas Flemarum* alicui persone

„ violentiam faceret unde ſanguis non exiret, debet Nobis pro *Banno* „ ſolvere vel *Caſtaldioni* noſtro libras centum Denarior. Veron., & ſi- „ ſanguis exiret, pena ſeu *Bannum* hujuſmodi noſtro vel noſtri *Caſtal-* „ *dionis* arbitrio eſt reſervata. Sententie etiam, que dantur, debent „ dari cum *Conſilio Juratorum*. Item prefatus Reverendus in Xpo Pa- „ ter *Dominus Gebardus Episc. Trid.* Predeceſſor noſter, pro ut in dicto „ Privilegio continetur, omnes & ſingulos tam Clericos quam Laicos, „ Liberos & Servos, ſeu *de Mazanata* natos de dicta *Valle Flemarum* ab- „ ſolvit ab omni *Colta*, *Dacio* & ab omni *Scuſio*, & de omni *forza*, & „ ab omni *muta* per totum Epatum Trid. & Ducatum, pro eo quod dicti „ Homines de plano *Flemarum* a *Cluſa Trodene* uſque ad *Pontem de la* „ *Coſta*, tam Clerici quam Laici, Famuli atque *de Mazanata* dant & ſol- „ vunt & ſolvere debent Nobis & Succeſſoribus noſtris & Eccleſie no- „ ſtre Trid. omni anno 24. *Armanias* cum ſuis *Foderis* & *Placitis* & „ cum aliis racionibus noſtris & Eccleſie noſtre Trid. Item prefatus „ *Dominus Henricus Episc Trid.* predeceſſor noſter, prout in Privilegio „ ſuo Sigillo deſuper roborato & coram Nobis producto continetur, „ Homines Communitatis dicte *Vallis Flemarum* de omnibus & ſingulis „ Montibus in eodem ſuo Privilegio expreſſis, ut iidem Homines eoſ- „ dem habuerunt & habent in poſſeſſione pacifica cum lignis, nemori- „ bus, viis, ſemitis, paſcuis, capulis, venationibus, piſcationibus, „ omnium & ſingulorum animalium, nec non aliis Privilegiis & Gratiis „ in eodem Privilegio contentis, gratioſe inveſtivit. Nos igitur viſis, „ auditis, perlectis & intellectis Juribus, Conſuetudinibus & Pactis an- „ tedictis, nec non Conſuetudinum & Jurium predictorum confirmatio- „ nibus & approbationibus prefatorum Predeceſſorum noſtrorum Tri- „ dentinorum Pontificum, & ſuper eiſdem deliberatione & examinatione „ prehabitis, precibus prefatorum Hominum & Communitatis *Vallis Fle-* „ *marum* inclinati, volentes Predeceſſorum noſtrorum in hiis imitari „ veſtigia, omnia Jura, Conſuetudines & Pacta ſuperius expreſſa, & „ generaliter omnia alia & ſingula in premiſſis Privilegiis contenta, que „ omnia & ſingula preſentibus volumus habere pro expreſſis, ratas & „ gratas, ac rata & grata habentes, ratificamus & approbamus & preſentis „ Scripti patrocinio perpetuo communimus. Salvo tamen & reſervato „ Nobis & Succeſſoribus noſtris Epiſcopis Trid. prout in prefato Privile- „ gio etiam continetur, quod ſi aliquis de dicta *Valle Flemarum* Adulte- „ rium vel Fornicationem commiſerit, Virginem, Maritatam vel Viduam „ mulierem violando, vel quicumque violare voluerit, inſuper & quicum- „ que manu armata vel malicioſe vel animo occidendi aliquem vel aliquos, „ inſultum fecerit ad domum habitationis alterius, ille vel illi ſecundum

„ eorum

„ eorum demerita & excessus puniantur & puniri debeant, prout delinquentium culpa, enormitas criminis & rebellio eorumdem exigit & requirit. In cujus rei testimonium presentes Literas seu presens Privilegium fieri, nostrique Sigilli appensione jussimus roborari. Datum in Bozano 15. die Mensis Novembris Anno Domini 1447. "

Anno 1448. die 8. Novembris fuit a *Nicolao V.* PP. iterum confirmatus. An. 1451. die 17. Decembris in Castro Boni Consilii approbavit Statuta Communitatum Randenae, Thioni, Boni, & Condini nec non Judicariensium aliorum habitantium ultra Duronum; quod praestitit more *bonae memoriae Alexandri immediati Praedecessoris sui*.

Anno 1454. accepit literas ejusdem Papae *Nicolai* datas Romae XIV. Cal. Januarias, atque in novissimo Bullario Ord. Praed. descriptas, in quibus memorantur *Benedictus Abbas S. Laurentii extra muros Trid. & Odo de Venetiis Prior S. Leonardi de Burgeto Ordinis Cruciferorum Dioec. Trid.*, ex iisdemque constat *Monasterium Monialium S. Margaritae in Suburbio Trid. ab olim authoritate Apostolica perpetuo incorporatum extitisse Ordini Fratrum Praedicatorum, & illius Abbatissam, ac Moniales, quae fuerunt pro tempore, sub eorum cura, regimine, & disciplina, vivere consuevisse*. Antiquiores hujus Monasterii tabulas vide *Vol. 2. pag.* 658. *& seq.*

Anno 1455. die 9. Junii cum *Nicolaus Cusanus* Episcopus Brixinensis a *Calixto III.* in mandatis accepisset, ut Monasterium *Griesense* prope Bulsanum reformaret, atque eo ipso anno 1455. die 15. Sept. ad id *Joannem Fuchs* Novecellensis Monasterii Decanum constituisset; pro ea necessitudine, quae intercedebat inter dictum Episcopum Brixinensem, ac nostrum Tridentinum, a quo Griesense Monasterium dependebat; hanc Tridentinus noster Epistolam ad praefatum Decanum misit, eidem Griesensi Monasterio exhibendam, utpote hanc inscriptionem praeferentem: *Venerabili ac Religiosis in Christo Nobis sincere Dilectis Praeposito, Decano, & Conventui Monasterii Beatae Virginis in Gries Canonicorum Regularium &c.*, atque hisce conceptam verbis zelo Dei plenis. „ Si Dominus per ministerium suorum Fidelium, quae sibi sunt placita, operatur, quisque debet libenter cooperari Ministris, ut placeant Operanti, qui exaltat sibi placitos in salutem. Cum itaque Monasterium vestrum propter Praelati defuncti inadvertentiam, seu negligentiam, in Cultu Divino ac Regulari Observantia sit collapsum, de Circumspectione, Prudentia, ac Religiositate Venerabilis ac Religiosi Viri Domini *Joannis Fuchs* Decani Novecellensis Nobis Dilecti plenam in Domino gerentes fiduciam,

„ ciam, ut ipsius sollicitudine, di-
„ ligentia, & instructione ad lau-
„ dem Dei, & Animarum salutem
„ reparetur, eundem Dominum De-
„ canum cum praesentibus ad Vos
„ mittimus, dando sibi hoc in com-
„ missis, ut Vobis consiliis & au-
„ xiliis saluberrimis assistat, & per
„ charitativas inductiones Vos ad
„ Sacrae Religionis observantiam
„ inducat, & informet, cui & vo-
„ lumus per Vos in hiis obtempe-
„ rari. Et quia absque essentia-
„ lium Regulae observantia nulli
„ Sacram Religionem professo um-
„ quam poterit esse salus, quare
„ praecipue ab ipsis essentialibus
„ tanquam a fundamento incipiat
„ gradatim, & demum ad alia,
„ juxta loci, & personarum qua-
„ litatem, procedendo ita, ut uni-
„ formis exteriorum vestimentorum
„ in Monasterio sit habitus; quia
„ rationi non congruit, ut homines
„ disparis habitus simul in eodem
„ Monasterio socientur. Et si per-
„ sonae superfluae in Monasterio
„ essent, ut istae per Vos D. Prae-
„ positum amoveantur. Alia quo-
„ que secundum informationem di-
„ cti D. Decani, quae Regulari ob-
„ servantiae tam nocturnis quam
„ diurnis officiis psallendo & can-
„ tando congruunt, exerceatis, &
„ adimpleatis, ad quae praefatum
„ D. Decanum auctoritate nostra
„ ordinarii invigilare volumus, ut
„ & sic Nos de profectu vestro de-
„ beamus merito gratulari, in eo
„ nostram voluntatem adimplentes.
„ Datum Tridenti 1455." Haec ad instar Originalis apud Cl. Puellium.

An. 1456. ejusdem nostri Episcopi opera stabilitae sunt induciae (vulgo *tregua*) inter Comites Arci, ac Lodronii, qui mutuis hostilitatibus collidebantur, quemadmodum Epistolae *D. Francisci Comitis Arci*, & *D. Caesaris de Martinengo* ejus cognati, ad eumdem nostrum Episcopum datae testantur. Eodem an. 1456. recepit Literas praedicti *Nicolai Cusani Episcopi* Brixinensis & Cardinalis, datas Brixinae die Veneris ante Festum Trinitatis, in quibus idem Cardinalis eum vocat *Amicum carissimum*, agnoscitque *Advocatum Monasterii in Sonenburg*. An. 1458. die 25. Aprilis per gratiosum Diploma datum in Nova Civitate Austriae, ab Imperatore *Friderico III.* Regalia impetravit. An. 1459. Conventui Mantuano interfuit.

Anno 1462. die 21. Maji Beneficium in Plebe S. Mariae Vallis Leudri contulit *Leonardo Contareno* Patricio Veneto, ac Theologiae Doctori, qui postea meruit quoque fieri in Valle Lagarina Archipresbyter Lizanensis, ac Muriensis. Eodem an. 1462. in Festo S. Margaritae Tridenti Administratores absentiae suae tempore destinavit *Petrum Comitem Lodroni*, *Happen & Conradum Hagg fratres suos*, *Joannem de Thun*, *Ambrosium Schlaspeck Canonicum Tridentinum*, *Sigismundum de Thun Capitaneum in Stenig*, *Rolandum de Spaur Vicarium in Anaunia*, & *Antonium de Terlago &c.*

No-

Notiores sunt Tabulae Pactionum ab ipso initarum cum *Sigismundo* Austriae Duce, ac Tirolis Comite, quam ut heic a nobis referri opus sit. Hujusmodi Pactionum caussa sinistra quidem ipsimet adhaesit suspicio apud Sedem Apostolicam; haud tamen dubitaverim eidem propterea in jus vocato, facile fuisse illam prorsus diluere, ob contentam in eisdem facerrimam clausulam de nihil agendo *contra Pontificem*, *ac Sedem Romanam*.

Sed heic praestat audire coevum Catalogi Scriptorem in haec verba loquentem: „ Hic licet exigui corporis, sed magni animi fuit. Castrum Boni Consilii Antemurali, Turribus, & Propugnaculis munivit. Pisenum & Petram Castra devicit. Castrum Coredi a fundamentis restauravit. Suppellectilem argenteam, ceteraque Pontificalis Dignitatis ornamenta non contemnenda suo Successori reliquit: humilibus propitius: superbis adversus: plerosque sui & Ecclesie emulos castigavit. Verum hiis, quibus multa contulerat beneficia, nimium credulus, dolo circumventus. Quorundam Civium factione pulsus, Bozani vitam duxit circiter annis duobus, priusquam moreretur. Civibus, Castrisque exutus, temporalitatem Ecclesie in manibus Ducis duobus annis cessit & consignavit. Tandem morbo idropis laborans, cum ad Ecclesiam suam rediret, apud Villam Matran Brixinensis Dyocesis animam exalavit. Tridenti in Cripta Sancte Maxentie in latere Alta is dextro sepultus. Qui rexit Ecclesiam Annis decem & octo, Mensibus duobus, aliquibus diebus minus. Obiit XXII. Mensis Augusti Anno Christi MCCCCLXV. "

Priusquam decederet, nempe die 2. Aug. 1465. Oeniponti, ubi infirmabatur, Capituli Tridentini accedente consensu, suum in temporali dominio Coadjutorem ad annum & ultra, id est durante sua infirmitate, constituit *Wolfgangum Niderlingerum* Canonicum Brixinensem, & Parochum in Tisens. Habita vero Tridenti ejusdem *Georgii* obitus notitia, Matrejum se mox contulerunt Dominus *Johannes* de *Pabo*, & Dominus *Ambrosius Slasperch* Tridentini Canonici, Dominus *Conradus* Praepositus S. Michaëlis, Dominus *Joannes Saller* Praepositus Augensis, Dominus *Hieronymus Saurvvein* in Decretis Licentiatus ac Plebanus in Bulsano, Dominus *Simon* Plebanus in Salurno, Nobilis Vir Dominus *Christophorus Formianer* Capitaneus Tridenti, cum aliis Nobilibus, qui defuncti cadaver levari fecerunt, Tridentum ipsis comitantibus deferendum. Cujus Sepulcro sequens Epitaphium legitur inscriptum:

Anno

Anno Dñi M.CCCC.LXV. xxii. mensis Augusti obiit Reverendissimus in Christo Pater D. Georgius dictus Hoke de Slesia Episcopus hujus Ecclesie. Requiescat in pace. Amen.

Additur apud Ughellum.

Joannes Episcopus Successor ejus fieri fecit MCCCCLXVII.

Idem *Joannes* Successor propria manu notatum reliquit, in Tridentinam Ecclesiam invectum fuisse Cultum Festumque *S. Hedwigis Viduae Ducissae Silesiae per Dominum Georgium Hoke ex nobili prosapia Ducatus Silesiae*. Laudatur noster *Georgius* in publico Instrumento an. 1454. apud Lünig To. 4. *Cod. Diplom.* col. 1798. Sunt etiam plures ad ipsum Epistolae Ducum Bavariae de annis 1449. 1457. 1461. &c. Item Epistolae *Friderici* Saxoniae Ducis de an. 1461., nec non Epistolae tres *Joannis* Comitis Goritiae ac Tirolis de eodem an. 1461., ut nihil dicam de Epistolis *Alberti* Austriaci &c.

In Tabulario Monasterii S. Michaëlis extra muros Tridenti, & in vetusto Codice Diplomatico *Fratraliae Zappatorum S. Petri* Tridenti, Notariorum manibus scripto, reperi Chartas commemorantes ad an. 1448. & 1467. *Ducatos in ratione, & ad computum sexaginta Grossorum denariorum Tridentinorum pro singulo Ducato:* ad an. 1452. *Ducatos in ratione Grossorum septuaginta* (sic) *pro singulo Ducato denar. Trid.*: ad an. 1454. 1456. 1457. 1460. & 1461. *Grossos Monetae Trid.* nec non *Grossos denar. Trid.*: ad an. 1462. *Rainenses in ratione quadragintaocto Grossorum Trid. pro quolibet Rainense*: ad an. 1463. *Ducatos in ratione quinque Librarum bonae Monetae pro singulo Ducato &c.*

Laudati *Georgii* temporibus desiisse videtur Monasterium Tridentinum S. Margaritae de *Surbano*; nec non antiquissimam Advocatiam Episcoporum Tridentinorum super Monasterium Sonnenburgense in Valle Pustrissa, uti conjectare licet ex Scripturis variis in Causa *Nicolai Cusani* Cardinalis & Episcopi Brixinensis circa idem Monasterium, ac in Compositione dictae Causae inter ipsum & Archiducem *Sigismundum*.

Accidit quoque sub eodem *Georgio*, quemadmodum legere est apud Waddingum ad an. 1451., Tridentinos Cives a Romano Pontifice *Nicolao V.* enixe petiisse facultatem transferendi Conventum S. Francisci (utpote situm extra paulo ante clausam portam Vrbis sibi proximam, ac etiam a vetustate, incendio, & hostibus ruinosum) atque intra Civitatis moenia collocandi, eamque obtinuisse per Bullam *Piis &c. Pridie Non. Decemb.* Cur autem id optato effectu caruerit, nobis divinandum relinquitur. Narrat insuper idem Waddingus ad an. 1452. memoratum *Nico-*

Nicolaum V. per aliam Bullam *Sacrae Religionis &c. XV. Kal. Jul.* licentiam dedisse construendi novum Conventum S. Bernardini extra muros & portam S. Crucis, proque ejus fundatione Ministrum & Confratres Domus Dei Societatis Disciplinae quamdam terrae portionem donasse; ac pro constructione alium quoque (addiderim ego) pium Fidelem de Tridento in suo Testamento Veronae condito sua bona reliquisse. Hinc nulla veritate niti deprehenditur quod inquit Marianus in *Trento* pag. 138. *Era questo Luogo* (di S. Bernardino) *un Hospitale d'Orfane, e fu ridotto in Convento di Riforma, per concessione della Città, da S. Bernardino di Siena &c.*

Memoratu praeterea dignum, quod *Georgio* Tridentinis imperante, gravis orta est controversia circa *reparationem Fluminis Nuxii*, quam *Anno Domini* 1456. *Indict.* 4. *die* 18. *mensis Februarii* in solemni Conventu habito *in Villa Mezii Sancti Petri Jurisdictionis & Districtus Tridenti, Plebis S. Mariae de Castro Mezii Corone, Tridentine Diocesis, super Plazo dicte Ville Mezii Sancti Petri*, feliciter diremit Universitas Medii Sancti Petri, ea lege, ut *adstringantur omnes & singule persone, etiam nobiles, concurrere pro reparatione Fluminis Nuxii, ut antea fecerunt*. Cui quidem Decreto subscriptus legitur *Joannes filius Nobilis & Providi Viri Ser Gulielmi de Migatiis de Cogolo Plebis Volsane Vallis Solis Tridentine Diocesis Judex ordinarius &c.*; publicatumque fuit *coram Nobili & Circumspecto Viro Domino Thomeo f. q. Nobilis Viri Ser Philippini de Thuno Vallis Annanie habitatore ad Canevariam suprascripte Ville Mezii tanquam Regulano constituto & deputato per Magnificum & Generosum & Strenuum Militem Dominum Joannem de Sporo &c.*

Sub laudato nostro Antistite ad an. 1453. fuit Prior Hospitalis S. Mariae de Campilio Vallis Randenae *Frater Joannes q. Zanini de Gerola Vallis Telinae*: imo etiam sub antecessore *Alexandro* ad an. 1436.

XCI. JOANNES IV.

Cognomento *Hinderbach*, patria de Rauschenberg, aliis de Kirchain, & aliis de Kirchperg, in Hassia, natus an. 1418. die 14. Augusti, patre *Joanne Hinderbach* Aulico Cancellario Tirolensi, matre vero *Hedvvige* Sorore celebratissimi Viri *Henrici de Langenstein*, dicti *de Hassia*.

In Vindobonensi Archigymnasio *Joannem* nostrum ad an. 1436. operam dedisse literis, testatur Georgius Ederus in Catalogo Rectorum & Illustrium Virorum ipsius Archigymnasii. Dein Patavii Jurisprudentiam didicit, auditis Magistris *Jacobo de Zochis, Angelo de Castro, Antonio de Rosellis*, & *Leonardo de Baziolis*; quorum etiam Institutiones raptim in tabulas retulit, adhuc in Episcopali Bibliotheca Tridenti adservatas, una cum ejusdem Hinderbachii *Oratione ad Pium Pont. Max.* Hinc corrigendus palmaris er-

ror Cl. Nicolai Comneni Papadopoli, qui L. 1. *Hist. Gymn. Patav.* c. 3. n. 16. rem ordine prorsus inverso narrat, appingendo *Henrico a Langenstein* supra laudato ea, quae *Joanni* nostro tantummodo conveniunt. Profecto mirari vehementer subit, quei memoratus *Langensteinius* dicatur *Jacobi de Zochis* auditor, cum teste ipsomet Papadopoli, extra dubium sit *Zochium* fuisse donatum Cathedra Patavina circa an. 1440.; constet vero aliunde annum emortualem *Langensteinii* in annum 1397. incidisse.

Anno 1452. die 14. Januarii Paduae Doctoratus Laurea decorari meruit, & quidem praesente *Friderico III.* Imperatore; nam Aeneas Silvius in *Historia ejusdem Friderici III.* novissimae Editionis Vindobonensis *pag.* 228. Romanum iter describens, ab eodem Augusto eo ipso anno confectum, posteritati mandavit: „ Ad Venetos autem „ mittuntur Comes Virginopolita- „ nus, veteri atque alto sanguine „ natus, & *Joannes Hinderbachius*, „ Secretarius Caesaris, Pontificii „ Juris egregie peritus, ac facun- „ dia nobilis, qui paulo post in „ Schola Patavina Magisterii Gra- „ dum accipiens, id honoris pro- „ meruit, ut insignia Doctoratus „ ex more capessens, praesentem „ Caesarem, universamque Curiam „ se laudantem habuerit. “ Diploma hujusmodi Doctoratus datum fuit ibidem in Basilica Episcopali. Sacris initiatus factus est Parochus in *Medling* prope Viennam in Austria.

Anno 1455. cum esset Canonicus Pataviensis, seu Passaviensis, Canonicatum quoque, una cum Praepositura Ecclesiae Tridentinae, contra conatus *Benedicti Abbatis olim Tridentini Episcopi* obtinuit, quemadmodum colligitur ex Literis *Callixti* Papae tertii datis Romae apud S. Petrum tertio Nonas Octobris praedicti anni 1455. in quibus legitur: „ Cum, ut accepimus, Prae- „ positura praedicta per obitum „ dicti *Stanislai* adhuc, ut praefer- „ tur, vacare noscatur, volentes „ dilecto filio *Joanni Hinderpach* „ Canonico Pataviensi, Decretorum „ Doctori, qui charissimi in Chri- „ sto Filii nostri Friderici Roma- „ rum Imperatoris semper Augusti „ ad nos destinatus Orator extitit, „ cujus apud nos de litterarum „ scientia, vitae & morum hone- „ state, aliisque probitatis, & vir- „ tutum meritis multiplicia testi- „ monia perhibentur, horum in- „ tuitu gratiam facere specialem &c., „ Canonicatum dictae Ecclesiae Tri- „ dentinae, per cujus Canonicos „ duntaxat eadem Praepositura con- „ suevit cum plenitudine Juris Ca- „ nonici possideri, Apostolica ipsi „ Joanni auctoritate conferimus &c.“ Quarum Apostolicarum Literarum exsecutor constitutus est *Aeneas Silvius* Episcopus Senensis, uti patet ex ipsius Literis Romae datis sub an. 1456. Indict. 4. die vero

Ve-

Veneris 9. Mensis Januarii hora tertiarum.

Eodem an. 1456. tamquam Canonicus, & Praepositus Ecclesiae Tridentinae, nec non Canonicus Pataviensis & Ratisponensis, resignavit Beneficium S Martini in Ecclesia S. Stephani Viennae in manibus Pataviensis Episcopi, in favorem *Heynrici Friburg de Treyse* Moguntinae Dioecesis Clerici. An. 1459. nactus est Privilegium Nobilitatis; eodemque anno, die 26. Februarii in Civitate Nova Austriae a praefato Imperatore *Friderico* creatus Comes Lateranensis Palatii, ac etiam Sacri Romani Imperii, cum auctoritate instituendi Notarios, legitimandi spurios &c.

Dum autem noster *Hinderbachius* ipsiusmet Caesaris Orator & Legatus Romae resideret, unanimi Canonicorum voto electus fuit Episcopus Tridentinus An. 1465. die penultimo Augusti, a *Paulo II.* Papa (contra molimina *Francisci* Cardinalis Gonzagae, qui faventibus Marchionibus Brandeburgensibus, ex quorum progenie exstiterat ejus mater, ad Tridentinas Infulas adspirabat) obtenta confirmatione an. 1466. die 12. Maji, eodemque anno, die 20. Julii in Ecclesia SS. Apostolorum de Urbe consecratus a *Dominico* Episcopo Brixiensi, Domini Papae in Urbe Vicario, adsistentibus *Joanne* Acconensis, & *Athanasio* Geracensis Ecclesiarum Episcopis. Dein Roma discedens, Tridentum ingressus est, perhonorifice a Clero & Populo susceptus, eodem anno 1466. in Festo S. Matthaei Apostoli; quo etiam anno a *Friderico* Imperatore Regalium Investituram accepit.

Item eo ipsomet anno 1466. *Brachium S. Vigilii antea in modum quadrupedis per transversum, super basi argentea pro ut nunc stat* (ita coaeva manus) *in directum sursum erexit, ac more Romanae Ecclesiae, & aliarum Ecclesiarum, ubi similia Brachia Sanctorum habentur, in melius reformavit.*

Anno 1468. die 30. Julii Trid. *investivit Antonium de Terlago LL. Doctorem, tanquam Tutorem Aliprandi, Vigilii, Georgii, & Federici de Nano & Madrutio, una cum D. Bellina de Arzo eorum Matre & Contutrice,* (in aliis Chartis vocatur *Uxor q. D. Joannis de Castro Nani*) *de Decimis in Cavedino, in Rallo, in Cogulo, & specialiter de Feudis & Vasallis, quae tenebat q. Ser Sandrius de Rallo in Villa Coguli, & S. Zenonis: item de variis Feudis & Decimis in Pertinentiis Tueni, quae Antecessores tenuerunt ab Ecclesia Trid.* Anno 1469. die 13. Febr. Regalium largitionem iterum accepit a laudato *Friderico* Imperatore, per Diploma datum Venetiis: cujus publicationi inter ceteros interfuisse constat *Antonium Concordiensem, Sigismundum Labacensem,* & *Joannem Laventinum Episcopos.* In eo *Hinderbachius* vocatur non tantum *Princeps*, sed etiam ejusdem Caesaris *Consiliarius.* Eodem an. 1469. in Adsumptionis Vigilia Graecii datae sunt ad ipsum Literae memorati *Friderici,*

ci, quibus eumdem delegavit suum Oratorem coram Romano Pontifice contra Turcas, & Haereticos Bohemiae. Anno 1472. egit quod refert Charta Notarii manu scripta, & ab eodem Praesule postillata, sequentis tenoris:

„ Anno Domini 1472. die Mercurii 26. mensis Augusti Reverendissimus Dominus D. *Johannes* D. & A. S. gratia Episcopus & Dominus Trid. in *Ecclesia Sancti Sysinii* videre cupiens Reliquias Sanctorum Corporum *Sysinii*, *Martyrii*, & *Alexandri*, aperire fecit loculum dictarum Reliquiarum, & inter cyneres inventa fuit quedam Capsella argentea, in qua recondita fuerunt quedam Ossa prefatorum Sanctorum Martirum, quam reponi fecit in Cancello Corporis Christi, & viceversa loculum claudi donec in presentia Prelatorum, ac aliarum Personarum Ecclesiasticarum reverenter easdem Reliquias levare poterit. Presentibus honorabilibus viris & Dominis *Raphaele* Plebano in Sancto Laurentio, *Conrado* Plebano in Tayo Vallis Annanie, Presb. *Christophoro* Plebano in Coredo, ... Plebano Smarani, *Johanne Wiser* Plebano in Tyono, *Vigilio* de *Fundo*, *Johanne Verber* Clerico Argentinensi, ac Nobilibus *Mathia Holcz*, *Hilprando* de *Arzo*, ... *Cbuen*, *Antonio* de *Nano* Massario, & . . . . . *Cuntzini* de *Casezio*, & aliis quam pluribus.

„ Wilhelmus Rottaler Notarius. “

Ipso anno 1472. hanc *Antonio Schretenperger* Feudorum Castrobarcensium Investituram dedit:

„ *Johannes Dei gratia Episcopus Trid.* Notum facimus tenore presentium quibus expedit universis, quod coram Nobis constitutus *Nob. Fidelis noster dilectus Antonius de Lizana Vallis Lagarine* nostre Diocesis pro se ipso & *Fratre suo Jacobo*, cujus curam gerit, ex eo quod mente captus existit, exponendo Nobis qualiter *Antonius Schretenperger* ejus Gener, sibi ac Uxori ac Fratribus suis multas amicitias & bona exhibuisset, & in dies incessanter sibi & Uxori & dicto Fratri suo adhuc exhiberet, propter quod merito esset sibi obligatus; unde omnia Bona Feudalia infrascripta, que ipsi *Antonius* & Fratres sui ac eorum Progenitores ab Ecclesia & Predecessoribus nostris Episcopis Trid. tenuerunt, possederunt & se habere recognoverunt in Feudum, prout ex eorum Literis desuper confectis & coram Nobis productis apparuit: quamquam hujusmodi Feuda seu majorem partem eorundem inpresentiarum non possideant, sed eis per vim & potentiam (*in marg.* Venetorum) destituti sint: ad manus nostras in favorem dicti *Antonii Schretenperger* resignavit atque refutavit: supplicans humiliter & devote, quatenus eundem *Antonium Schretenperger* de dictis Feudis om-

„ nibus

„ nibus gratiose investire dignaremur. Nos vero attendentes fidelia & „ multiplicia servicia, que idem *Antonius Schretenperger* & sui Predecessores Nobis & Antecessoribus nostris & Ecclesie nostre Trid. promptissime exhibere studuerunt, Nobisque actu impendit & Successoribus nostris ac Ecclesie nostre in antea impendere ac exhibere poterit „ & tenebitur; supplicationibus dicti *Antonii* favorabiliter annuentes, resignationem & refutationem hujusmodi in manibus nostris ut premittitur sponte factas, recepimus & admisimus, eundem *Antonium Schretenperger* coram Nobis flexis genibus constitutum humiliter & devote „ petentem & recipientem pro se & heredibus suis masculis dumtaxat „ ex eo descendentibus, de dictis Feudis ut premittitur cum omnibus „ eorum Juribus, Honoribus & Pertinentiis gratiose investivimus, ac „ per presentes investimus, ad recuperandum, habendum, tenendum & „ possidendum hujusmodi Bona Feudalia, prout antiquitus supradictus „ *Antonius de Lizana* & sui Progenitores a Predecessoribus nostris & „ Ecclesia Trid. rite & legitime de eisdem fuerunt investiti. Salvo tamen jure nostro & Ecclesie nostre ac omnium aliorum. Ex adverso „ vero dictus *Antonius Schretenperger* promisit solenniter & juravit tactis „ sacrosanctis Scripturis Evangelicis, quod ipse amodo Nobis & Ecclesie nostre Trid. & nostris Successoribus canonice intraturis fidelis erit „ Vasallus; nosque & Ecclesiam nostram Trid. in Persona, Juribus, „ Honore & Rebus, totis viribus conservare & manutenere juvabit, & „ generaliter omnia & singula procurabit & fideliter faciet & observabit, que quilibet fidelis Vasallus Domino Feudi tenetur & debet, omni „ dolo & fraude semotis. Et sunt hec Bona Feudalia. Primo de *Castro Lizane*, sive Dosso ejusdem & circumferenciis ac confinibus suis & „ Jurisdictione & pertinentiis suis Villarum *Ville Plebis*, *Ponti*, *Serbati*, „ *Albarè*, *e le Porte*, *Lizanelle & Marchi*, cum Decimis ipsarum Villarum „ & Pertinentiarum panis, vini, leguminum & aliorum nascentium in illis „ locis, secundum quod ipsius *Antonii de Lizana* Predecessores antiquitus „ tenuerunt, collegerunt & possederunt: ac de jure decimationum, aquarum, pascuorum *Valarse* & *Trambelini* tam in monte quam in plano; „ specialiter *Montis Bazole*, in quo sunt quinque Poste pertinentes ipsi „ *Castro Lizane*, quarum prima dicitur *la Posta de le Laste*, secunda *la* „ *Posta de la Posa*, tertia dicitur *la Posta de Cosmagnon*, que tres habent „ pascua in Pertinentiis *Castri Lizane*, quarta nominatur *la Posta de Besebi*, quinta nominatur *la Posta de Batzul*, que due Poste habent suos „ confines & pascua Vallis Vicentine super *Villas Posen & Vallem de Lavor*, & supra saxa dictarum Villarum. Et confines Castellantie dictarum Villarum suprascriptarum sunt hec: videlicet ab aqua, que exit

„ de

„ de *Terregnolo*, dividente inter ipsum & *Nob. potentem Virum D. Marcabrunum de Castro Biseni Castribarchi*, incipiendo ad *Masum de Yslachi de Terregnolo*, spectantem ipsi *Antonio*, usque ad medietatem aque *de Terregnolo*, & usque supra *la viam Barthan* super saxa & locum vocatum *el Col de Mustell*, & *el Col de Santa*, cum omnibus Pascuis & Buschis ac Nemoribus in dictis locis, & versus *Vallem de Lavor* intra *Petram Fabella*, cum *Mansu de Bazacinechio*, sunt confines. Et versus *Vallem de Lavor* est quidam Mons vocatus *Buffalon* cum una silva vocata *Campo Grosso*; & viam que tendit versus Vallem *de Arcaor* secundum quod pendet ipse Mons *Buffalon* versus *Valarsam*: ipsi Montes sunt Diocesis Trid. & spectant Jurisdictioni *Castri Lizane*, & post Montem suprascriptum *Buffalon* est alius Mons vocatus *Mons S. Katerine*, & *Mons de la Muscha*, qui Montes habent suos confines versus *Vincentiam*, secundum eorum descensum a summitatibus suis versus *Valarsam*, & sunt Episcopatus Trid. & Jurisdictionis *Castri Lizane*. Item prope dictum Montem *Sancte Katherine* est alius Mons vocatus *Campo Bruno*, & Mons *de la Rotunda*, & eundo per apices Montium usque ad Montem vocatum *el Coni de la Cima* in confinibus & Castellantia & Dominio olim *Azonis de Dosso Majori de Castrobarcho*, & ipse Mons *Coni de la Cima* usque supra Saxa supra *Sanctam Margaretham*, & supra *Seravalum* descendendo in Pratum dictum *Demyn* usque ad medietatem Aque *Legni* discurrentem de prope Burgum *Roveredi*, & prope Villam *Sachi* in Flumine *Athesis*, & postea ascendendo per aquam *Legni* usque ad pontem lapideum *de Roveredo* supra dictam aquam usque ad *Sanctum Columbanum*, & de *Sancto Columbano* eundo per pontem aque *Terregnoli* usque ad Mansum *de Yslachi*: intelligendo semper medietatem aquarum ipsi *Antonio* spectare & pertinere in confinibus alias cum *D. Aldrigeto patruo ejus*. Item de mero & mixto Imperio unius *Mansus de Volasio* (nunc *Folasio*) *ultra Athesim intra Villam de Iseria & Castrum Cornum, Lenzimam & Revianam Dominum Castri Novi de Castrobarcho*: excepto dicto Manso, qui alias in divisione per DD. de Castrobarcho venit in partem cum Jurisdictione ut supra *Dominis de Castrobarcho Lizane* Predecessoribus ipsius *D. Antonii*, ut hactenus a divisione citra per *Dominos de Castro Lizane Castrobarchi* possessus est. Item de una Decima panis, vini, leguminum & aliorum nascentium in una Regula supra Burgum *Roveredi*, que vocatur *la Regula de i Vignali fora Roverè*, cujus tales sunt confines, incipiendo confines de *Norejo* vocatur *la Regula de la Saltaria*, que vadit vel qua itur de *Roveredo* in *Norejum*, & usque ad *Prederam de fora Pego*, & usque ad viam *Sancti Laurentii*, & *Volani*. Item de omnibus Decimis Domo-

„ rum

„ rum & Sediminum Villarum & Mansuum omnium *Valarsæ* & *Trambeleni*, *Porte*, *Ponti*, *Plebis*, *Lizanelle* & *Marchi*, de pullis, vitulis,
„ agnis, capris, hedis & aliis animalibus quibuscumque, que nascuntur &
„ crescunt in dictis locis, prout, & secundum quod ipsius *Antonii* Pre-
„ decessores antiquitus tenuerunt, exegerunt & levaverunt secundum eo-
„ rum consuetudinem. Item de una Muta seu Theloneo, videlicet me-
„ dietate pro indiviso cum prefato *D. Aldrigeto ejus patruo*, de bonis &
„ mercanciis omnibus transitum facientibus ultra *Roveredum* sive per ter-
„ ram sive per aquam sive circa *Roveredum*, que exigitur & levatur ibi-
„ dem; & de Muta, que levatur in *Marcho* per *DD. de Castrobarcho Lizane*
„ Dominos & Jusdicentes ibidem: & tam in *Roveredo*, & *Sacho*, quam
„ in *Marcho* de omnibus rebus, mercanciis & bonis transitum facienti-
„ bus, ascendendo vel descendendo per *Vallem Lagarinam*. Item de Ju-
„ risdictione Civili & Criminali ac Dominio meri & mixti Imperii *Ca-
„ strorum Albani* & *Nomesini* dicte Vallis Lagarine, que fuerunt *q. Nob.
„ Viri D. Ottonis de Castrobarcho Albani*, & ipsius *D. Ottonis* Heredum,
„ incipiendo supra Montem *Bolen* usque ad quandam aquam nominatam
„ *Ronzon* in Montanea de *Garduno*; & dividentem inter Jurisdictionem *Al-
„ bani* & Jurisdictionem *Castri de Gresta*, & discurrentem per ipsam Val-
„ lem subtus Villam Vallis Montanee *Garduni*, & intrat aquam Monta-
„ nee *Garduni* discurrentem de Montanea predicta in planiciem usque
„ ad Villam *da Loplo* prope *Lacum S. Andree*, & postmodum in dicta planicie
„ intrat aquam de *Camarasio*, & aqua de *Camarasio* discurrens per medium Vallis
„ de *Murio* & *Tierno* intrat *Athesim*: que aque sic discurrentes de Montanea
„ *Garduni* cum intrant *Camarasium* ad planiciem perdunt nomen & vocan-
„ tur *Camarasium*, & est totus ille circuitus aquarum illarum, & aqua
„ *Camarasii* Jurisdictionis *Albani* cum Rozalibus, Aqueductibus & Edi-
„ ficiis suis, & habet versus *Castrum Dossi Majoris* confines cum *Nobi-
„ libus Dominis Fancisco & Jacobo de Castrobarcho*; & a parte de supra
„ incipiendo ad dictum Montem *de Bolen* habet suos confines cum *Domi-
„ nis Castrobarchi Castrinovi* usque ad *Cingulum* alias *Saxum de la Gustell*:
„ & de dicto *Cingulo* sive *Saxo de la Gustell* usque ad *Lastam Forane-
„ gam*: & ibi sunt Cruces in Lastis sculpte pro terminis divisionum
„ Jurisdictionum: & *de la Lasta Foranega* usque ad *Gurgum*, quod voca-
„ tur *le Unde de Romazo* in Flumine *Athesis*, & veniendo per dimidium
„ Fluminis *Athesis* usque ad aquam *Camarasii*, que intrat *Athesim*, est
„ Jurisdictionis & Dominii *Castrorum Albani & Nomesini*. Item de Ju-
„ risdictione, mero & mixto Imperio Territorii infrascripti: videlicet a
„ *Covalo* in fine pratorum de *Aldeno*, & de dicto *Covalo* ascendendo per
„ Flumen *Athesis*, qui *Athesis* dividitur inter ipsum & *D. Marchabrunum*

„ su-

„ suprascriptum *de Biseno* ad prata *de Aldeno* directe de *Athesi* respiciendo in Pontem nominatum *Pontem Planthander*, per quem transitur per „ dicta prata *Aldeni*: & a dicto Ponte supra per dicta prata usque ad „ Saxa *de Predabot* usque subtus Saxa *del Prostal*, cum *Dominis de Gresta*: „ & de Saxo *del Prostal* usque subtus *Clusam de S. Georgio*, eundo per medium Montem supra dictum *Covalum*, est de pertinentia Jurisdictionis „ & Territorio *Albani* & *Nomesini*. Item de Decimis & Decimationibus „ Villarum *Tierni* & *Besagni*, panis, vini & aliorum nascentium in Villis „ suprascriptis, ac pullorum & omnium fetuum usque ad loca nominata „ *Bolen*, *Cameza*, *Armella*, secundum quod alias consuete sunt dari antiqua consuetudine. Item de Decimis Ville *Cormani* panis, vini, leguminum & aliorum crescentium in dicto loco, ac omnium nutrimorum. Item de Decimis Villarum *Castioni* & *Sani* panis, vini, leguminum & nutrimorum, que ibi crescunt. Item de Decimis Villarum „ *Pomeroli* & *Ville* subtus *Castrum Novum*, secundum eorum antiquam consuetudinem. Item de Decimis eorum Mansuum in Villis de *Pomerolo* „ & de *Clusulis*, *Numii* & *Aldeni*, & de Jurisdictione eorum, que habent „ dicta *Castra Albani* & *Nomesini* in Mansis suis in dictis Villis: & de „ affictibus in dictis locis: & de affictibus in *Cimono* & *Garniga nova* & „ *veteri*, secundum eorum consuetudines. Item de Decimis Ville *Savignani* & *Censuini*, Mansuum & affictuum & postarum Molendinorum „ supra Villam *Pionti*. Item de Muta de *Ravazono*, quae exigitur ibidem cum Muta Ripatici, de qua exiguntur solidi quinque pro qualibet „ *Soma* illac faciendo transitum, secundum eorum antiquam consuetudinem. Et generaliter de omnibus suis Feudis, rectis & antiquis, que „ alias fuerunt recognita & tenta per Predecessores dicti *Antonii de Lizana*. In quorum omnium & singulorum fidem & testimonium presentes Literas fieri, nostrique Sigilli appensione jussimus communiri.

„ Datum Tridenti in Castro nostro Boniconsilii die 24. Decembris „ Anno Domini 1472. "

Anno 1473. scripsit Epistolam sequentem, qua Poenitentialium Canonum disciplinam suo tempore adhuc vigentem, suumque pro ejusdem observantia zelum prodit:

„ Jo-

„ Johannes Dei Gratia Episcopus Tridentinus. Devoto nobis in „ Christo dilecto.. Plebano in Vigo, aut ejus Vicario, salutem in Do- „ mino. Nuper ex Urbe rediens Marinus Antonii de Castelleto Ple- „ bisanus tuus, nobis literas cujusdam Penitentiarii in Urbe Romana „ de ipsius absolutione ab reatu homicidii, seu potius uxoricidii com- „ missi in personam Benevenute ejus uxoris reportavit. Qui tamen se- „ cundum stilum Romane Curie pro tam gravi delicto & penitentia pu- „ blica hic in loco delicti commissi peragenda merito ad nos fuisset re- „ mittendus, que pro hujusmodi gravi delicto juxta *Statuta Sanctorum* „ *Patrum* eidem venit imponenda. Volumus itaque ac mandamus, ut „ pro emendacione publica tanti excessus, absolutione premissa in Ro- „ mana Curia obtenta non obstante, in loco, seu Plebe dicti commissi „ penitentiam infrascriptam, quam secundum Deum, & conscienciam „ credimus eidem fore salutarem, faciat & peragat. Eidemque Marino „ injungimus, ut tribus proximis Dominicis diebus immediate se se- „ quentibus nudus supra cincturam, ac discalciatus pedibus, coopertus „ verendis, ante fores Ecclesie & inicium Misse expectet, pretereuntes- „ que roget, atque invitet, ut Deum pro peccatis suis, ac anima de- „ functe intercedant, & sic post Crucem in Processione circum circa Ec- „ clesiam fienda incedat, corrigiam in collo, & virgas in brachiis in „ signum penitencie ac contricionis humiliter deferens: quem & tu simi- „ libus virgis & flagellis insequendo in signum emende ac correctionis „ inter scapulas tangas & disciplines: & tunc demum ante fores Eccle- „ sie constitutum cum psalmo *Miserere mei Deus*, Antiphona & Collecta „ pro peccatis super Penitentibus dici solitis, in Ecclesiam more solem- „ pniter penitencium inducas, ingressu Ecclesie eidem restituto. Ubi „ indutus Camisea, aut Veste simplici ante majus Altare post tergum „ Sacerdotis Missam publicam celebrantis genuflectat cum candela trium „ librarum accensa in manibus, & funeralibus de more una cum aliis „ quatuor candelis juxta positis atque preparatis in memoriam defuncte „ ubi eciam in Missa ac ea finita circumstantibus ipsius defuncte paren- „ tibus, amicis & cognatis, singuli candelas in manibus habentes, & „ ipsum usque ad sepulchrum defuncte prosequentibus, fiat per Cele- „ brantem, & alios Sacerdotes commemoracio fidelium animarum cum „ psalmo, antiphona, & Collecta pro defunctis, cum planctu, lacrimis, „ & signis penitencie, ac contricionis per ipsum Marinum ibidem palam „ ostendendis, ac jejuniis, oracionibus, & elemosinis in pauperes eadem „ die distribuendis eidem in urbe Romana per penitenciam (*forte* per Pe- „ nitenciarium) injunctis, & hactenus non peractis per eundem peragen- „ dis. Idemque fiat in Anniversario, seu in die sepulture dicte defuncte

 „ per

„ per totum tempus vite sui Marini, pro expiacione tanti criminis, ac requie dicte ejus uxoris, animaque ejusdem cum aliquibus Sacerdotibus pro facultate sua: ac triginta Missis Gregorianis, si nondum illas pro anima ipsius celebrare fecit absque intermissione una tantum vice peragendis: ac deinceps arma nulla deferat, neque conviviis, choreis, aut leticiis publicis intersit, & ad alia vota conjugii absque speciali licentia seu dispensacione Apostolice Sedis, aut nostra, non accedat, secundum quod *Sanctorum Patrum instituta & canones penitenciales* de hiis, qui proprias uxores suas extra casus a Jure permissos occiderint, in se continent, & hujusmodi uxoricidis id expresse interdicunt. Idque Plebisanis tuis in Ambone dicatur & intimetur hujusmodi penitenciam & cerimonias pro expiacione hujusmodi reatus, & suffragio anime defuncte fieri, quamquam hujusmodi penitencia pro emendacione tanti excessus condigna non existat, sed septem annis in pane & aqua deberet penitere, & alia facere, que in Penitencionali Sancti Gregorii, & aliorum Sanctorum Patrum continentur, ut sic ceteri a perpetracione similium deterreantur. Nos quoque de peractione hujusmodi penitencie cum illam fecerit quantocius avises per subscriptionem manus proprie; in eo nostram voluntatem adimplendo. Dat. Tridenti in Castro nostro Boniconsilii die vicesimasexta mensis Januarii Anno Domini MCCCCLXXIII. nostro sub Sigillo. “

Porro hujuscemodi Literas fuisse exsecutioni mandatas, e vestigio testatur *Presbyter Ludovicus in Vigo Vicarius*. Eo quoque fuit zelo *Joannes* noster pro Veste talari, quae scilicet ad talos usque demittitur, a Clericis gerenda, ut vitio, gravi poena luendo, datum fuerit cuidam Presbytero *Paulo de Novaria*, quod *visus fuerit Levici absque Veste Talari, & pluries etiam in civitate absque eadem Veste comparuerit*.

Eodem an. 1473. die 13. Martii aliam Feudorum Castrobarcensium, nominatim *de Castrobarco cum mero & mixto Imperio*, Investituram concessit memorato *Antonio Schretenperg pro se & heredibus suis masculis ex eo, & Antonia filia dicti Antonii de Lizana legitime descendentibus*. Verum cum illa nullis post se relictis filiis an. 1510. die 24. Januarii decessisset, praefata Feuda in Ecclesiam Tridentinam devoluta sunt. Ipsomet an. 1473. Antistes noster gravi fuit infirmitate detentus.

Anno 1478. die 20. Januarii Tridenti adunavit Diaetam, in qua coram Capitulo, Nobilibus, Consulibus & Sapientibus Civitatis Trid. atque aliis Syndicis, & Hominibus suarum Jurisdictionum in non parva multitudine congregatis, egit de recuperandis Castro Coredi, Collectis, & Jurisdictione sua in Vallibus Anauniae, & Solis. Anno

1483

1483. Physico suo *Joanni Mathiae Tiberino* Brixiensi in praeceptis dedit, ut die 4. Octobris in Ecclesia S. Francisci coram se recitaret *Elegiam in ejusdem B. Francisci laudem*, quae 124. versibus concluditur, & incipit:

Inclite Joannes, Praesul, Princepsque Tridenti,
Virtutum splendor, justitiaeque pater.

Anno 1484. die 27. Aprilis Graecii a supra laudato Augusto *Friderico* mandatum obtinuit, quo praecipitur, ut Episcopus Tridentinus Regalibus, Jurisdictionibus, ac Feudalibus perfruatur, nullusque audeat sub poena 20 Librarum auri puri quovis quaesito colore praepedire.

Addit coaevus Catalogus, quod Roma redux ad suam Sedem *secum attulit ex Urbe Imaginem Beate Marie Virginis retractam ab illa, que manibus Sancti Luce Evangeliste depicta esse dicitur, (&) in Sancta Maria de Populo extat reposita. Quam prefatus Pontifex* (Paulus II.) *approbavit & benedixit, ac eam omnibus devote venerantibus concessit centum dies Indulgentiarum. Et eandem Imaginem dedit ipse Episcopus Ecclesie Sancti Vigilii.*

Sub eodem etiam Episcopo repertum est Monumentum cum Cyneribus & Reliquiis Sanctorum Martirum Sysinii, Martirii, & Allexandri die xxv. Mensis Maji MCCCCLXXII. sub Altari Chori veteris Ecclesie eorundem Vallis Annanie: & translate fuerunt ac reposite in Sarchofago novo solempniter in presentia plurimorum Prelatorum: quo (anno) *etiam consecratus fuit Chorus novus ejusdem Ecclesie xv. die Mensis Novembris.*

Ejusdem Inventionis memoriam servat lapis in praefata Ecclesia erectus cum hac Inscriptione:

Anno Dñi MCCCCLXXII.
Die xxv. mensis Madii sub
Altari vetusto hoc in loco
dirupto reperte sunt Reliquie
SS. Martirum Scisinii, Martirii, & Alexandri, & a
Johanne Episcopo Tridentino hac in Archa nova
recondite.

Hactenus dicta de anno, mense, ac die hujusmodi Inventionis roborantur MS. *Epitaphio Inventionis Sanctorum corporum Sisinii, Martirii, & Alexandri*, quod eodem anno 1472. versibus concinnavit *Presbyter Antonius de Revobo*, & Episcopo Joanni obtulit; nec non Calendariis ab ipsomet Episcopo auct.s. Quonam autem pacto *dies* 25. *Madii* conciliari possit cum *die* 26. *Augusti* paulo superius notata, viderint ii, qui ad id edisserendum majori quam nos otio fruuntur.

Pergit autem praedictus Catalogus: *Hujus etiam temporibus MCCCCLXXV.* (*quo anno fuit Jubileus*) *martirizatus fuit Beatus Symon puer Tridentinus a perfidis Judeis in nocte Cene*

Domini (sc. die 23. Mensis Martii) *in Domo Judeorum. Ubi dictus Episcopus in loco* (al. Catal. *in Camera*) *passionis ejusdem Capellam fieri fecit.* (alius Catal. addit *in qua Historiam Passionis Domini nostri, & ejusdem pueri Simonis depingi fecit* 1477.) *Qui Beatus Symon multis ac magnis claruit miraculis: & adbuc continue claret, & a multis devotis quottidie visitatur. De cujus Oblationibus idem Episcopus Ecclesiam Sancti Petri a fundamentis de novo edificavit. Qui magnas etiam coactus fuit facere expensas in Urbe Romana contra Judeos latrantes, suos ultimo supplicio damnatos minime culpabiles fuisse in nece dicti Beati Symonis: & plures corrumpebant pecuniis, & donis ipsorum. Tandem per Commissarios Apostolicos, scilicet sex Cardinales, duos Referendarios Episcopos, & certos Auditores Rote, Processus examinatus, & relatione in Consistorio per eosdem desuper facta, Dominus Papa Sixtus per Literas Apostolicas ac Bullas patentes declaravit Processus rite & legitime fore factos, & illos approbavit.*

Temporalitatem Ecclesie Tridentine, quam Dux Sigismundus pluribus annis tenuit, anno MCCCCLXVIII. e manibus ejus recuperavit: multaque ornamenta ad Divinum Cultum fieri fecit. Pallatium Episcopale in bona parte reformavit; Castrumque Boniconsilii prius intus lignenm ac lateratitium (lateritium) *reparavit, ac marmoreum fecit cum columpnis, fornicibus, ac testudinibus, Fontemque ad Castrum conduxit. Castrum Theni vetustum, & ad ruinam tendens, de novo reformavit. Castrum Coredi, per Antecessorem suum constructum, in multis refecit: & edificia plura in aliis Castris fecit. Domum etiam Episcopalem Bozani, que pluribus annis per Comites Tyrolenses tenebatur, recuperavit, ac pluribus edificiis reformavit, & per incendium generale ibidem ingens combusta de novo reformare inceperat. Cujus tempore Valles Annanie & Solis defecerunt ab Ecclesia Tridentina, factione certorum Bannitorum, & Criminosorum, & qui premebantur ere alieno: quibus Dux Sigismundus ad seductionem ac persuasionem certorum seditiosorum concesserat Salvumconductum: hujusmodi rebellionem procurarunt, & dederunt se Principi Sigismundo, qui tamen redditus omnes ipsi Episcopo cedere permittebat.*

Tandem Anno MCCCCLXXXVI. cum in Estate ex Venetiis, ubi (vel a Junio mense) *Legatus Friderici III. Imperatoris fuerat, Tridentum* (fuisset) *reversus, ex Ecclesia Sancti Vigilii, ubi Divina audierat, rediens, apoplexia tangitur, & in die Sancti Mathei eadem fere hora qua primum ut Episcopus Tridentum post* (ante) *annos viginti intraverat, Spiritum Domino commendavit. Sepultus in Ecclesia Sancti Vigilii prope Altare Sancte Dorothee. Qui dum vixit laudabiliter & bene vixit, & rexit Ecclesiam.*

Hactenus dictis ex praefato Catalogo accedit, sibi comparare curasse diversorum Ordinum Fraternitatem, puta Benedictinorum Tegernseensis Monasterii, Sangeorgianorum

norum Brixinensis Dioec., Praedicatorum Provinciae Teutonicae, Servorum B. M. V. &c., ac etiam Hospitalis S. Spiritus in Saxia de Urbe.

Addendum insuper ab *Hinderbachio* nostro locupletatam fuisse Bibliothecam Episcopalem haud paucis Libris, quos consuevisse diurna, nocturnaque versare manu, facile conjectare licet ex Notis, quas illis inseruit, ac passim adjecit. Ex quibus Notis, Auctariisque deprehenditur fuisse in re Historica, Topographica, Lapidaria, ac Liturgica, pro sui temporis conditione, satis exercitatum.

Vitam *Friderici III.* Imperatoris, resque gestas, jam ab *Aenea Silvio* literis consignatas *Continuatione* est prosequutus. Hujusmodi *Continuatio* hunc habet praefixum titulum: *Divo ac Religioso Principi Domino Federico, divina pietate Romanorum Imperatori & Caesari Augusto, suus humilis servulus Joannes Hinderbach salutem.* Incipit: *Mandasti, clementissime Caesar &c.* Eam typis Vindobonensibus novissime vulgavit inter *Analecta Monumentorum omnis aevi Vindobonensia* To. 2. Vir Cl. Adamus Franciscus Kollarius Augustae Bibliothecae Vindobonensis primus Custos, cujus in eamdem *Continuationem* videri potest Monitum ac Judicium ibi col. 550. ac seqq.

Locupletissima est etiam ab Episcopo nostro facta Collectio Documentorum circa Vindicias Martyrii Beati Innocentis *Simonis*, cui addi poterunt ea, quae laudatus Kollarius *cit. col. 550. not. 4.* se vidisse testatur inquiens: *ostensa mihi nuper sunt ab amicissimo Lambachero nostro in Bibliotheca, cui dignissime praeest, Vindobonensi Civica, complura Monumenta, manu, nisi fallor, coaeva scripta, & quae Martyrio Simonis Tridentini lucem & pondus procurent vel maximum.* Exstat quoque Officium ejusdem *B. Simonis* ab ipso Hinderbachio elaboratum, atque a moderno diversum.

Porro in condendis Processibus contra Judaeos ejusdem Innocentis occisores se se longe aequissimos praebuere duo praeclarissimi Tridentinae Civitatis Praetores *Joannes de Salis de Brixia*, & *Alexander de Magiis de Padua*, qui etiam dicitur *de Bassano*. In eodem autem Martyrio adserendo singularem inter Tridentinos reliquos retulerunt laudem *Georgius Trilaceus* Tridentinus Canonicus, ac postea Decanus, & *Jacobus de Prato*; ille quidem quia Legatione apud summum Pontificem *Sixtum IV.* perfunctus, egregie coram eo B. Innocentis Causam oravit; iste vero quia ejusdem Martyrium vernaculo versu ad vivum descripsit; non minus quam *Thomas Pratus* versu Latino.

Hinderbachium nostrum nedum laudavit Pincius, ceu *Sacrarum Litterarum disciplinis, & doctrina conspicuum*, aliique rerum Tridentinarum Scriptores, sed & meritis ornarunt lau-

laudibus alii sui aevi Scriptores, Ubertinus Pusculus, Joannes Calphurnius, Jo. Mathias Tiberinus, Raphaël Zovenzonius, Jo. Aurelius Tiberinus, Presbyter Vincentius Civis Brixiensis, Silvester Balneoregiensis Ord. Eremit. S. Aug., praefatus Antonius de Revoho, aliique plures, quos retuli in Differt. Apolog. Martyrii B. Simonis edita Trid. 1747. De eo pariter cum laude mentionem facit Leodrisius Cribellus Lib. 2. *de Expedit. in Turcas* col. 78. To. 23. *Rer. Ital. Script.*

Ipsomet *Hinderbachio* curante ad Tridentinum populum Conciones ferventissimas habuere duo Divini Verbi Praecones ex Ordine Minorum Observantium ea tempestate longe celeberrimi, scilicet *B. Bernardinus Tomitanus de Feltria*, qui ut praefert Inscriptio, quae sub ejusdem effigie in Ecclesia S. Bernardini Senensis apud Tridentum adhuc legitur, fuit ibidem Guardianus, ac memorati Innocentis Martyrium praedixit, ferturque ad eliminanda Judaica foenora Tridenti Montem Pietatis instituisse; ad quem etiam exstat Votum Nicolai Comitis Archii Lib. IV. *Numerorum* LXXXVIII.; nec non *Michaël de Mediolano* ejusdem Martyris intrepidus vindex ac praeco, quem itidem *Beatum* vocat Martyrologium Franciscanum, & *famosissimum Praedicatorem*, ac *Patrem optimum* appellat idem Hinderbachius.

Haec Epitaphia ad ejusdem Episcopi Sepulcrum posita leguntur:

Anno Domini
MCCCCLXXXVI. in die
S. Mathei Apostoli obiit
Rev. in Christo Pater Dominus Joannes Hinderbach
Episcopus hic sepultus.

Tum in alio Lapide:

Hoc jacet in tumulo Hinderbachius ille Joannes,
Qui Princeps hujus Presul & Urbis erat.
Cesaris arcanus Consultor, Juris alumnus,
Pace sua leta perdomuit populos.
Oppida restaurans, perpulchris menibus ornat,
Et Divi Templum condidit ipse Petri.
In quo, damnatis Judeis, Simonis ossa
Sancta locat, meritis nunc colit astra bonis.

Ejusdem

Ejusdem *Hinderbachii* memoria ad hanc usque diem servatur in Sacrario Ecclesiae S. Ægidii de Hospitali in Ausugio inferiori, Dioecesis Feltriensis, in Tabula picta, in qua ipse coram Crucifixo in genua provolutus, ac supplex pro Tridentina Civitate ibi adumbrata, exhibetur, cum Epigraphe: *Adoramus te Christe, quia per Crucem tuam redemisti Mundum. Joannes Hinderbach Antistes Tridentinus.* In Castro quoque Thenni, seu Tenni reperitur haec Inscriptio, a P. Rosmino relata in sua MS. Tridentinarum Inscriptionum Collectione:

Tennum. tene. forte. tenendo. tenebere
forte. sic. nomen. invictum. tenebis. cum maxima. laude. Aeclesiaeque. fidem. tenens. per saecula.
cuncta. ut. fecere. tui. Patres. Proavique. Majores.
Johanes. Hynderbach. Antistes. Tridentinus.
hujus. nominis. quartus. hanc. Arcem. in. suis. structuris. aedificiisque. jam. fere. colapsam. pro. sua.
Aeclesiaeque. tutela. &. munimine. a. fundamentis.
renovari. bisque fornicibus. aestuariis.
coquina. caeterisque. officinis. ac. cameris.
instaurari. fecit. ac. in. sui. posterorumque
memoriam. haec. sua. &. Aecclesiae. Insignia
posuit. anno. salutis. M.CCCC.LXXVIII. mense.
Octobri. exeunte. Laus. Deo. &. beato. Vigilio.

Sub praefatis vero Insigniis:

Johanes. Antistes.
Tridentinus. fieri. f.
M. CCCC. LXXVIII.

Hujus etiam aevo adhuc in Tridentina Ecclesia vetus disciplina vigebat, recens baptizatos confirmandi, uti testatur autographum apud Cl. Baronem Leopoldum Pilatum *Originum Juris Pontif.* pag. 162., in quo legere est quaedam Excerpta ex Processu Criminali judiciario adversus Judaeos B. Simonis Innocentis interemptores instructo, nec non plura miracula ejusdem, ac etiam Indulgentias ab *Urbano VIII.* concessas. In eo quippe narratur: „ Natus est gloriosus *Simon* die „ Veneris (*lege* Martis) VI. Kal. „ Novembris, id est in Vigilia „ Apostolorum Simonis & Judae, „ & eadem luce a Presbytero Balthasare Perusino Ecclesiae S. Petri Plebano in eadem baptisma-

„ tis

„ tis unda renatus, atque *expost* „ *Sacri Chrismatis unctione manu Episcopali confirmatus* anno Domini „ 1472., Patre *Andrea* Teutonico, „ Matre vero *Maria* Itala, legitimis conjugibus. " Dixi *lege Martis*, talem quippe feriam indicat litera Dominicalis D., quae anno 1472. currebat. Joannes Mathias Tiberinus auctor Synchronus, quem sequuti sunt plures, imo & nos in supra memorata Dissertatione Apologetica pag. 4., ait quidem natum an. 1472. *die Veneris*, sed *sexto Kalendas Decembris*, id quod minime cohaeret cum his, quae antea dixerat, videlicet eumdem B. Simonem fuisse martyrio adfectum an. 1475. feria sexta in Parasceve *nondum viginti novem menses natum*. In hypothesi enim Tiberiniana nequidem viginti octo aetatis menses explevisset, ut perpendenti facile patet. Sed quae sunt reliqua persequamur.

Tunc praeterea viguit Tridenti Ars Typographica. Nam vidi Poëma Lyricum supra laudati Jo. Mathiae Tiberini de eodem *B. Simone* editum *Tridenti Anno salutis nostrae MCCCCLXXXII. 5. Septembris*. Vidi quoque Poëmata Joannis Calphurnii, ac Raphaëlis Zovenzonii itidem edita *Tridenti* eodem *Anno MCCCCLXXXII. opera Leonardi Trivisani Presbyteri*. Memoratur etiam in *Bibliotheca RivIniana* pag. 201. n. 1948. *Herm. Schindelip Historia completa ad Jo. Hinderbach Antistitem Tridentinum, Jo. Mathiae Tyberini Clarensis Libellus de passione & obitu B. Simonis Innocentis martyris Tridentini, ejusdem in Miracula B. Simonis Libellus, TRIDENTI* 1476. 4. Quin imo extra quoque hanc rem ab Apostolo Zeno To. 1. Biblioth. c. 359. pag. 358. refertur *Comoedia*, ad cujus impressionem in fine legitur: *IN TRENTO post tenebras spero lucem MCCCCLXXXII. die XXVIII. Martii*. Hujusmodi Editiones ignorasse videntur Beughen, Maittaire, & Orlandus, qui tamen diligenter collegerunt Libros impressos a prima Typorum origine usque ad an. 1500. Hinc lego in margine To. 1. Annal. Typograph. praedicti Michaëlis Maittaire edit. 1719. a Cl. Gentilotto adjunctum: „ Matthiae „ Tiberini Clarensis Liberalium Artium & Medicinae Doctoris Historia completa de passione & „ obitu beati pueri Simonis innocentis martyris Tridentini. Tridenti impressa ad laudem D. N. J. C. „ totiusque coelestis Curiae triumphantis, ad Judeorum rabien „ declarandam. Divo Johanne Hinderbach Antistite & Domino Tridentino feliciter imperante Pontificatus sui anno decimo. Natalis vero incarnati Verbi 1476. „ quinto Idus Februarii Hermanno „ Schindeleyp auctore. 4. "

In praefato Codice *Zappatorum* deprehendi Monumenta ab an. 1468. usque ad 1486., in quibus frequens valde occurrit mentio *Solidorum denariorum Tridentinorum*. Alibi reperi Chartam cujusdam venditio-

ditionis, scriptam an. 1478., in qua memorantur *Ducati & Librae Trident. ad computum, & in ratione Grossorum sexaginta pro quolibet Ducato*.

Circa idem tempus fuit *Capitaneus Tridenti Jacobus de Sporo* egregius Vindex Causae Beati Simonis contra Hebraeos; *Rolandus* pariter *de Sporo Capitaneus in Vallibus Ananiae & Solis*. Celebris quoque exstitit *Leo de Sporo*, ex Brixinensi primus Viennensis Episcopus a *Friderico* Imperatore nominatus. Error enim est in *Elencho & Chronotaxi omnium Episcoporum Viennensium* edit. 1706., ubi *Leo de Spira* nuncupatur; sicut & error est, dum inibi adseritur: *Urbanus Bononius Episc. Trident. Episcopus septimus Viennae acclamatur*. Unde loco *Leonis de Spira* legendum, auctore etiam Beyerlinckio, *Leo de Spaur*, sive *de Sporo*; & loco *Urbani Bonomii Episc. Trident.* substituendus *Petrus Bononius Episc. Tergestinus*.

Notatu insuper dignum arbitror, *Nobiles Viros Andream & Hodoricum Comites Arci* anno 1483. obtinuisse a *Sixto IV.* Bullam pro perficiendo Coenobio S. Mariae Gratiarum apud Arcum, quod olim *q. Franciscus Comes Arci* eorum Genitor inchoaverat *ob uberes fructus, qui in Praedicatione Verbi Dei, Confessionibus, atque aliis salutaribus Documentis, ac vita exemplari Fratrum Ordinis Minorum de Observantia nuncupatorum, in singulis Terris, & Locis, in quibus commorantur, evenire solent &c.*

Denique & illud adjicere placet, quod sub laudato Praesule Hinderbachio Tridentina Civitas morte *Antonii de Fatis de Trilacu* amiserit *patrem patriae*, uti praefert ejus sepulcralis Inscriptio in Ecclesia Sancti Bernardini Fratrum Minorum strictioris Observantiae apud Tridentum adhuc prostans, una cum lapidea Arca, & anaglyptica effigie; ait enim:

Est Fatus Trilaceus hoc repostus ille Antonius optimus
Sepulchro, fidus Caesarei sacrique Juris Interpres, Pater Patriae vocatus.
Pientiss. Filii posuere
MCCCCLXXVII.

XCII. UDALRICUS III.

Ante *Udalricum* hunc ab Eningio apud Tridentinum Anonymum refertur nescio quis *Vilibrius Frundeberg*, de quo Anonymus ipse fidem relinquit penes Auctorem, mihique prorsus commentitius videtur. Fuit itaque noster hic *Udalricus* de *Frumsperg*, seu *Frundsperg*, Nobilis Augustanus, nec non (auctore Viro Illustri Eugenio Comite Chieppio ex Arci Comitibus in suis MSS. Adnotationibus marginalibus ad Ambrosii Franci Codicem Diplomaticum) *Udalrici Baronis a Fronsperg, & Barbarae Eberardi Baronis a Rechberg & haeredis Mindelheimensis filiae filius, Georgiique a Fronsperg Caroli V. Caesaris herois famae incliti germanus frater*.

Cum esset Ecclesiarum Brixinensis, Frisingensis, atque Augustanae Canonicus, ad Tridentinam Sedem ab universo Capitulo vocatus an. 1486.

1486. die 30. Septembris, non nisi sequenti anno 1487. die 22. Martii a *Sigismundo* Austriae Duce, ac Tirolis Comite, cui erat a consiliis, restitutionem administrationis temporalis obtinuit, uti patet ex literis datis Hallae Vallis Oeni die Jovis post Domicam *Oculi* praedicti anni 1487.

Habuit tamen idem *Electus* sibi obnitentem *Fridericum III.* Imperatorem, utpote qui, jure sibi ab *Eugenio IV.* pridie Nonas Febr. 1445. concesso, & a *Pio II.* anno 1459. decimo Cal. Martias confirmato, nominandi, quoadusque vixisset, ac praesentandi Episcopos *in Ecclesiis Tridentina, Brixinensi, Kurcensi, Tergestina, Curiensi, & Petinensi* (uti constat ex ipsis Eugenianis, ac Pianis Literis, *Udalrici* Kurcensis, seu Gurcensis Episcopi, & Salisburgensis Ecclesiae Vicarii Generalis auctoritate, sigilloque pendenti recognitis, ac roboratis) *Georgium de Wolckenstein*, ad Episcopatum Tridentinum nominaverat; sed *Udalricus* noster se se sistens coram Sede Apostolica, caussaque ipsi adjudicata, ac ab *Innocentio* Papa VIII. an. 1488. die 11. Julii confirmatus, consecratusque, Tridentum remigravit, eo ipso anno die 7. Augusti ingressus.

Eodem an. 1488. accepit *Maximiliani* Romanorum Regis Literas Antuerpiae die 10. Mensis Sept. datas, quibus idem Augustus ei impense commendavit *Georgium de Petra Plana* cum omnibus suis, ceu *dilectum Imperii Fidelem & Capitaneum*, ac eo potissimum nomine, quod ipsi *perquam acceptum & utile in liberatione personae suae servitium praestiterit, & in bello adversus Flandros & Gallos in poenam foedifragorum de Pruck, Gannt, & eis Alleatorum, terra marique cum praesenti vitae discrimine strenue saepius & audacter ita se gesserit, ut prae omnibus eminuerit &c.* Anno 1489. diebus 17. ac 18. Martii Tridenti in Ecclesia Cathedrali Dioecesanam Synodum celebravit, cujus Constitutiones legi: die autem 21. Junii ejusdem anni 1489. in ipsamet urbe Tridentina fuit a *Friderico III.* Imperatore, dicti *Maximiliani* Regis patre, Regalibus sublimatus.

Anno 1490. die 8. Decembris scripsit Epistolam datam Tridenti in Arce Boni Consilii ad *Julianum* Cardinalem Ostiensem, in qua *Boburslaum Hasisteinium*, vel *Hassensteinium a Lobkovitz* deputatum Episcopum Olomucensem impense commendat. Exstat quoque Epistol. ejusdem *Bobuslai* ad ipsum: in quibus quidem Epistolis *Udalricus* noster *Archiepiscopus* inscribitur. Sed ejuscemodi inscriptiones heic nihil moramur.

Anno 1491. pro se absente Administratores constituit *Udalricum de Liechtenstein Canonicum*, & *Leopoldum de Trautmansdorf Capitaneum Tridenti*. Eodem anno plures ad eum datae sunt Literae, nempe & a *Melchiore* Episcopo Brixinensi die 4. Martii Oeniponti, quibus ipsi commen-

mendat *Georgium de Neydegk* pro Canonicatu Tridentino: & a *Maximiliano* Romanorum Rege die Lunae post Dominicam *Reminiscere* Augustae, quibus significat, controversiam Canonicatus ipsiusmet *Georgii Neydegkii* eo pacto fuisse compositam, ut idem Canonicatus ipsi adjudicatus maneret; pro ejus autem Competitore locus esset in prima Canonicatus vacatione: & a *Martino Neydegkio*, Patre *Georgii*, die Veneris post Dom. *Reminiscere* Oeniponti, quibus nostrum Praesulem certiorem reddit de eadem controversia in sui Filii favorem jam dirempta ope Doctoris *Rueprechti* apud S. Sedem Oratoris, ita ut ille a pacifica Canonicatus possessione minime deturbaretur; ejus autem Adversarius primo vacaturum obtineat. Sunt tamen aliae Literae praefati *Maximiliani* Regis ad nostrum Antistitem datae an. 1492. die Jovis post *S. Pauli Conversionem* Oeniponti, queis insinuat, se non ita pridem a *Georgio de Neydegk Rectore Bononiae* intellexisse, quod ejus Adversarius *Huntbemier* jam tertiam Sententiam circa Canonicatum Tridentinum in sui favorem Romae nactus, Papales Literas ad Episcopum & Capitulum sit expediturus; petitque ut dicto *Huntbemier* non concedatur possessio, cum *Georgium Neydegkium* manutenere firmiter velit.

Pergit vero coaevus Catalogus reliqua *Udalrici* gesta referre, inquiens: *Quamvis laudabiliter vixerit, Ecclesiamque suam rexerit, propter tamen maximas expensas in Urbe, & alibi factas, coactus fuit impignorare certos reditus Mense Episcopalis in Trameno quadragintaquinque plaustra Vini annui pro* 8100. *Florenis Renensibus. Qui etiam Episcopus multas perturbationes ac molestias perpessus fuit a Rmo Cardinale Ursino; qui Sede Tridentina vacante impetraverat sibi a Sede Apostolica super fructibus ejusdem Ecclesie, ignorante ipso Episcopo, reservari annuam pensionem quingentorum Ducatorum. Eam autem Episcopus nunquam persolvit; immo cum Litteris Apostolicis, Processibus & Censuris requisitus appellavit, (&) ignorantiam, impossibilitatem, ac gravamina allegavit, favoribusque Imperatoris Friderici, Regis Maximiliani, Archiducis Sigismundi Austrie, ac Provinciarum, ne Ecclesia, ante libera, tributaria fieret, Pontificis mandatis restitit.*

Idem Episcopus ab Archiduce Austrie Sigismundo restitutionem Jurisdictionum Vallium Annanie & Solis, que tempore Johannis Episcopi immediati precessoris ab Ecclesia defecerant, obtinuit. Item obtinuit medietatem Minerarum Decimarum, que omnes per Archiducem detinebantur, licet immerito. Statuta Civitatis Tridentine partim emendavit, & aliqua de novo statuit &c.

Bibliotecam in Castro Boni Consilii extruxit & ornavit. Pontem lapideum sumptuosum super Flumen Avisii construxit 1492., *quamvis per maximam inundationem aquarum infra annum diruptus fuerit. Domum Episcopalem*

X 2 *quasi*

quasi vetustate ruentem in Valle Flammarum (in alio Catalogo *Flemmarum*) *reformavit*. *In qua Domo in Canicularibus morbo regio correptus defecit* 1493. *decima mensis Augusti: in Cripta Sanctae Maxentiae sepultus. Rexit Ecclesiam post confirmationem annis sex.* Hoc ad ejus Sepulcrum est positum Epitaphium:

Anno Domini
MCCCCLXXXXIII. Die decima mensis Augusti obiit Reverendissimus in Christo Pater & Dñs Dñs Udalricus de Frundsperg Episcopus Tridentinus. Cujus anima requiescat in pace.

Ad latus autem Sepulcri insculptum est lapidi hoc Distichon:

Hac tibi qui transis non sit grave dicere Lector
Presulis Ulrici molliter ossa cubent.

Sed Innocentius a Prato sequens Epitaphium refert ad ejus Sepulcrum positum, quod nunc ex Lapide in praedicta Crypta existente non absque difficultate legi potest:

Hic est ille
Udalricus de Frumsperg
non tam nobilitate generis, quam rebus gestis, & magnitudine animi insignis, qui cum magnis difficultatibus identidem premeretur, nihilominus dignitatem suam, & jura Episcopatus constantissime retinuit, singularique pietate sibi commissam Ecclesiam non modo defendit, verum etiam auxit, & ornavit.
Obiit anno Domini
MCCCCXCIII. decima
Augusti.

Ejusdem *Udalrici* temporibus Tridentinarum Monetarum cursum obtinuisse manifestum fit ex cit. Cod. Zappatorum Chartis an. 1489. & 1490. in quibus *Solidi Denariorum Trident.* memorantur. Alibi quoque, scilicet in Charta an. 1492. reperi mentionem *Librarum* 100. *denariorum parvulorum Tridentinorum*.

Narrat Marianus in suo *Trento* pag. 556. contra potentes quosdam factiosos ac rebelles fidem suam laudato Principi nostro *Udalrico* testatam fecisse Randenenses, nominatim vero *Marcum Bertellium*, hinc an. 1490. privilegio decoratum. Sub eodem Praesule grave bellum exarsit occasione limitum Arcenses inter ac Ripenses (hos tunc Venetae ditioni subjectos) ventumque ad arma inter Rempublicam Venetam, Principatumque Tridentinum, stantibus pro illa strenuissimis Belliducibus *Roberto Sanseverinate*, *Francisco de Tolentino* (quem alii vocant *Bernardinum*) & *Guidone Rubeo*: pro hoc autem *Friderico*

Kam-

Campellero, ac *Georgio de Petra Plana*. Sed Veneti haud semel adverso marte pugnantes, victori Tridentinorum Exercitui post varios conflictus demum terga verterunt, vel ipsum *Robertum*, atque *Franciscum* inauspicato amittentes. Id quod accidit prope Callianum, Castrumque Petrae an. 1487. die 10. Augusti. Cadaveri *Roberti* in Cathedrali Tridentina Ecclesia sepulto erectum adhuc exstat lapideum simulacrum cum hac Inscriptione:

MCCCCLXXXVII.

Italiae victor Severina Stirpe Robertus
Sigmundum Australem sensit in arma Ducem.
Ter Proceres Veneti bello petiere Tridentum
Ter victi hic victus ecce Robertus adest.

De quo etiam nostra aetate cecinit Poëta elegantissimus Pantaleon Bortius in suis Carminibus MSS.

Qua se planities Athesin distendit, & Arcem
Inter Saxosam Caliani ad tecta, Robertus
Occidit, & Veneto spumavit sanguine gurges.

Cadaver autem *Francisci Tolentinatis* tumulatum est in Ecclesia S. Francisci extra Urbis moenia. Dein pridie Idus Novembres ejusdem anni 1487. sancita est pax, opera *Innocentii PP. VIII.* ac *Friderici III.* Imperatoris, eam etiam (Anonymo Tridentino teste) sollicitantibus nostro Episcopo *Udalrico*, *Nicolao Firmiano*, *Balthassare Welspergico &c.* De praefato bello agunt Statutum Trid. L. 1. de Civil. c. 107. Andreas Naugerius in *Hist. Veneta* To. 23. *Rer. Ital. Script.* col. 1194. & seqq. Pincius L. 5. pag. m. 31. Gerardus de Roo L. 10. *Hist. Austriac.* pag. 376. ac Marianus in *Trento* pag. 294. qui fusiora cupientem ad Bembum remittit, quod & laudatus de Roo facit pag. 377. Quibus accedit Burchardus Anvvil, qui prosa & carmine idem bellum descripsit, male tamen adversus Venetos animatus, ut scite animadvertit Cl. Vir Andreas Felix Oefelius, quo teste ejus exstat in Electorali Bibliotheca Bavarica autographum.

Ad an. 1491. fuit *Tridentinae Civitatis Potestas D. Paulus de Ungarellis de Padua Legum Doctor*. Circa idem tempus celebris exstitit noster *Galassus de Campo*, quem inter & *Sfortiam Vicecomitem* fuisse actam necessitudinem colligo ex autographis Literis mihi a Nobili Viro Jo. Baptista Mancio humanissime communicatis, quas ex Aquis die 23. Sept. 1490. dedit idem *Sfortia* ad laudatum *Galassum*.

XCIII.

XCIII. UDALRICUS IV.

Ex Nobilibus de *Liechtenstein*, Comitatus Tirolensis, Canonicus Tridentinus, in Episcopum electus anno 1493. die 20. Augusti, sed integrum *per biennium non fuit confirmatus*, ut inquit Synchronus Catalogus. De retardata ejus confirmatione testatur quoque Epistola data Tridenti in Castro Boni Consilii die 10. Octobris 1493., una cum sigillo Capituli Tridentini cerae rubrae impresso. Ab extra habet: *Spectabili ac Nobili Consanguineo nostro, Confratrique Charissimo Doctori Christophoro de Schrofestain Canonico Ecclesiae nostrae Trid.* Quippe in ea ubi ex una parte subscriptus legitur *Georgius de Fatis de Terlago Decanus, totumque Capitulum Tridentinum*, ex altera adparet *Udalricus de Liechtenstain Electus Trident.* Ex ipsa constat *Udalrico* nostro nondum confirmato interim opus fuisse cogitare de eodem *Christophoro in Coadjutorem* sumendo, eo quod ejus Persona sibi esset *gratissima ac acceptissima, & quae Ecclesiae suae apud Regiam Majestatem & alibi posset prodesse, maxime ex parte Plebium in Caldario, & Eppiano, ac sequestratione fructuum, nec non confirmatione quorumdam Privilegiorum.* Id ipsum patet ex Documento alio de sequenti anno 1494. die Veneris post Festum S. Bartholomaei Tridenti, in quo idem *Electus* facto verbo & habito consilio RR. & Devotorum *Alberti de Gsele*, & *Joannis Riepper* Doctoris, Canonicorum Tridenti, & pro tempore Administratorum, *Nobili Dilecto fideli Georgio de Ebenstein*, sive *de Petra plana*, concessit Investituram a Praedecessoribus dari solitam. Quin imo duae exstant Epistolae ab ipso, dum Venetiis exsisteret, scriptae ad suos Consiliarios Tridenti, in quibus se vocat *Electum Tridenti*; una data an. 1495. die Jovis post Dominicam *Reminiscere*; altera data eodem anno die Mercurii post *Pascha*. Quid? quod de aliis pluribus ab ipsomet nondum confirmato eodem an. 1495. peractis dubitari neutiquam possit, nempe ad Levicenses in officio continendos publicari mandasse quaedam *Capitula poenalia*, *praesente D. Vigilio de Formian Capitaneo Tridenti*; nec non eo ipso anno 1495. die Jovis post S. Apolloniam Oeniponti Imperatorem *Maximilianum* ab ipsomet poposcisse, ut reum quemdam in Ditionem Tridentinam transfugam carceri mancipandum, ac in *Jurisdictionem Psayr* mittendum juberet, promittens reciprocam similium reorum traditionem, qui ex Tridentino Territorio in Austriacum transfugissent. Hinc confirmatus dumtaxat habetur ab *Alexandro VI.* Papa an. 1496. die 11. Aprilis, qui & facultatem Consecrationis accipiendae ipsi tribuit die 13. mox sequenti. Ita protractam refert praedictus Catalogus hujusmodi confirmationem, *propter pecuniarum defectum*,

fectum, quoniam Ecclesia multis incommodis affecta fuit tempore Udalrici precessoris propter bellum, quod Sigismundus Archidux Austrie gesserat cum Venetis, & annorum subsequentium caristiam, etiam impediente Cardinale Ursino confirmationem, propter pensionem sibi tempore prioris Episcopi Udalrici reservatam.

Ad ipsum itaque tandem aliquando confirmatum alias Literas dedit laudatus Caesar *Maximilianus*, quatenus delegatus foret ad promovendam quamdam compositionem cum Episcopo Feltrensi ob Censuras ab eo latas in Subditos quosdam Vallis Ausuganae, quas quidem Literas manasse constat an. 1396. die Merc. ante *Dominicam Trinitatis*. Eodem anno 1496. die 2. Sept. ex Arce Boni Consilii publicatum est nostri *Udalrici* Edictum, quo universum Clerum ad celebrationem Synodi in Ecclesia Cathedrali die 7. Novembris ejusdem anni invitavit, ipsum monens, ut die praecedente, id est 6. die Dominico, interesset primae Missae Pontificali, ad obtinendam Plenariam Indulgentiam omnibus devote illam audientibus ab *Alexandro VI.* collatam. Eo ipso anno 1496. die 4. Nov. Venetiis, ubi erat pro pace nomine Romanorum Regis tractanda, Literas Encyclicas misit ad omnes suae Dioecesis Parochos, aliosque Beneficia Ecclesiastica habentes, iisdem injungens, ac in virtute sanctae obedientiae praecipiens, ut solitum subsidium tribuerent, consignarentque *D. Georgio de Fatis de Trilaco* Decano Trid. *pro expensis Romae factis, & in promotione sua &c.* Ipso denique anno 1496. a laudato Romanorum Rege *Maximiliano* fuit de Regalibus investitus.

Anno 1497. diebus 4. & 5. Aprilis aliam Synodum coëgit, cujus Constitutiones adhuc exstant. Inter eas illam heic non abs re fuerit commemorasse, in qua *Festivitates Sanctorum Vigilii, Sisinii, Martyrii, & Alexandri, & S. Maxentiae Matris S. Vigilii & Romedii*, solemnius celebrandas edixit. Eo ipsomet anno Ecclesiae Trid. Feuda ad solos Masculos legitime descendentes, ni aliter exprimatur, sic declaravit:

" *Udalri-*

„ *Udalricus Dei gratia Episc. Trid.* Notum facimus tenore presen„tium, quod constitutus coram Nobis *Nob. Fidelis noster Dilectus Antonius de Thono* humiliter supplicavit, ut demandare dignaremur per„quirere in Registris, Scripturis & Archanis Cancellarie nostre Trid. „qualiter Predecessores nostri Episcopi Trid. circa Investituras Nobili„bus factas se tenuerint; & utrum ad utrumque sexum, scilicet Ma„sculos & Feminas, vel ad Masculos dumtaxat Investituras concesse„rint; & de hoc eidem per Literas nostras patentes fidem facere. Sup„plicationibus itaque ejusdem *Antonii* favorabiliter annuentes, omnia „& singula Registra, Scripturas & Investituras antiquas perscrutari, per„lustrari & inquiri fecimus, & comperimus, quod semper observatum „sit, & consuetudinis ac stili esse Ecclesie nostre, ut Investiture fiant „ac facte existant ad Masculos dumtaxat legitimos legitime descendetes „ex eisdem Investitis; & ita semper receperunt ac recognoverunt Feu„da sua ad Masculos dumtaxat Illustres Principes Domus Austrie, Co„mitesque Tyrolenses, Dominus Marchio Mantue, Comites Archi ac „Lodroni, & omnes Nobiles & Vasalli Ecclesie Trid. Quin ymo re„perimus protestationes fore factas per certos Antecessores nostros, „quod si ex inadvertentia Cancellarie reperiretur scriptum ad Heredes „legitimos, non debere intelligi ad utrumque Sexum, sed dumtaxat „ad Masculos, nisi expresse scriptum esset ac expressum verbis ad „utrumque sexum, scilicet Masculos & Feminas. De quibus presen„tibus Sigilli nostri tergotenus impressione facimus fidem.

„ Dat. Trid. in Arce nostra Boni Consilii die 14. Mensis Decembr. „ Anno Domini 1497. “

Hoc autem eodem anno sunt duae Epistolae *Maximiliani* Romanorum Regis ad nostrum Episcopum datae in favorem Praepositi contra *Paulum Grottum Archidiaconum* in causa praecedentiae in Choro.

Anno 1498. Indict. 1. die Ven. 23. mensis Martii Tridenti in Arce B. C. per *Joannem Greydner, Jurium Doctorem, Praepositum Ecclesiae Brixinensis, Walterium de Stadion Equitem Auratum, & Paulum de Liechtenstain, in Thaur, & Schenna Praefectum, Sacrae Regiae Majestatis Maximiliani Romanorum Regis Consiliarios, Oratores, & Commissarios*, sublatae fuerunt *simultates, differentiae, & querelae*, conclusaque *amicabilis Compositio* inter Antistitem nostrum *Udalricum*, atque *Comites de Lodrono*, videlicet *Magnificos DD. Martinum filium olim D. Petri, Georgium ejus filium, Antonium filium olim D. Parisii olim filii praenominati D. Petri*, eorumque fratres & consanguineos. Quam Compositionem ipso anno 1498. die 1. Apr. ratam habuerunt quoque *DD. Franciscus, Ber-*

nardinus, & *Paris filii q. D. Georgii Equitis & Comitis Castri Lodroni*.

Anno 1499. die 26. Aug. idem *Udalricus* Episcopus investivit *Stephanum*, *Thomam*, & *Julianum de Cazuffis* Tridentinos Cives, de plerisque Feudis, quae refutaverat *Trentinus q. Francisci Bonapasii de Toculis de Arco Civis Tridentini*. Eodem anno 1499. *Augustino de Spinulis de Janua Magistro Artis Setariae* privilegium indulsit *veniendi Tridentum*, *ibique una cum sua Familia & Operariis habitandi*, & *exercendi suam Artem*, *faciendo Pannos Sericeos de Veluto*, *Damascenos*, *Cataninos*, *Rasos*, *Scendaliceos &c.*

Anno 1501. scripsit Antistes noster ad *Georgium de Neydegk* Tridentinum Canonicum, petens, ut Oratori ab Imperio Romam mittendo sequentes Articulos pro Ecclesia Tridentina promovendos, urgendosque proponeret: 1. Ut a Romana Curia, secus ac usque factum, eadem Trid. Ecclesia tamquam Imperii membrum habeatur, & secundum Concordata Germanica reguletur: 2. Ut etiam Canonici Itali esse debeant Imperiales, vel Austriaci: 3. Ut agatur pro expeditione Indulti, jam a *Marquardo Breisacbero* Imperatoris Oratore obtenti, quo praescribitur, opus fore Canonicos vel Nobiles, vel Doctores, aut Licentiatos esse: 4. Ut electio Decani de more aliarum Ecclesiarum penes Capitulum resideat, utque ex Germanis feligi debeat, nec non Capituli Praepositus ex Capitularibus adsumatur. Anno 1502. die Mercurii post S. Franciscum ad nostrum Udalricum scripsit *Michael L. B. in Wolkenstein*, qua Nobilem & strenuum D. *Georgium Bunker* Equitem, suumque Capitaneum *in Ivano*, ad accipiendas Investituras suo nomine, & auctoritate delegatum indicat.

Cum autem idem *Udalricus* esset annis gravis, ac viribus fractus, & alienae opis indigus, omnium primus, quantum ex iis, quae literis consignata sunt innotescit, die 9. Febr. 1502., *de consensu Venerabilis Capituli sui* (pergit memoratus Catalogus) *in Coadjutorem*, & *futurum Successorem elegit Dominum Georgium de Neydegk Juris Utriusque Doctorem*, *Canonicum Tridentinum* (adde & *Brixinensem*) *ac Cancellarium Serenissimi Domini Maximiliani Romanorum Regis in Terris suis hereditariis*, *scilicet Austria*, *Stiria &c. Verum Bullis desuper non expeditis*, *prefatus Episcopus dictum Dominum Georgium*, *tanquam baculum senectutis sue anno* 1505. *ad se accersivit in Estate* (&) *mortem sibi propinquare intelligens*, *ad labores eum invitavit*. *Tandem* (propria Tridentina Ecclesia ex Testamento herede instituta) *anno predicto*, *die* 16. *Septembris obiit*: *in Ecclesia S. Vigilii penes Altare Sancte Trinitatis Monumento digno*, *quod sibi dum viveret extruxerat*, *sepultus*; *immo ante Monumentum in terra positus*, *quia sic ordinaverat*. *Qui rexit Ecclesiam post confirmationem annis XII.* (recolantur dicta). *Castrum Silve apud Levigum*, *vetustate ruinam*

nam minans, restauravit. Castrum Cornu devolutum per obitum Domini Mathei de Castrobarcho, una cum Muta parva Sancti Martini, que tamen antiquitus non est Feudum in veritate, Domino Paulo de Liechtenstain in Feudum dedit. Ac probe & laudabiliter vixit, qui in pace requiescat. Amen.

In Arca autem marmorea, quam sibi vivens paraverat, haec inscriptio legitur:

Udalricus de Liechtenstain inclitus Tridenti Princeps, ac Pastor optimus, hanc sibi vivens paravit sedem, in qua spiritus dum superna petit, molliter ossa quiescant.

In Tabula vero supra eamdem Arcam:

Hanc fieri jussit Presul, pingique Tabellam
Uldricus statuens munera Christe tibi.
Et poni tumulum vivens ubi membra quiescant,
Spiritus ad Superos tendere dum celerat.
VI. Kll. Aprilis 1504.

Hujus Praesulis memoriam insculptam legi supra Januam principem Ecclesiae Parochialis Cavedinensis hisce verbis:

1 4 9 6.
„ Divo Antistite Uldarico Litistainer.
„ Hec Fabrica. Impensa Antonii Zentili.
„ Muratore Baldesare De Locarno.
„ Et Plebano D. Vincentio De Mersi.
„ Instaurata Est Die 17. Octobris. "

Vidi in Episcopali Bibliotheca Codicem membraneum in 4. belle, atque etiam aureis literis exaratum, in quo continentur Carmina *Petri Lazaroni De septem Praerogativis, quae nobilitant Domos*, cum Inscriptione:

„ Rmo Praesuli. D. D. Ulrico de Lapide vivo
„ & Tridentine Urbis Principi clarissimo
„ Petrus Lazaronus in Ticinensi Gymnasio
„ Publicus Lector, S. P. D. "

Laudati *Udalrici* Generalem in Spiritualibus Vicarium egisse *Joannem de Barrunbeim* Decretorum Doctorem didici ex Monumento an. 1496. Ex alio an. 1499. exstitisse *Rectorem Hospitalis & Ecclesiae Gloriosae Virgini Mariae de Campilio Fratrem Joannem a Sancta Catharina de Calabria Ordinis S. Francisci Fratrum Minorum*. An. 1504. typis vulgatum fuit Tridentinum Statutum.

Vidi

Vidi Chartas, in quibus diserta mentio fit *Tridentinae Monetae*, atque *solidorum denariorum Tridentinorum* nostri *Udalrici* aevo currentium.

XCIV. GEORGIUS III.

De *Neydegk* ex Nobilibus Austriae, filius *Martini*, cujus meminimus sub *Udalrico III.*, quive in Charta an. 1483. nuncupatur *Magnificus & Nobilis Vir D. Martinus Neydegk Capitaneus Castri Perzini Generalis*. Fertur literis studuisse Viennae, tum Jurisprudentiae operam navasse Bononiae sub Magistro *Joanne Campegio*, ibidemque Gymnasii Rectorem egisse anno 1491., & Doctoratus Laurea decoratum fuisse. Hinc *Juris Utriusque Doctorem* eumdem appellatum superius audivimus.

Ex Canonico Tridentino, & Brixinensi, nec non Regis *Maximiliani* in Austria, Stiria, Carinthia, Carniola &c. Cancellario, electus Tridentinus Episcopus *anno* 1505. *die* 24. *Septembris*. Ita coaevus Catalogus, tametsi in quodam alio illius temporis Monumento id contigisse dicatur die 20., nec non in alio die 22. *Nona autem Octobris* (ut habet idem Catalogus secus ac illi qui scripsere 25. Octob.) *ejusdem anni possessionem adeptus est Episcopatus*.

Anno mox sequenti 1506. Thennum se se contulit, ubi die 17. Maji latina Oratione fuit exceptus, atque commendatus, a *Paride Dardanio* Ripensi. Eodem anno 1506. die 5. Junii a Papa *Julio II.* fuit confirmatus.

Anno 1507. Regalia suscepit, qua de re ita in quodam Codice ipsius *Georgii* manu adnotatum lego: *Anno Domini 1507. fuit Dieta Imperii Constantie per Maximilianum Romanorum Regem celebrata, in qua Dieta Nos Georgius Episcopus Tridentinus, Familie de Neydegk ex Nobilibus Austrie, antea Cancellarius prefati Regis in Austria, Stiria, Carintia, Carniola &c. Regalia nostra, una cum Rmo Archiepiscopo Moguntino, & Episcopo Augustensi, prefato Rege in Majestate sedente, solemniter per Vexilli traditionem, a predicto Maximiliano Rege obtinuimus &c.* quod vel ex ipso Diplomate dato Calendis Julii confirmatur.

Extat *Georgii* ejusdem Epistola data 15. Aug. 1507. qua Neocellensem Praepositum prope Brixinam ad suas Pontificales Primitias 8. *Sept.* celebrandas sincere, ac humanissime invitat. Earumdem Primitiarum occasione illum Carmine Elegiaco dato *ex Allano pago* 1507. laudavit *Joannes Lagarinus Sacerdos*. Eo ipso an. 1507. nova indulsit Judicariensibus Privilegia ob egregia officia tempore Belli Veneti in Ecclesiam Tridentinam ab ipsis conlata. Eodem insuper anno 1507. sub datum Trid. die 5. Decemb., supplicantibus *Antonio q. Georgii de Malusco, Gervasio Notario q. Andreae Gervasii de Enno, & Alexandro Compagnatio Notario de Thueno, pro se, ac nomine Zentilium & Exemptorum*

Vallium Annaniae & Solis, memoratis *Procuratoribus*, ac Zentilibus confirmavit *Privilegia ipsis a divae memoriae Dominis Georgio, & Alexandro Ecclesiae Tridentinae Pontificibus gratiose data & concessa*. Idem circa tempus Synodum Dioecesanam coëgit, quae in Episcopali Tabulario etiamnum custoditur, sed absque chronologicis notis.

Anno 1508. eo quo par est obsequio *Maximilianum*, non amplius *Regem*, sed *Imperatorem* excepit, referente Gerardo de Roo Lib. XII. *Hist. Austriac.* pag. 437. „ Anno „ ejus seculi octavo, Maximilianus „ Caesar Tridentum profectus, ad „ tertium Nonas Februarias publi„cis supplicationibus peractis, iter „ in Italiam edicit, & per Mat„thaeum Langium, Epistolarum „ Magistrum, e suggestu, non jam „ Regem, ut hactenus, sed Ro„manorum Imperatorem deinceps „ appellandum, promulgari jubet .... „ *Georgium Neideccium*, Episcopum „ Trident., rei summae praeficit &c."

Eodem anno 1508. die 6. Junii in Monasterio Sanctae Mariae Gratiarum Agri Arcensis confectum est *Instrumentum Treguae* inter praefatum *Maximilianum* Romanorum Imperatorem Electum ex una, ac inter *Leonardum Lauredanum* Venetorum Ducem ex altera parte, pro Imperatore (nomine *Pauli de Liechtenstein* Baronis de Castro Cornu, Mareschalchi Regiminis in Inspruch, & Capitanei in Rotenburg ad Ennum) agentibus nostro *Georgio* Episcopo, *Nicolao* Domino de *Firmiano* Capitaneo in Ortenburg, & Serenissimae Principis Dominae *Blanchae Mariae* Romanorum Reginae Magistro Curiae, *Cypriano de Sernthein* Cancellario Tirolensi, & Vicecancellario Curiae, atque *Henrico de Knöringen* Commendatore Ordinis Militiae S. Mariae Virginis Fratrum Theutonicorum per Bayliam Athesis; ac pro Venetorum Duce, *Zacharia Contareno* Equite. Hujusmodi autem induciis minime obstantibus idem *Maximilianus* per Literas datas in Civitate *Metdorf* die 12. Decembris ipsiusmet anni 1508. *Georgio* nostro commisit, ut *Montem Tridenti, aliosque passus praesidiis muniendos* curaret; nec non per alias datas Oeniponti sub 28. Maji anno mox sequenti 1509. ab eodem poposcit, ut expeditioni contra Venetos pro prima die Mensis Junii faciendae, majoris securitatis gratia, de suis 700. Rusticos armatos adjungeret.

Ex Documento dato Oeniponti die 22. Junii 1511. continente sexaginta articulos, ac vocitato *il Libello dell' undici*, certum est nostrum Antistitem, simul cum *Christophoro* Episcopo Brixinensi, iniisse foedus cum *Maximiliano* Imperatore, tamquam Tirolis Comite, pro defendenda ab hostibus qua milite, qua pecunia, universa Provincia. Hujusmodi Documenti exemplum apographum vidi scriptum manu *Leonardi Florentini* Notarii de Burgo Ausugano.

Ab

Ab eodem an. 1511. praedictus Episcopus noster Praefecturam Veronensem pro laudato Imperatore agere coepit: qua in Urbe defecit an. 1514. die 5. Junii. Ejus Cadaver Tridentum delatum fuit, ac in Cathedrali Ecclesia prope Altare SS. Trinitatis tumulatum die octavo ejusdem mensis. Quo in obitu ac translatione, teste Monumento ejusdem an. 1514., expensae factae adscenderunt ad summam librarum 865. grof. 4. q. 1.

De eodem Successor *Bernardus ex Nobilibus de Gles Ananiensis* propria manu haec scripsit in citato Catalogo: *Iste Georgius fuit dignus Antistes, & si supervixisset, multa bona Ecclesię suę Tridentinę fecisset; & temporibus istis nostris, quibus maxime ferme per totam Christianitatem heresis omnium maxima sęvit, auctore Martino Luthero, usui fuisset; qui Cęsarius Locumtenens Veronę obit, ab omnibus amatus, & deploratus ibidem. Qui & nos plurimum adamavit, & pluries ante ejus mortem nos Successorem suum predixit & desyderavit &c.*

Huic Elogio accedit aliud F. Pauli Amalthei Ordinis Minorum, qui ad ipsum Episcopum in *Valle Flemmarum* aestivo tempore commorantem misit Carmen, in quo cetera inter praeclara ejus facinora, ipsummet alloquens, recenset:

Quod bonus instauras aedes, & templa Deorum,
Quod via, quodque Forum latius esse jubes.

Quantum idem *Georgius* fuerit *Maximiliano* Caesari acceptus, testantur hujus Literae ad Episcopum Carpensem (*in Africa*) Romae Oratorem suum datae ex Oppido Kraniburg die 13. Junii an. 1514. in haec verba: *Intelleximus Venerabilem Georgium Episcopum Tridentinum, Principem, & Locumtenentem nostrum Veronae diem suum obiisse extremum, quod nobis admodum molestum est, & dolemus plurimum, cum ob singularem ipsius prudentiam, & virtutem, tum propter maxima servicia, quae nobis cum summa laude sua, & satisfactione nostra praestitit &c.*

In antiquo etiam Catalogo penes me lego de eodem Praesule scriptum, atque id ipsum a Pincio Scriptore Synchrono literis consignatum, quod *firma veneni suspicione perierit; nam corpus erat livoribus decoloratum; & spumae per os effluebant, ultra alia signa; quod Veronenses molestissime tulerunt: a quibus sic diligebatur, ut rem veneni diris devotionibus insectati sint, & per tenebras noctis auditae sint voces = Redde Praefectum Veronensibus: Redde Episcopum Tridentinis: Redde constantissimum Senatorem Caesari &c.*

Praeter Epicedion MS. quod Janus Pyrrus Pincius in ejus obitum carmine hexametro scripsit ad *Nicolaum a Castro Novo* Canonicum Tridentinum, quodve Cl. Gentilottus testatur exstare in Bibliotheca Episcopali, illique esse praetextam Epistolam datam ad eumdem *Nicolaum*

laum ab ipso Pincio ex Gymnasio Tridentino X. Cal. Febr. an. 1515. servantur quoque in Episcopali Tabulario quinque Epitaphia ab eodemmet Pincio conscripta, quae extra itidem manu propria *Bernardi* Successoris notantur: *Epitaphia Praedecessoris nostri*. Ex iis primum dumtaxat dabo atque secundum. Primum ergo sic ait:

Praesulis haec claros Cineres habet urna Georgi.
Arae, Templa gemunt, Caesar, uterque Polus.
Dum Venetus patriae cervicibus imminet, Urbem
Liberat, & late prorogat Imperium.
Mars bello, studiis Pallas praefecerat, Urbi
Caesar Veronae, dum fera bella tonant.
Qui ter obsessos vallarunt agmine muros:
Servata Venetos reppulit Urbe Duces.
Fata triumphantem rapiunt: Verona supremo
Officio decorat: Clesius ossa locat.

Secundum hujusmodi verbis conceptum est:

Quis latet hic? dicam. Rogo: Siste, Georgius urna est
Neidecher hac Praesul. Quis posuit tumulum?
Quem talem optarat, Successor Clesius. Ortum
Dic quaeso: Patria est Austria. Gesta cane:
Ad Petram Venetûm conatus reprimit; hoste
Veronam fuso liberat. Ede necem:
Ambigua est. Causam: mors virtuti invida laudem
Non demens: vivet Neidecher in tumulo.

Reperi quoque in eodem Tabulario Schedam alia numero quatuor & Prosa & Versu Epitaphia continentem, quorum primum heic subnecto, tametsi incompletum:

Geor. Neidecher Episco. Triden. eloquentia
probitate. pietate. nemini secundo.
Vix. ann. men. dies
Bernardus Clesius Episco. Trident. Success.
pientiss. bene. memor f. c.

Vi-

Vidi aliam Inscriptionem, ex qua constat *Georgium* nostrum *Oppidum Rippae cum Arce diu deperditum Ecclesiae suae restituisse*, *ac propriis sumptibus auxisse*, deque hoc fuisse positum Monumentum *An. salutis M. V. IX.* Cujus qui dem *Ripae*, nec non *Theni & Pertinentiarum* constituit *Capitaneum* fratrem suum *Eustachium de Neydegk*, qui ut de aliis ab ipso gestis taceam, die 9. Julii praedicti an. 1509. quibusdam de *Boyaco*, & de *Sermione* facultatem concessit piscandi in Lacu Benacensi Carpiones, aliosque Pisces, *a Petra Portus usque in Campionum infra confinia Communis Tignalis*, *& tantum quantum se extendunt confinia & jura Tignalis*. De eodem *Eustachio* videsis Marianum in *Trento pag.* 513.

Ejusdem Episcopi *Georgii* temporibus magnam in Armis sibi compararunt famam *Georgius Madrutius*, *Nicolaus Firmianus*, *Aloysius Arsius*, *Ludovicus Lodronius*, *Christophorus Thunnus &c.*

Accidit quoque tunc temporis, ut exulem in nostris Alpibus Tridentinis vitam duxerit *Hadrianus S. Chrisogoni Presb. Cardinalis Bathoniensis*, una cum *Polydoro Casanico Romano*, *Summi Pontificis Ostiario*, de quorum exilio ita loquitur Epitaphium in sacra Aede Parochiali Ripensi, ab eodem *Hadriano* positum *Polydoro*, anno aetatis suae 24. defuncto:

Exulat Hadrianus, Tu jam Polydore quiescis,
Aeternumque vales, nobis dura omnia restant.

Anno 1507. vivere desiit *Archangelus Balduinus*, qui de B. *Simone* ab Judaeis interempto, & extra aquas posito, luculentum perhibuit testimonium, sepultus in Sacra Aede veteris Conventus S. Bernardini apud Tridentum, cum Coenotaphio hujusmodi

D. Æ
Arcangelo Balduino Phio
Equiti Doctorique insigni
Divi Friderici IIII. Imper. ac
Alberti Bavarie Prin. Medico
fidiss. & Antonie Salie paren.
b. m. Franciscus, & Albertus
Doctores f. pientissimo. Obiit
Anno D. MCCCCCVII. XXI.
Augusti
M. D.

XCV. BERNARDUS II.

Ex avita & praeclara familia Anauniensi de *Castro Clesii*, natus patre *Aliprando*, matre *Dorothea* ex itidem antiqua & illustri familia de *Fuchs*, baptizatusque an. 1485. die 12. Martii. Adhuc duodennis Veronam missus, ab optimis Magistris excoli coepit nobilioribus disciplinis. Inde Minoribus Ordinibus jam initiatus die 7. Augusti 1509. ab *Antonio Zio* Episcopo Calamonensi, & *Marci* Card. *Cornelii* Episcopi

scopi Veronensis Suffraganeo, Bononiam transiit, ubi sub magnis Viris *Philippo Beroaldo*, *Joanne Campegio*, *Ludovico Gozadino*, & *Augustino Berobo*, in Eloquentia, ac Jure cum Civili, tum Pontificio eousque profecit, ut (Anonymo Tridentino teste) *insignis Doctor* evaserit.

Igitur Juris utriusque Lauream adeptus an. 1511. die 10. Maji in Sacristia veteri Ecclesiae Cathedralis Bononiensis, ac Protonotarius Apostolicus factus ab *Joanne* Card. de Medicis Legato Apostolico Bononiae (vel ob servitia praestita *Matthaeo* electo Episcopo Gurcensi Caesareo in Italia Locumtenenti generali) anno 1512. die 17. Decembris, eodem anno ac mense in patriam rediit, posteaquam illi *Julius II.* Papa, ejus eximiae virtutis probe gnarus, per Bullam datam Romae octavo Idus Febr. eodem an. 1512. contulerat Canonicatum Ecclesiae Tridentinae, cui etiam tunc dignitas Archidiaconalis accessit. Neque ambigendum est, ad votum *Georgii* Episcopi id contigisse, cum illi esset oppido acceptus, atque ab ipsomet suis Consiliariis adjectus: nec non etiam ad votum *Maximiliani* Imperatoris, qui postea Regiis Negotiis illum Oeniponti praeposuit, ceu apprime regundis Provinciis idoneum.

Intercedente autem ejusdem *Georgii* obitu, tametsi necdum Diaconus, salutari meruit Episcopus Tridentinus, totius Collegii suffragio, tota plaudente Civitate, ac Dioecesi, ipsoque Caesare id sibi gratissimum significante, ut proinde nihil obfuerit, quin rerum mox potiretur. Et quamvis *Bannisius*, de quo mox dicam, eo nomine refragaretur, quod in Collegium non fuerit vocatus, caussa tamen cecidit coram *Leone X.*, qui septimo Cal. Octob. 1514. electionem hujusmodi tamquam rite factam agnovit, confirmavitque, hanc comprobationem impense urgentibus *Antonio Quetta*, *Angelo Caesio*, atque *Hadriano Cardinali Sancti Chrysogoni*. Accidit autem eadem electio ter quaterque fausta an. 1514. die 12. Junii; eodemque anno ab Imperatore *Maximiliano* fuit de Regalibus investitus, nec non pro ipso Veronensis Urbis Locumtenens constitutus.

Primum Sacrum solemni pompa celebravit an. 1515. die 8. Septembris, convocatis totius Episcopatus Nobilibus Vassallis, atque etiam Clero, coram quo die sequenti congregato Synodales Constitutiones & Statuta publicari fecit. Eidem Sacro interesse debebat *Matthaeus* Cardinalis Gurcensis, Coadjutor Salisburgensis, & Imperialis in Italia Locumtenens; sed variis negotiis praepeditus accedere non valens, gratiasque agens *Bernardo*, quod ipsum ad suas Primitias invitaverit, sui loco misit *Sebastianum Sperantium* Praepositum Brixinensem, qui eidem Cardinali erat a Secretis. Invitavit quoque Neocellensem Prae-

posi-

positum ut iisdem praesto esset Primitiis, uti clarescit ex Epistola manu ejusdem *Bernardi Episcopi Trid.* scripta die 29. Julii praefati anni 1515. Ex quibusdam Literis ab eodem *Bernardo* ad *Jacobum Bannissium* Decanum Tridentinum datis die 21. Novembris dicti anni 1515. liquet, quod Episcopalem Consecrationem erat suscepturus die 10. sequentis Decembris, Suffraganeis Episcoporum Veronensis, & Brixinensis ad id munus obeundum invitatis.

Eo ipso an. 1515. die 15. mensis Augusti, uti loquitur coaeva quaedam Membrana, *Plebi Basilicae* praefecit *Johannem Dorrium de Grimasco Novariensis Dioecesis, qui eam rexit usque ad diem ultimum vitae suae adeo laudabiliter verbo & exemplo, quod parem non habuit. Fuit enim vir praeclarissimis virtutibus, & omni scientiarum genere adornatus, nam ob doctrinam singularem ipsius publice legit primo Avinione, deinde Senis, postmodum in alma Urbe Roma in scientiis, quas Liberales vocant: qui etiam quaedam Opuscula stilo eleganti composita reliquit. Obiit autem die secunda mensis Februarii 1521. cujus anima in pace requiescat.* Ita in praefata Membrana, ubi quoque scriptum, quod proximus ejus in praedicta Ecclesia Successor fuerit a nostro *Bernardo* constitutus *D. Christianus Durckain natione Germanus de Civitate Ulmensi Constantiensis Dioecesis, Collega praedilectus ipsius Johannis, qui ob cognitam virtutem, & singularem Doctrinam praenominato D. Johanni Plebem ipsam resignaverat cum regressu: accepit autem possessionem ipsius Plebis ipse Christianus anno praenotato* 1521. *in Festo Nativ. B. M. V.*; devixitque *die* 16. *Febr.* 1544. teste Coenotaphio in sua Parochiali Ecclesia posito, a quo nuncupatur cognomento *Turcraener*, nec non *vir doctus, honestus, & morigeratus*.

Idem Praesul *Bernardus* in Literis ab se datis Tridenti ex Arce Boni Consilii die 14. Septembris 1515. ratum habuit *Jus Patronatus, sive praesentandi personam idoneam ad residendum in Ecclesia Sancti Romedii Vallis Annaniae Trid. Dioec. ad quam populi multitudo confluere solebat*, jam antea *Christophoro*, & *Bernardino de Thunn in Castro Fundi Capitaneis fratribus germanis* a *Leone X.* concessum an. 1513. die 8. Januarii.

An. 1518. Imperiali Conventui, quem *Diaetam* vocant, Augustae interfuit. Dein mortuo *Maximiliano* Caesare pridie Idus Januarias 1519., tamquam Austriacae Domus Orator ad novi electionem Imperatoris Francofordiam pertexit, promotionemque *Caroli V.*, qui & electus fuit 4. Calendas Julias ejusdem anni, haud modice juvit. A quo quidem *Carolo* per Diploma datum Barchinone in Hispania die 2. vel 9. Aprilis supra memorati anni 1519. Archiducatus Austriae, aliorumque Dominiorum, quae idem *Carolus*, ac *Ferdinandus* frater ab Avo *Maximiliano* hereditario jure acquisierant, Gubernator ac Rector institutus

tutus fuerat, una cum *Matthaeo* Sancti Angeli Cardinali Gurcensi, & Coadjutore Salisburgensi, *Petro* Episcopo Tergestino, *Michaële Barone de Wolckenstain*, *Georgio Domino de Firmiano*, & aliis.

Anno 1520. decimo Calendas Novembris interfuit Aquisgrani Imperatoriae Coronationi; tum per Diploma datum eodem anno Wormatiae praefatus *Carolus V.* Regalia *Bernardo* largitus est, nec non per aliud Diploma itidem datum Wormatiae an. 1521. Tridentinam Ecclesiam, quam idem quoque Augustus *insignem* appellat, sub Imperialem protectionem suscepit. Cui Ecclesiae praedicto anno 1521. restituit Jurisdictionem Oppidi Ripae, uti Monumenta Part. I. hujus Vol. *pag.* 293. *ac seqq.* testatum faciunt. Anno 1522. die 5. Aprilis per Epistolam datam Bruxellis noster *Bernardus* ab eodem *Carolo V.* fuit *Ferdinando* fratri impense commendatus. Eodem anno Papa *Hadrianus* Sextus per suas literas datas Romae die 13. Octob. & primo Decembris, eidem *Bernardo* commisit, ut se se ad Imperialia Comitia conferret, ibique catholicae Ecclesiae causam contra Lutheranam Haeresim propugnaret. An. 1523. die 20. Martii in Apostolico Brevi idem Hadrianus VI. ipsum laudavit *ob Doctrinam, & alias egregias virtutes, singularemque animi constantiam in persequendis Lutheranorum Haeresibus &c.* An. 1525. aliam Synodum Dioecesanam celebravit.

Eodem an. 1525. Rusticorum motum, seditionemque cohibuit, ac passim excitatas turbas compescuit, suppetias sibi ferente jam laudato Archiduce *Ferdinando*, Tridentinae Ecclesiae Tutore; suamque ad id egregiam operam conferentibus Comite *Gerardo de Arco*, Comite *Ludovico de Lodronio*, Capitaneo Tridenti *Christophoro Thonno*, una cum Generoso Equite D. *Nicolao de Trautmasdorff*, & Excellenti Doctore D. *Andrea Regio* Bernardo nostro a Consiliis: accedentibus quoque Equite Aurato *Carolo Trappio* Capitaneo Petrae, item Strenuo Milite *Francisco de Castro Alto*, atque Magnifico & Generoso Equite *Gaudentio de Madrutio*, una cum *Francisco Braisachero* Capitaneo Roboreti, qui tamquam Commissarii praefati Archiducis, ac etiam nostri *Bernardi*, memorantur in *Sententia contra Districtuales Civitatis Tridenti lata, data, & promulgata extra Portam Sanctae Crucis Civitatis Trid. supra Pontem lapideum Fersinae An. 1525. die Dominico 17. Septembris, praesentibus Dominis Alexandro Gelfo, Hieronymo de Thonno Legum Doctoribus, Spectabili Artium & Medicinae Doctore Domino Hieronymo de Bretio &c.*

Hujusmodi autem rebellionis Historiam latino sermone perstrinxit idem *Hieronymus de Bretio*, dictus quoque *Hieronymus Bretius Stellimaurus Nobilis Tridentinus*, Libris duobus, quorum Exemplum profert MS. penes me, quod potissimas res a *Ber-*

nar-

nardo gestas longius exsequitur. Hujusmodi Historia inscripta est: *Rmo in Christo Patri D. D. Bernardo Clesio, Episcopo, & Tridentinorum Duci, Sarcorum, sive Judicariarum Marchioni, ac de Lagare, sive Vallis Lagarinae Comiti Illustrissimo*. Eamdem defectionem literis mandavit etiam Pincius Libro nono, id posteritati cognitum volens, *Vezanum*, *Padrignonum*, *& partem Viculi Vatari*, *Rivam*, *Thennum*, *Tramenum*, *Judicarias*, *Vallem Flemmarum*, *nunquam descivisse*. In laudem fidelitatis ac devotionis *Judicariensium* vidi literas *Bernardi* nostri datas die 18. Octob. 1525. Ex alia Epistola eodem an. 1525. die 30. Maji data in Civitate Ripensi colligitur, quod eo ad declinandam Rusticorum rebellionem se se receperit.

Postea idem *Bernardus* evasit Consiliarius, atque Cancellarius, & an. 1526. Calendis Januariis Praeses Consilii secreti *Ferdinandi I.* Hungariae, ac Bohemiae Regis, cui una cum duobus aliis Episcopis Coronam imposuit Pragae an. 1527. die 21. Februarii, uti quoque die altero coronavit ejusdem Conthoralem *Annam* filiam olim *Ladislai*, ac sororem olim *Ludovici* Hungariae Regum. Quo quidem anno, tempore absentiae suae, Administratores nominavit *Franciscum de Castelet* (de Castellalto) *Capitaneum Tridenti*, *Nicolaum Neubaus Trid. Canonicum*, *Antonium Queta Cancellarium*, *Andream de Rez*, *& Antonium Thesin*.

Eodem an. 1527. dedit sequens Diploma, quo *Villam Vezani* erexit in *Burgum*, ob sibi a Vezanensibus exhibitam constantem fidelitatem:

„ *Bernardus Dei gratia Episcopus Trid.* ad perpetuam rei memoriam. „ Nihil inter Homines commendabilius esse potest, nec quod magis „ Principes deceat, quam eos praemiis congruentibus attollere, quos „ de se ipsis optime meritos esse sciunt; ut qui serviendo bene me- „ ruerunt, fructum actionum suarum referant condignum, & alii alle- „ cti simili gratitudine, in fide sua ferventes esse contendant. Sane „ quum superioribus annis coepissent per Germaniam Subditi cervices „ erigere contra suos Superiores Ecclesiasticos & Saeculares, eaque la- „ bes usque in ipsum Comitatum Tyrolensem pervenisset, magnaque ex „ parte Episcopatum nostrum pariter infecisset, in quo plerique suae „ fidelitatis immemores, mandata nostra spernentes, partibus tumultuan- „ tium Jurisdictionum vicinarum adhaeserunt; *Fideles nostri Dilecti Ho-* „ *mines de Vezano ultra Athesim* per contrarium reperti sunt, qui in „ fide sua erga Nos & Ecclesiam nostram constantes esse voluerunt, „ neque crebris comminationibus aliorum vicinorum suorum a recto fi- „ delitatis tramite se deviari passi sunt, sed Nobis in omnibus nostris „ mandatis prompto semper animo, & affectu non vulgari paruerunt;

,, ut merito digni sint, quibus Gratiam nostram & Liberalitatem impartiri debeamus. Horum igitur meritorum suorum intuitu praefatis Hominibus de Vezano ex certa animi nostri scientia, maturaque super his deliberatione praehabita, sequentia Capitula infrascripta gratiose concessimus, & tenore praesentium concedimus. In primis quum consentaneum sit, quod sicut a reliquis vicinis suis in fide & devotione erga Nos & Ecclesiam nostram sejuncti fuerunt, sic etiam ab iisdem in posterum propriis honoribus separentur, ob hoc ex nostrae Domus particularibus Insignibus infrascripta Insignia eidem Universitati merito condonanda & concedenda putavimus: videlicet Scutum unum quadripartitum aequaliter, in quo sint Campi quatuor, quorum superior in latere dextro sit de colore albo cum capite Leonis rubei, proximus huic Campus in latere sinistro sit de colore rubeo cum capite Leonis albi; in media vero inferiori parte ejusdem Scuti sint similiter Campi duo iisdem coloribus distincti rubeo & albo, ita ut Campus inferior in colore suo sit oppositus superiori, sibi autem correspondeant per transversum album cum albo, & rubeum cum rubeo, & in eisdem Campis inferioribus similiter sint capita duorum Leonum, unum in eorum quolibet colore varie, sicut in superiori parte descripsimus, & ora Leonum cum linguis rubeis erectis ad eandem dexteram partem respiciant, pro ut haec omnia arte pictoria magis oculis subjecta conspici possunt, quam ex lectione percipi. Quibus quidem Insignibus & Armis eadem *Universitas Vezani* successivis annis in perpetuum uti & frui possit absque aliquorum molestia vel impedimento. Decernentes etiam, quod in posterum non jam *Villa* dicatur, sed vocabulo honoratiore *Burgum* nuncupetur, etiam in omnibus Scripturis, & publicis Documentis: in cujus *Burgi* ingressu & egressu pariter super stratam publicam construi possint & debeant ab eadem Universitate duae Portae pro Loci conditione convenientes, supra quas nostra Insignia sint insculpta simul cum Insignibus superioribus eidem *Burgo* per Nos donatis, loco tamen parum a Nostris depressiore. Postremo quum Sindicorum Villarum infidelitas potissima causa fuerit seditionis reliquorum, quibus aliena a vero referebant, ut eos a fide sua perverterent, quumque hactenus *Burgum Vezani* proprium Sindicum perpetuum non habuerit, sed ipsa Universitas subjecta fuerit *Sindico Pedis Gaziae*, tenore praesentium mandamus, atque firmiter decernimus, ut posthac futuris temporibus ipsi de *Burgo Vezani* in omnibus & per omnia segregati esse debeant ab *Hominibus Pedis Gaziae*, propriumque Sindicum caeterosque Communis Officiales sibi eligere ac facere & tenere possint & valeant, qui

,, ta-

„ tamen ut reliqui Sindici in manibus nostris Juramentum solitum facere teneantur, & ea electio absque ullo nostro gravamine esse intelligatur. Quocirca stricte praecipiendo committimus, & mandamus &c.

„ Datum Trid. in Arce nostra Boni Consilii die 12. Mensis Novembris Anno Domini 1527. "

Anno 1528. die 20. Martii a *Clemente VII.* destinatus fuit ad Ratisbonensem Diaetam. Anno autem 1529. cum praefato Rege *Ferdinando* interfuit Imperiali Conventui Spirensi. An. 1530. die 8. Martii a praedicto *Clemente VII.* purpureo Galero fuit ornatus non sine omnium Cardinalium approbatione & applausu. Quo anno die 19. Aprilis adventanti Tridentum Imperatori *Carolo V.* obviam occurrit, universa Civitate, totiusque Principatus Primoribus incredibilis laetitiae signa praebentibus, ipsumque per integrum octiduum in Castro sumptibus plane regiis excepit. Eoque ipso anno idem *Bernardus* Augustam Vindelicorum petiit, ubi *Udalricus de Miltenperg* (quemadmodum constat ex illius literis Geppingae die 21. Martii 1530. datis) in mandatis habuit parare nostro *Bernardo* congruum hospitium *pro capiendis sexaginta equis, totidemque personis.* Eo igitur perveniens *Clesius* noster, in Conventu Imperiali ab antedicto *Carolo V.* inibi celebrato, naviter insudavit.

Anno 1531. Nonis Januariis plurimum contulit pro *Ferdinando* in Romanorum Regem eligendo, qui & Aquisgrani tertio Idus Januarias coronatus est regio *Caroli Magni* Diademate. Eodem an. 1531. die 12. Januarii Concordatum inivit cum dicto Romanorum Rege, accedente consensu Decani, totiusque Capituli sui, pro Commutatione Jurisdictionis *Bulsani* cum Castro & Jurisdictione *Pergini*, in quo exprimuntur omnia jura, conditiones &c. Ipso anno 1531. decimooctavo Cal. Junias a Papa *Clemente VII.* hujusmodi Concordati confirmationem obtinuit.

Anno 1532. Calendis Martiis Ratisbonae manavit Diploma Conventionis inter praefatos *Ferdinandum* Regem Romanorum &c., ac Episcopum & Cardinalem *Bernardum* super Feudis Castrobarcensium per Imp. *Maximilianum* ex Venetorum manibus recuperatis. Eo autem Diplomate idem Rex *Ferdinandus* omnia Feuda cessit ipsi *Bernardo*, cum omnibus Juribus &c. reservato sibi Armorum jure in Castris, & fidelitate Capitaneorum sibi juranda &c., finendo Appellationes devolvi ad Tribunal Episcopi Tridentini, & in casu devolutionis per Episcopum investiri Subditum sive Austriacum Germanum, sive Tridentinum, Italis tamen omnino exclusis: Roboretum vero cum Pagis ad Praeturam spectantibus a Rege *Ferdinando*, & ejus Here-

Heredibus retinendum, ita ut etiam Appellationes ad Austriaca Tribunalia dumtaxat deferantur, cum solo onere recipiendi Investituram ab Ecclesia Tridentina. Eodem an. 1532. sextodecimo Cal. Octob. itidem prodiit famosa Bulla praedicti *Clementis VII.* circa requisita ad electionem Tridentinae Ecclesiae Canonicorum.

Eo ipso an. 1532. die 2. Novembris Oeniponti exiit Diploma, quo laudatus *Ferdinandus* Romanorum Rex per *Christophorum Fuchs de Fuchsenberg* a *Bernardo* nostro Investituram se recepisse testatur, primo Castri & Jurisdictionis *Altenburg* in *Eppan*; 2. Castri & Jurisdictionis *Enn*, scilicet Egnae, in Valle *Truden*, & Agro ubi Rates construuntur; 3. Castri & Jurisdictionis *Castelfund* in Anaunia; 4. Jurisdictionis *Caldarii*; 5. Castri & Jurisdictionis *Greiffenstein*; 6. Castri *Petrae* in Valle Lagarina; 7. Castri *Firmian*, nunc *Sigmundscron* appellati &c. Quibus accedunt ea, quae per Transactionem cum *Bernardo* nostro in Feudum addita sunt, nempe Castrum cum *Civitate Roboreti*, & *Pago Sancti Hilarii*, nec non circumjacentibus aliarum Communitatum Pagis, videlicet *Avolan*, sive *Nusdorf*, *Sacco*, *Lizana* cum *Plebe*, *Marco*, *Vallarsia*, *Novegio*, (Noregio, seu Norilio) & *Saltaria*, *Trambelleno*, *Terrignol*, sive *Leym*, cum Domibus *Pomarolli*, *Clusoli*, *Pedersan*, *Cesoin*, quae omnia huc usque ad dictam Civitatem Roboreti, & ejus *Potestariam*, sive Praeturam, & Jurisdictionem spectarunt.

Anno 1534. Tridenti magnus habitus est Conventus Imperialium, & Venetorum, gravissimaeque in eo agitatae sunt causae; sed cum *Beatissimus Clemens septimus* (verbis utor Sententiae, de qua mox dicam) *Pontifex Maximus gravi morbo laboraret, & Reverendissimus Dominus Bernardus Clesius S. R. E. Cardinalis & Episcopus Tridentinus munciata* (per Alphonsum Ferrariae Ducem) *ipsius Pontificis infirmitate, Romam proficisci vellet, & Magnificum D. Antonium Quettam Arbitrum Regium, summque Cancellarium secum adducere statuisset, Causas omnes intermittere, & Conventum prorogare necesse fuit.* Interim vero cum mors ejusdem Pontificis contigisset, Rex *Ferdinandus* Oratoribus suis *Gregorio* Episcopo de *Nayslot*, sive Neostadio, & *Leonardo* Comiti *de Nogarolis*, sua in Instructione commisit, ut *Bernardum* ad Summi Pontificatus apicem promovere studerent. Hinc in ejusdem *Bernardi* laudem cecinit Nicolaus Comes Archius Lib. IV. Numeror. III.

Quum te purpureo decoratum Roma galero
Audiret: Longe te meliora manent.
Ipse meas, Clesi, moderaberis, inquit, babenas.
Hoc votum est hominum, sic pia fata dabunt.

Creato tamen *Pontifice Sanctissimo D. N. Paulo III., Reverendissimus Cardinalis Tridentinus omnes ad Conventum*

ventum per Literas convocavit, lataque Sententia inter Imperiales & Venetos an. 1535. *in Stuba superiori Domus Spectabilis Domini Joannis Antonii Hieremiae sitae in Civitate Tridenti in Contrata Larga &c. Praesentibus Domino Hieronymo Hieremia f. q. Spectabilis Domini Joannis, Cive Trid. & Secretario Serenissimi Romanorum Regis in Regimine Comitatus Tyrolis, & Domino Aloysio de Pola f. q. D. Joannis, Cive & Causidico Justinopolitano in praesenti Civitate nunc commorante &c.* Fuere *Mandatarii & Commissarii Serenissimi Rom. Regis Magnifici Viri DD. Sigismundus de Thonno, Raymundus Dorembergus, Petrus Alexandrinus, & Hieronymus Thonner.*

Anno 1536. die 12. Julii Summus Pontifex, destinatis variis Nunciis ad indicendum Concilium, serio injunxit *Petro Vorstio* Belgae, Episcopo Aquensi, cui demandata erat cura apud Romanorum Regem *Ferdinandum*, quatenus *rem ageret de consilio Bernardi Cardinalis Clesii, qui a sua Ecclesia TRIDENTINUS appellabatur.* Quippe *erat hic Magnus Cancellarius ac Praeses Regii Consilii, atque in Regis tam gratia quam existimatione supremus, incomparabili Religionis studio ac prudentia vir.* Ita Pallavicinus in Hist. Conc. Trid. *L.* 4. *c.* 1. *n.* 3., ubi & illud adjungit, quod *tametsi eam gloriam non obtinuit, ut dum viveret, ejus Urbs compendiariam Ecclesiae Universitatem exceperit, & alter Sinai Christiani Orbis evaserit, satis tamen meretur laudis, quod eam quasi rem praesagiens, meliorem in formam redegerit, adeoque exornaverit, ut postea tanto operi idonea visa fuerit.*

Anno 1537. die 17. Jan., cum ipse per se Dioecesim suam visitare haud valeret, constituit suos plenipotentiarios Visitatores DD. *Albertum de Albertis* Canonicum, & in Spiritualibus Provicarium, atque Presbyterum *Georgium Ackerle* Parochialis Ecclesia S. Mariae Magdalenae Tridenti Rectorem.

Anno 1538. *Bernardus* noster tulit famigeratam Sententiam *inter Communitatem Trid. & Exteriores, praesentibus Nobilibus, Generosis, Fidelibus, Dilectis Georgio Barone in Firmiano Episcopatus Marschalcho, Capitaneo Patriae Athesis, & Burgravio Tyrolis, ac Capitaneo Perzeni, Francisco de Castro Alto Capitaneo Tridenti &c.*

Eodem anno 1538. in lucem prodierunt *Constitutiones Synodales Episcopatus Tridentini, prius editae sub Reverendissimo in Christo Patre Domino Bernardo tunc Praesule, nunc vero eodem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali existente, nonnullis aliis ad priores additis, emendatae & castigatae, ac novis characteribus impressae, mendis prioribus sublatis.* In Pastorali praefixa noster *Bernardus* Cardinalis & Episcopus loquitur in haec verba: „ Praedecessorum nostro„ rum fe. re. vestigiis inhaeren„ tes, una cum Venerabili Capi„ tulo Ecclesiae nostrae Tridenti„ nae, ac totius Cleri praesentis „ Sy-

„ Synodi matura deliberatione praehabita, Constitutiones bo. me. Episcopi *Georgii* immediati Praedecessoris nostri fere abolitas, additis nonnullis, ac quibusdam resecatis, prout saluti & commodis subjectorum, juxta temporum ac morum varietatem expedire putavimus, in hoc breve compendium redigere, vobisque communicare & publicare curavimus &c. “

His ordine temporum deductis, alia pleraque accedunt minime praetereunda, quorum summa capita indigitabo. Ipse itaque *Bernardus* Lutherum novarum haeresum architectum in plerisque Conventibus est acerrimis orationibus insectatus. Quosdam Germaniae Antistites de primatu, sive praecedentia secum contendentes, eloquentissima oratione confutavit; Ecclesiae, cui praeerat longe majorem antiquitatem objiciens. Expeditionem in Turcas vehementer sollicitavit. Ad Bellum Hungaricum 200. equites misit. Pericula Christianae Religionis a Sultano Hungariae Regno qua late patet universo imminentia, coram Summo Pontifice, ac Caesare quam luculentissime exposuit. Generalis Concilii celebrationem etiam atque etiam ad exterminandas exortas haereses urgere non destitit. Nullis pepercit sumptibus ad omnem exhibendum honorem Regi *Ferdinando*, qui Tridentum advenerat. *Petrum* quoque *Vorstium*, de quo supra, in Germaniam profecturum, benigne, comiterque suscepit. Cultum *Sancti Romedii* impense promovit.

Statuta Tridentina reformavit, quae adhuc observantur, quaeque in Editione Joannis Baptistae Gelmini MDCXIV. antea impressa dicuntur *Tridenti sub Bernardo Clesio, Dei Gratia Episcopo Tridentino, Serenissimi ac Potentissimi Ferdinandi, Hungariae & Bohemiae Regis &c. Archiducis Austriae &c. Locumtenente Imperii per Germaniam, Consilii Secreti Praesidente, ejusdemque Supremo Cancellario Anno Domini MDXXVIII. X. Decembris. Maphaeo Fracacino Chalcographo solertiss. curante.*

Magnam apud Germanos, Bohemos, Pannones, Dalmatas, Austriales, Italos, atque fere omnes cujuscumque generis homines, sibi ob ingenium, doctrinam, pietatem prudentiam, justitiam, miramque rerum gerendarum dexteritatem, ubique laudem comparavit, videbaturque velut Imperii totius columen. Etenim nedum perlustrasse constat Germaniam propemodum universam, sed & Italiam, ac petiisse Bononiam an. 1530. ad Coronationem Imperatoris: iterum Bononiam an. 1533. ad obeundam ad Imperatorem, ac Pontificem, etiam pro hereditariorum Statuum parte, legationem: Romam an. 1534. ad Conclave: rursus Romam & Neapolim an. 1536. a Romanorum Rege *Ferdinando* missus ad Imperatorem &c.

Exstant

Exstant quoque Encyclicae Literae pro Imperii Diaetis ad *Bernardum* nostrum directae, ejusque propria manu signatae, in quibus receptionis locus indicatur, ut sequitur: „ Praesentatae nobis Viennae in Austria 15. Octobris „ 1516. Praesentatae 24. Febr. „ 1518. in Inspruch in Conventu omnium Provinciarum Patrimonialium Domus Austriae. Praesentatae nobis Coloniae 8. Novembris 1520. Huic Diaetae personaliter interfuimus. Praesentatae nobis in Bruxellis in Brabantia 15. Martii 1522. Praesentatae nobis Tridenti 20. Junii 1522. Praesentatae nobis Tridenti 14. Octobris 1523. cui „ Diaetae personaliter interfuimus, „ & multum adlaboravimus. Praesentatae nobis Augustae Vindelicorum 5. Martii 1526. Convocatio ad Diaetam in Augusta „ an. 1526. in qua personaliter „ interfuimus, sed nihil, aut parum ibi fuit conclusum. Convocatio ad Diaetam Imperialem „ ad Ratisbonam 1. Aprilis 1527. „ praesentatae Pragae Bohemiae „ &c. " Nec praetereundum Diarium Diaetae Spirensis an. 1529. unde patet eidem pariter interfuisse.

Illud etiam silentio nequaquam occuluerim, quod in ejusdem *Clesii* laudem aperit meum jam citatum MS., nempe quod *Dioecesim suam Tridentinam visitavit; Palatium Castro B. C. adstruxit; Ecclesias Divae Mariae Majoris Tridenti, & Sanctae Mariae Civizani aedificavit; in praefata Ecclesia S. Mariae Majoris Organum pervetustum, & celeberrimum posuit &c.* Hoc autem postremum intelligendum instar Inscriptionis lapideae, quae adhuc sub eodem Organo cernitur, hujus tenoris:

Dei Opt. Max.
Laudibus Personandis Joannes Antonius Zurlet Organum Cum Opere Marmoreo
Faciundum
C. Pecunia Sua.
Bernardo Clesio Cardinale Tridentinis Imperante.
Anno Dñi M. D. XXXIIII.

Quod vero spectat praefatam Ecclesiam *Divae Mariae Majoris Tridenti*, haec exstat Inscriptio forinsecus ad meridiem respiciens:

Bernardo Clesio
Praesule ac Principe
Tridentino Auctore
M. D. XX.

Quo autem ad praedictum *Palatium* adjectum *Castro B. C.* illud notatu dignum mihi videtur, adhibitam fuisse operam longe celeberrimi Architecti *Andreae Palladii*, uti legere est apud Cl. *Apostolum Zenum* To. 1. Dissert. Vossian. pag. 398 col. 2. Neque praetermittenda Septa ac Propugnacula ejusdem Castri atque Palatii, jussu ac sumptibus Clesii nostri constructa, ut illae

illae praeferunt Inscriptiones geminis Propugnaculis adfixae:

Esto Nobis Dñe
Turris Fortitudinis.
M. D. XXXI.

Bernardus S. R. E. Car. Et Episcopus Tri. Hoc Propugnaculum Cum Muro Et Edificio Toto A Fundamentis Erexit Pro Suo Et Posterorum Suorum Commodo MDXXXI.

Tridentinam Arcem, quam *Bernardus* insigniter auxit, & nobilitavit, quamve Caesares incoluere, carminibus suis *Albericus Longus* Salentinus descripsit. In Cella Vinaria ejusdem Arcis in muro a sinistris statim ab ingressu perspicitur effigies aerea ejusdem amplissimi Praesulis cum subscriptione:

Bernardus Episcopus
Tridentinus a fundamentis
erexit Die XXV. Februarii
Anno ab ortu Christi
MDXXVIII.

Constat quoque restaurasse Castrum Silvae prope Levicum anno 1520. Item alia Castra Ripae, Stenici &c. nec non *Turrim in Matarello* olim spectantem ad Dominos de *Castrobarco*, tum ad Dominos de *Ivano*, ac demum coëmptam ac ampliatam ad modum Castri a *Nicolao de Trautmansdorf*, per Diploma de an. 1532. die 14. Febr. Tridenti nuncupandam decrevisse *Castrum in Frajenturren*, sive de *Turri libera*. Insuper scimus vias Tridentinae Urbis lapidibus stravisse, ac etiam impendio quadraginta milium Florenorum avertisse ab eadem Civitate cursum Fersinae usque ad alveum, quem modo tenet, adeo ut ante hujusmodi amotionem antiquus S. Bernardini Conventus diceretur *ultra Fersinam supra Monticulum*.

Sed quod inter plurima *Bernardi* illustria facinora, quae longum esset commemorare, illi majorem adhuc laudem adauxit, apud seros posteros nusquam intermorituram, ac omnino immortalem, est, mea quidem sententia, Tridentinae Arcis Tabularium, quod ipso curante atque agente fuit nedum restitutum, sed etiam locupletatum, praesertim undecim numero Codicibus in folio, ac nitidissima membrana quam elegantissime scriptis, grandi profecto labore ac sumptu. Continent autem Chartas authenticas Tridentinorum Praesulum, videlicet primus *Bartholomaei Quirini*, secundus & tertius *Alberti Ortenburgici*, quartus *Georgii Liechtensteinii*, quintus *Alexandri de Mazovia*, sextus *Georgii Hackii*, septimus *Joannis Hinderbachii*, octavus *Udalrici Frundspergici*, nonus *Udalrici Liechtensteinii*, decimus *Georgii Neydeckii*, undecimus ipsiusmet *Bernardi Clesii*: quibus omnibus authographa respondent, eorumque exempla in Archivo etiam Capitulari servantur. His accedit alius elegantissimus Codex, itidem membraneus in folio, continens Mis-

sas

sas Pontificales quarumdam Solemnitatum praecipuarum, cum variis Iconibus, ipsas ab initio ad vivum repraesentantibus, mirifice pictis: refertus quoque literis initialibus omnibus, nedum aureis, sed & variis coloribus pulcherrime variegatis. In fronte Insignibus ejusdem sive Stemmati, subditur aureis characteribus:

Bernardus Miseratione Divina Tituli S. Stephani In Celio Monte S. R. E. Presbiter Cardinalis Et Eps Trid. M. D. XXXVI.

Neque praetereunda Collectio ab ipso facta Diplomatum Archiducis *Ferdinandi* Hungarorum, ac Romanorum Regis, *contra Blasphemos, Perjuros, & Adulteros, contra Ebriosos, contra Sectam Anabaptistarum, contra Libellos & Scripta Novatorum, contra Choreas, pro Dei adjutorio impetrando contra Turcas, pro voluntaria Tyrolis pecuniaria contributione ad bellum contra eosdem &c.* Addendus praeterea numerus haud modicus Epistolarum ab eodem *Bernardo* nostro scriptarum, unde patescit ejus, quamlibet absentis, sollicitudo pastoralis super gregem, & oculata vigilantia super sibi commissum Principatum, ac utrique rite regundo ita studuisse, ut omnium gerendorum certior fieri voluerit, nihilque quod sui esset muneris insuper habendum censuerit, sed boni Pastoris ac Principis partes omnes etiam procul impleverit.

Haud reticendae quoque nonnullae Notae ipsiusmet manu in quibusdam Codicibus consignatae. Quandoquidem initio cujusdam Libri agentis de *Ordine & Ritu benedicendi Reges Bohemiae*, haec legere est: „ Istum Librum ex alio antiquo Libro fecimus transcribi dum Pragae essemus cum Serenissimo Ferdinando Hungariae & Bohemiae Rege, dum ibi essemus & unus ex Coadjutoribus Coronationis suae Regiae Majestatis, quae fuit 21. Februarii 1527., sed pro majori parte in Coronatione observavimus Rubricas Pontificalis Romani. Et altera die quoque coronavimus Annam Conthoralem praelibati Regis, & quae fuit filia olim Regis Ladislai, & Soror Ludovici Hungariae Regis, qui de anno 1526. contra Turcas obiit die antipenultima Augusti. Bernardus Episcopus Tridenti. “ In alio Codice chartaceo exhibente Situm & Descriptionem Orbis Terrarum: „ Librum hunc satis incorrectum incorrecte etiam est jussu nostro transcriptum ex antiquo Exemplari reperto in Bibliotheca Capitulari Spirensi, dum ibi essemus cum Serenissimo Rege Ferdinando in Conventu Imperiali an. 1529. Bernardus Episcopus Tridentinus. “ Ad Breviarium quoddam Fratrum Minorum eleganter admodum scriptum, pictumque: „ Breviarium hoc emimus Augustae Vin-

„ Vindelicorum an. 1530. florenis „ 8., quo anno *Carolus V.* Imperator ibidem Conventum Imperialem, & praecipue contra Lutheranos celebravit, in quo & nos „ non parum insudavimus. Bernardus Card. Tridentinus. “

Demum ex originali Monumento duorum Notariorum sigillis munito testatum fit, anno 1539. postulatum fuisse in Episcopum, seu potius Administratorem Brixinensis Ecclesiae: obtinuisse confirmationem Apostolicam a Papa *Paulo III.* die 19. Februarii ejusdem anni 1539., atque hoc ipsomet anno die 17. Martii possessionem per Procuratores iniisse. Sed praestat integrum initae hujusmodi possessionis Instrumentum adferre:

„ In nomine Domini. Anno a Nativ. ejusdem 1539. Indict. 12. die „ vero Lunae 17. Martii, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris & „ D. N. D. *Pauli* Divina Providentia PP. III. anno V. Brixinae. Et „ ibidem ante Arcem Episcopalem Reverendus in Christo Pater, ac Magnifici, Generosi & Nobiles Viri DD. *Vincentius Dei gratia Episcopus Arbensis*, Suffraganeus, & in spiritualibus Ecclesiae Tridentinae „ Vicarius Generalis, *Ægydius Baro a Vels* Capitaneus in *Reiff* (Rippa) „ *Martinus a Baymundt de Payrsperg* Magister Curiae, & *Johannes Ettinger* Secretarius, Reverendissimique & Illustrissimi Principis & Domini Domini *Bernhardi Miseratione Divina tit. S. Stephani in Coelio Monte Presbyteri Card. Episcopi Trid. & Postulati Brixinen.* Serenissimi & „ Gloriosissimi Principis & Dñi Dñi *Ferdinandi eadem gratia Romanor. Hungariae & Bohemiae &c. Regis*, secreti Consilii Praesidentis, & supremi Cancellarii, nec non Superioris Austriae Provinciarum Locumtenentis, Commissarii, & Procuratores Generales & speciales (pro ut „ de eorum commissione & procurationis mandato per quasdam Litteras „ credentiales sub data Trid. in Arce Boni Consilii die 13. suprascriptorum anni, & mensis datas, & sigillo rotundo Episcopali munitas „ legittimam fecerunt fidem) nec non Reverendi, Nobiles, Strenui & „ Circumspecti Viri DD. *Christophorus a Fuchsperg* Miles, & dicti Serenissimi & Illustrissimi Principis & Dñi Dñi *Ferdinandi Ramanorum &c. Regis* Consiliarius, & Regiminis in Insprugk Comitatus Tyrolis Regens, Decanus, *Sigismundus Han ab Hanperg* Decretorum Licenciatus „ pro tunc Senior, *Georgius Stamler* utriusque Juris Doctor Scholasticus, & in spiritualibus Vicarius Generalis, *Leonhardus Gressing* Decretorum, *Jo. Jacobus Khuen a Bellasiis* de Nobili & Militari genere ex „ utroque Parente procreatus, & *Franciscus Rottbuet* Legum Doctores, „ Canonici Capitulares Ecclesiae Brixinensis pro tunc totum Capitulum „ dictae

„ dictae Ecclesiae facientes, & repraesentantes, coram Nobis Notariis „ & Testibus infrascriptis, ad hoc specialiter vocatis & rogatis, perso„ naliter constituti praenominati DD. *Vincentius Episcopus Arbensis & „ Vicarius Trid.*, ac alii Commissarii & Collegae sui, per organum an„ tedicti Magnifici & Generosi Viri D. *Ægydii Baronis a Vels* exponi „ fecerunt, quod Decanus & dictum Venerabile Capitulum Ecclesiae Brixi„ nensis praenominatum Reverendiss. & Illustriss. Principem & Domi„ num Dominum *Bernbardum Card & Episc. Trid.* eorum Principem & „ Principalem ad Ecclesiam Brixinensem (tunc per liberam resignatio„ nem &c. Rmi & Illustriss. Principis & Domini Domini *Georgii ab Au„ stria* quondam Administratoris Brixinensis, & ad manus eorum factam „ vacantem) concorditer & unanimiter vocaverunt & postulaverunt, pro „ ut in Decreto Postulationis desuper erecto, & suae Rmae ac Illustriss. „ Dominationi praesentato, plenius continetur, Confirmatione Apostoli„ ca desuper adhuc non obtenta; praefatusque Sanctiss. Dominus noster „ Papa animo perpendens, ne ipsa Ecclesia Brixinensis propter diutur„ nam vacationem in Spiritualibus seu Temporalibus aliquod dispendium „ seu praejudicium pateretur, per certas suas Litteras Apostolicas in „ forma Brevis Apostolici sub dat. Romae apud S. Petrum die 19. Fe„ bruarii Pontificatus sui anno praescripto, & anulo Piscatoris munitas, „ praenominato Rmo & Illustriss. Principi *Bernbardo Card. Trid. & Po„ stulato Brixin.* eorum Principali regimen & administrationem tam Spi„ ritualium quam Temporalium dictae Ecclesiae Brixinensis commisit, ac „ alias & alia fecit, pro ut in eisdem Litteris Apostolicis plenius con„ tinetur & habetur. Quarum quidem Litterarum Apostolicarum prae„ narratarum vigore & auctoritate praenominatos DD. *Christofborum Fux*, „ Canonicos, & Capitulum Brixin. praescriptum amicabiliter requisive„ runt, ac petierunt, & insteterunt, quatenus ipsis nominibus procura„ toriis, quibus supra, corporalem, realem, & actualem dictae Eccle„ siae, & Episcopatus Brixin., Juriumque & Pertinentiarum omnium „ ejusdem, traderent, & assignarent, seu in eandem inducerent realiter, „ & cum effectu, juxta praedictarum Litterarum Apostolicarum vim, „ formam, continentiam, & tenorem. Ex tunc antedicti DD. Decanus „ & Capitulum Brixinense praedicti, volentes mandatis Apostolicis prae„ fatis, uti obedientiae filii, reverenter, ut decet, parere, & obedire, „ & requisitioni dictorum Commissariorum, & Procuratorum satisfacere, „ seque, & Ecclesiam, ac Capitulum Brixinense, nec non totum Cle„ rum tuitioni & defensioni praelibati Reverendissimi & Illustrissimi Do„ mini Postulati devote atque humiliter commendare, praenominatis DD. „ Commissariis & Procuratoribus, nominibus quibus supra, corporalem,

„ rea-

„ realem, & actualem possessionem dicti Episcopatus Brixin. dederunt, tradendo ipsis per dictum D. *Christophorum* Decanum, de consensu, & voluntate omnium aliorum Canonicorum, & Capituli Brixinensis praedicti tunc praesentium, Claves ad Portam Magnam, & ad Arcem Episcopalem spectantes, ad manus dicti Rev. Domini *Vincentii* Suffraganei Trid., ac aperiendo per easdem portam ipsius Castri, & intrando per eandem, adhibitis etiam aliis solemnitatibus similibus fieri consuetis in signum verae, realis, & actualis adeptae possessionis; de cujus possessionis adeptione, & receptione, tam dicti DD. Commissarii, quam etiam Ven. Capitulum Brixin. praedicti expresse protestabantur, & protestati sunt, ac sibi per Nos Notarios publicos sibi Instrumentum unum vel plura, publicum seu publica, desuper fieri atque confici petierunt, Instrumentum & Instrumenta praedicta factum & facta sunt Brixinae, & ibidem sub Anno, Indict., Mense, Loco, & Pontificatu, quibus supra, praesentibus ibidem Venerabilibus, Nobilibus & Validis Viris DD. *Bernhardo Hennanm*, *Wolfgango Swimneter*, *Caspare Rotth* Canonicis Ecclesiae B. Mariae Virg. Brixin., *Wolfgango Förbl*, *Sigismundo* & *Michaële de Theuthenhoven*, & *Georgio Khirsinger de Ragun. Judice in Novacella*, & quampluribus aliis testibus ad praemissa vocatis, & rogatis.

„ (L. S.) Et ego *Johannes Goll* Presbyter Brixinen. publ. Apostolica auctoritate Not. &c.

„ (L. S.) Et ego *Jacobus Saumller* Clericus Brixin. Dioc. publ. Sacra Apostolica & Imperiali auctoritatibus Not. &c. "

Porro idem ipsissimus annus 1539. nimis funestus evasit inopinata morte talis ac tanti Praesulis & Cardinalis, dum enim Brixinae, quo primum se se contulerat, memoratae possessionis personaliter capessendae gratia, in primo publico convivio apoplexia correptus, paulo post obiit, nempe die 28. Julii. *Intestina*, referente Georgio Turrio de Famadris in Catalogo ab eo manu scripto an. 1573. *Brixinae sepulta* sunt; cadaver autem *solemni pompa* Tridentum est deportatum, & in Cathedrali Templo mandatum sepulcro cum hoc Epitaphio:

D. O.

D. O. M.
Bernardo Clesio
S. R. E. Tit. S. Stephani In Caelio Monte
Pr. Card. Episc. Trident. Et Administr.
Brixinen. Ob Multa Magnaq. In
Hanc Ecclesiam Merita Aeterna Me-
moria Digno Positum. Ob. XXVIII.
Jul. M. D. XXXIX. Sedit Ann. XXV.
M. I. D. XXIIII.

Addit Augustinus Oldoinus: *Vixit Annos LIV. menses IV.* notatque Alphonsum Ciaconium perperam hujusce Cardinalis obitum ad annum 1528. retulisse. Praefati autem dies *XXIIII.* computari videntur a die obitus Praedecessoris, nam ab electione *Bernardi* sunt tantummodo *XVI.* De ejusdem *Bernardi* morte inquit Pallavicinus L. 4. *Hist. Concil. Trid.* c. 8. n. 9. sub an. 1539. *Vita functo Cardinali Tridentino, qui in Regio Consilio ut auctoritate apud Ferdinandum, ita virili studio Religionis ceteris anteibat, ad consilia debiliora aditus celeriter patuit.*

Scripsit *Bernardus* noster Epistolas plures ad *Fridericum Nauseam, Joannem Fabrum*, & alios. Addit jam memoratum meum MS. fuisse *Litteratorum amatorem*, ideoque multum dilexisse *Dominum Antonium de Prato Doctorem eximium, qui aliqua Opera scripsit*, inter quae nobis innotuit *Tractatus de secundis Nuptiis constante primo Matrimonio*. Idem esto judicium de egregio Magistro *Nicolao Scutellio* Fratrum Eremitarum S. Augustini Provinciali, Latine & Graece docto, qui geminas Orationes Latinas manu scriptas praeclarissimo *Bernardi* nomini nuncupavit anno 1529., & Dialogum lucubravit *de Comitiis babendis, sive Consilio* (in quo quidem Dialogo Interlocutores exhibentur *Carolus, Ferdinandus*, atque *Bernardus*) quique Miraeo Bibl. Eccl. c. 53. teste, *primus Jamblichum de Mysteriis Aegyptiorum, & Secta Pythagorica, latine loquentem nobis dedit, & Sermones de passione Domini publicavit*, atque *obiit Tridenti in patria* 1542.

Sed & alios quoque literatos viros constat miro amore fuisse complexum, puta *Antonium Quettam*, a Ludovico Gozadino *praestantissimi Doctoris*, ac *celeberrimi Jurisconsulti* titulis honestatum, primo *Georgii Neydeckii*, dein ejusdem *Bernardi*, ac postea *Christophori Madrutii* Cancellarium, Consiliarium Imp. *Caroli* V. & *Ferdinandi*, Oratorem ad Rempublicam Venetam, Oratorem etiam in Oecumenico Tridentino Concilio, Scriptorem egregii Voluminis jam typis editi *de Centum Consiliis*: nec non *Joannem Antonium Saracenum*,

quem

quem ceu multorum Operum auctorem laudat Tridentinus Anonymus; ut nihil dicam de *Jano Pyrrho Pincio* Mantuano, adversus cujus acriores Censores digni lectu mihi videtur Ode Comitis Nicolai Archii Lib. 3. Numeror. V. *in Patelanum Pintiomastigem*.

Hinc non pauci literarios foetus ei dedicarunt, videlicet Georgius Sauromanus, Gymnasiarcha quondam Bononiensis, tum Praepositus Uratislaviensis, & Caesareus apud Sedem Apostolicam Procurator, Orationem ad Carolum & Ferdinandum Reges *de Obitu Maximiliani Imperatoris*, an. 1519. Calendis Febr., & Orationem ab *Hieronymo Balbo* Praesule Gurcensi habitam coram *Hadriano VI.* anno 1523., in cujus Epistola nuncupatoria *Sauromanus* nostri *Bernardi* celebrat *candidissimum genium*, *& excellentem doctrinam*: Joannes Alexander Brassicanus anno 1528. *Idyllion in Puerperium Annae Ferdinandi Regis Conjugis*: Joannes Cuspinianus an. 1527. die 20. Maji suam *Austriam*: Joannes Faber, postea Episcopus Viennensis, suam *Orationem de origine*, *potentia*, *ac tyrannide Turcarum ad Henricum VIII. Angliae & Franciae Regem dictam Londini*, in cujus nuncupatoria Epistola data Viennae 16. Martii 1528. *Bernardum* laudat ceu *singulari ac divina propemodum eruditione*, *& magnorum consiliorum industria* praeditum, *omnium studiorum*, *studiosorumque moecenatem*: Idem Faber *Sermones* 37. *de victoria contra Turcas* an. 1532.: Joannes Eckius *Homilias Quinque ex Biblia desumptas* an. 1532. die 26. Nov.: Leopoldus Dickius *Tractatum de Anabaptistarum erroribus*: Petrus Andreas Matthiolus membr. *Librum de vera morbi Gallici curatione*: Joannes Franciscus de Beatis Theologus Ord. Praed. MS. Chart. *Librum de Ponte Tridentino construendo*: Lucas Gauricus *Orationem de Inventoribus*, *& Laudibus Astrologiae*: Joannes Aglicius MS. Chart. *Libellum contra Anabaptistas*: Ludovicus Nogarola Comes Veronensis *Meteorologica Alexandri Commentaria* ab se latine reddita. Erasmus quoque Roterodamus nonnullos ex suis libris eidem *Bernardo* nuncupasse dicitur. Profecto tanti eum facere consueverat, ut hanc Epistolam ad ipsum dedisse repererim.

Foris: *Reverend. in Christo Patri ac Dño Bernbardo Episcopo Tridentino*. Intus: „ Salutem plurimam „ ornatissime Praesul. Serenissimus „ Princeps *Ferdinandus* suis ad me „ literis postularat, ut ad se mitterem Libellum *Paraphrasis in Evangelium Joannis* ipsius dicatum nomini. Id feci, adjecto Libello „ *Paraphrasis in Matthaeum*, quam „ Caesari *Carolo* pridem dicaram. „ Visum est autem *Joanni Fabro* „ Canonico, & Vicario Ecclesiae „ Constantiensis, homini docto, „ pio, & Romano Pontifici quum „ in his dotibus, tum praecipue „ ob mirum quoddam studium restituendae tranquillitatis christia-

„ nae,

„ nae, gratissimo, ut nostrum munusculum per Te Serenissimo Principi exhiberetur; sic enim fore commendatius si a probatissimo viro calculus aliquis accederet. Quod si facere dignabitur T. R. D. non illibenter debebimus illi, cui cupimus esse chari ac propius noti, quod idem optat *Faber* tuae dignitatis admirator unicus, ac praedicator candidus. Quam diu nobis servet incolumem Christus Optimus Maximus. Basileae Nonis April. An. 1523.

„ Erasmus Rot. C. R.
„ D. T. addictissimus. “

De eodem *Bernardo* scripsere cum laude, praeter Pincium, aliosque supra memoratos, Sleidanus, Wiguleus Hundius, Hieronymus Garimbertus, Panvinius, Beyerlinckius, Ughellus, Ciaconius, And. Victorellus, Aubery, Felix Contelorius, Innocentius de Prato, Mich. Angelus Marianus, Ludovicus Moretius, Gentilottus, & alii plures part. 1. pag. 366. & seqq. indicati; quibus addendi inter Synchronos Uldericus Faber Rhaetus, Richardus Sbrulius Forojuliensis, Bartholomaeus Amantius Landspergensis, Joannes Antonius Presbyter Bergomas, Thomas Tabarellus de Fatis de Trilaco, Camillus Zanellus &c.

De re Monetaria sub laudato *Bernardo* ita loquitur Erud. Simon Petrus Bartholomaejus Perginensis in Dissert. de *Monetis* pag. 37. „ A morte *Bernardi Clesii* Cardinalis, Episcopi & Principis Tridenti, pridie Idus Junii 1514. electi, & V. Kal. Sextiles 1539. defuncti, qui nummos suo nomine procudi fecit, iisdem nummis testantibus, Monetae Tridentinae siluere, silentque adhuc. Unum *Bernardi* argenteum in fine exhibeo, quem Nobiliss. & Sapientissimus Vir S. R. I. Eques *Joannes Baptista de Albertis* Supremus Celsissimi Cancellarius, & Consiliarius humanissime obtulit. Ejusdem Card. Clesii Talerus optimae notae asservatur in Musaeo Viri Nob. *Andreae* S. R. I. Eq. *de Mersi* Patritii Tridentini. “ His addimus alium Nummum argenteum, quem custodit, nobisque ostendit Nob. Vir *Philippus Franciscus Xaverius Mancius* Celsissimo Principi nostro a Secretis, exhibentem annum Christi 1520. cum Inscriptione in parte antica: *Bernardus Episc. Tridentinus etatis sue XXXVII.* (sic) in postica vero *omne regnum in se divisum desolabitur*.

Waddingus *Annal. Ord. Min.* ad an. 1531. n. 19. fol. 307. noviss. edit. ita scribit: „ *Bernardus Clesius* Tridenti Episcopus, Cardinalis Tridentinus nuncupatus, hoc anno scripsit ad Generalem Ministrum, Tridentum mitteret *Fratrem Hieronymum de Auricbalco*, ut Sermones Quadragesimales haberet ad populum, & fabricam promoveret Monasterii S. Clarae ea in urbe inchoatam fa-

„ cultatibus pii viri *Antonii Pratensis*, sub titulo *SS. Trinitatis*. „ Obsequente Generali, post peractas Conciones, *Hieronymus* tam „ diligenter opus urgebat, ut post „ biennium anno 1533. ex Veronensi Monasterio evocatae Sorores disciplinam Regularem advantantium hic inchoarint. "
Cum autem ex facultatibus laudati *Antonii de Prato* Tridentini Patricii, atque ex Palatio, quod ipse emerat a *Gratiadeo Galasso de Castro Campo*, jam perfecisset Monasterium praefatus Frater Hieronymus, *Episcopo Cardinale Clesio favente*, ut inquit Haroldus, deque hac nova fundatione manasset Breve *Clementis VII*. 12. Aug. 1533., hinc Verona ex Monasterio S. Mariae de Virginibus quatuor Fundatrices venerunt cum sex Novitiis, ac *Mater Aurelia de Avantiis* Veronensis, velut prima Abbatissa, die 6. Novembris ejusdem an. 1533. possessionem accepit. Praefatum Breve Apostolicum impetravit *Jo. Baptista de Prato* Antonii frater, de quibus cum laude loquuntur MSS. Chronica ejusdem Monasterii, nec non sequentes binae Inscriptiones in adnexa Ecclesia positae:

Antonius de Prato
quam nobilitate generis &
scientia Legali, tam pieta-
te Christiana insignis, an-
no Domini M. D. XXV.
hanc Aedem, & hoc Sacra-
rum Virginum Monasteri-
um erexit, domo, in qua
celebs, sancteque vixerat ad
hunc usum conversa, idque
de sua pecunia dotavit.
Postea Jo. Baptista de Prato
mansurum facti eximii do-
cumentum fratri beneme-
renti P. anno Domini
M. D. XXVIII.



Deo Op. Max.
. . . . . . Antonio Prato,
qui has Aedes Trinitati a
fundamentis erexit, aedem-
que Divae Clarae de Obser-
vantia Virginibus construi,
& proprio aere dotari cu-
ravit, in qua primus ipse
catholicam vitam duxit: Jo.
Baptista Eques & pius fra-
ter hujus operis auctor si-
bi & posteris suis hoc
Monumentum posuit
M. D. XXXIII.

Adeo *Bernardus* noster, vel in minoribus constitutus, se se addictum praebuit, ac beneficum Ordini Fratrum Minorum Observantium,

tium, ad quem praedictum Monasterium spectabat, ut Fr. *Christophorus* de Foro Livii Generalis eorumdem Fratrum Vicarius, eidem *Bernardo*, primum uti Archidiacono, & Imperialis Majestatis Vicesgerenti, dein uti Episcopo electo, Fraternitatem, & communionem meritorum spiritualium sui Ordinis erogaverit: illud quoque adjiciens, quod *post ipsius mortem fiet in toto Ordine Officium pro anima ejus, sicuti pro Fratribus fieri solet*. Hinc mirum non est, si quum comperisset *Conventum S. Bernardini extra Muros civitatis Tridentinae Ord. Min. Obs. in structuris, libris, ceterisque vasis ad divinum cultum necessariis*, ingentem pati egestatem, per literas datas Trid. 22. Aug. 1525. hortatus fuerit universos suae Dioecesis Parochos, ut si participes fieri vellent Indulgentiarum dicti Ordinis, memorato Conventui subvenirent, perque *suos Plebisanos* subveniri curarent.

Tempore laudati Antistitis *Bernardi* dimissi fuerunt a regimine & cura Ecclesiae ac Hospitalis de Campilio Fratres Congregationis Fesulanae sancti Hieronymi, quorum ultimus Prior (ab anno, qui nobis constat, 1494.) dicitur *Ven. P. Thomas de Brentoniçis* de Burgo Clesii, Congregationis ejusdem, mortuus Clesii die 2. Aprilis an. 1538., & in Archipresbyterali Ecclesia cum Epitaphio tumulatus.

XCVI. CHRISTOPHORUS I.

Ex Baronibus inclitae Familiae de *Madrutio*. Patrem habuit *Joannem Gaudentium* dignitate supremi Cubicularii Principum Austriacorum, & Generalatu Militarium Copiarum universae Tridentinae Ditionis (Vigilio de Vescovis Auctore) insignitum: matrem vero *Euphemiam* filiam *Christophori* Equitis de *Sporenberg*, Domini *de Wilanders & Pradel*. Hi nobilissimi conjuges tres suscepere filios, *Aliprandum* natu majorem, qui apud *Carolum V.* Imperatorem plurimum gratia gaudebat, strenuissimum bellicae fortitudinis experimentum, cum in praelio apud Ceresolum in Pedemontana regione, tum in bello contra Protestantes, Ulmae die 17. Febr. an. 1549. praefestina morte sublatus, aetate juvenis scilicet 25. annorum, rebus praeclare gestis maturus: *Nicolaum* secundogenitum, supremum Teutonicorum Equitum in Italia Magistrum pro memorato Caesare *Carolo V.* ac *Philippo II.* Hispaniarum Rege; atque *Christophorum* tertiogenitum, de quo in praesentia sermo.

Hic ergo natu quidem minor, sed dignitate longe maximus, ortus est in Castro Madrutii an. 1512. die 5. Julii, hora circiter tertia ante meridiem. Bononiae adolescens literis incubuit, habuitque studiorum socios *Hugonem Boncompagnum*, *Alexandrum Farnesium*, *Othonem Truch-*

fessium, & *Stanislaum Hosium*, qui omnes postea fuere ad Cardinalatum evecti. Patavii quoque studiis operam dedit cum ingenti profectu ac laude; atque hinc jure longe aequissimo in *Historia Gymnasii Patavini* a Nicolao Comneno Papadopoli etiam atque etiam commendatus.

Anno 1536. die 30. Decembris per Procuratorem nactus est possessionem Canonicatus Salisburgensis; & anno 1537. die 16. Dec. Canonicatus Brixinensis a *Carolo de Thuno* in ejusdem favorem resignati: cumque esset quoque Tridentinus Canonicus, ac Decanus (licet dumtaxat *in Subdiaconatus Ordine constitutus*) in Magni *Bernardi Clesii* Successorem eligi meruit, ceterisque unanimi Electorum suffragio praeferri anno 1539. die 5. Augusti. Canonici Electores, totum Capitulum repraesentantes, fuere *Albertus de Albertis*, *Leopoldus de Trautmansdorf*, *Thomas Marschaner*, *Erasmus Strenberger*, *Christophorus Naglbeck*, *Joannes de Thisis*, *Martinus a Neydegg*, & *Romulus Pincius*. Pro hujusmodi electionis approbatione ac confirmatione impetranda, hunc *Paulo III.* supplicem Libellum porrexit Cardinalis *Farnesius* supra laudatus:

„ Pater Beatissime.

„ Tridentina Ecclesia cum vacaret nuper per obitum bo. me. *Bernardi* tit. S. Stephani in Coelio Monte Presbyteri Cardinalis, Venerabiles atque prudentes Viri rite initis Suffragiis elegerunt in Episcopum una omnium voce & uno consensu R. P. D. *Christophorum de Castro Madrutii* Decanum & Canonicum ejusdem Ecclesiae. Itaque Sanctitas Vestra vivae vocis oraculo mihi mandavit, ut adhibita cura & diligentia investigarem cujusmodi sit illa Ecclesia, & quibus moribus, & qua vita sit ipse Electus, atque in hoc Sacro loco breviter referrem.

„ Haec igitur ex juratis testibus potui comperire. Tridentum est Urbs in decima Regione Italiae, ut vero nunc appellant in Comitatu Tyrolis, tam nobilissima & ditissima, quam & loco, & operibus munitissima: quae paret Episcopo non solum in spiritualibus, sed etiam in temporalibus, cum multis oppidis & vicis.

„ In hac Urbe sub tutela Sancti Vigilii est Episcopalis Ecclesia, sub Patriarchatu Aquilegiensi, tota marmore expolita, ac plumbo contecta, Vasis, Vestibus, & omnibus aliis rebus ad Cultum Divinum ornatissima.

„ Sunt in hac Ecclesia hae Dignitates, Decanatus major, Praepositura, Archidiaconatus, ac Canonicatus decem & octo. Praeterea Cantores Divinarum laudum, cum suo Magistro.

„ De

„ De moribus & vita honestissima ipsius Electi, inter ceteros ipse „ possum esse testis locupletissimus. Una enim multum familiariter fui- „ mus in Bononiensi Gimnasio, ubi in tanta Scholasticorum licentia tam „ modeste, tam temperanter, tam solerter se gerebat, ut & multum pro- „ ficeret, & omnibus esset propter elegantiam morum, & propter sin- „ gularem humanitatem charissimus. Addamus ad haec bona studio com- „ parata, legitimorum parentum, ac totius generis vetustam nobilitatem. „ Addamus summam totius corporis dignitatem: quae omnia tanta pru- „ dentia juncta sunt in homine vix XXVII. aetatis annum agente, ut „ jam pro Romanorum Rege Legationis munus ad Venetos sapientissime „ obierit. Quare scire omnes possumus, qui ita in teneriori aetate se „ tractaverit, quid de eo fit in maturiore sperandum. Supplicat igitur „ ipse Electus Sanctitati Vestrae, ac D. V. Reverendissimis, ut talem „ Electionem legitime factam comprobare velitis, atque confirmare, si- „ bi curam, & administrationem ipsius Ecclesie in spiritualibus & tem- „ poralibus mandantes, & commendantes, cum retentione &c. "

Literis consignatum reperi, *Christophorum* nostrum, Confirmatione Apostolica obtenta, praemissoque die 12. Aug. juramento *Compactationum* inter ipsum, & *Ferdinandum* Romanorum Regem, Episcopatus possessionem adiisse die 2. Sept. ejusdem an. 1539. Verum his obstat ea, quam itidem reperi, Epistola *Joannis de Thisis* Canonici Tridentini data Romae die 28. Nov. praefati an. 1539. qua eidem *Christophoro* notum facit, se obtinuisse Pontificium Decretum Confirmationis ipsius in Episcopum Tridentinum, cum remissione tertiae partis Annatae, & quod per semestre retinere possit Decanatum & Canonicatum Tridenti. Obstat quoque alia Epistola encyclica data Tridenti die 11. Dec. praedicti an. 1539. ab *Antonio de Piccolis* J. V. D., in hujusmodi enim Epistola se se appellat *Generalem in Spiritualibus Vicarium pro Venerabili Capitulo Ecclesiae Trid. Sede vacante*. His accedit, quod *Paulus* Papa III. in suo Brevi dato Romae sexto Cal. Dec. 1539. quo eidem *Christophoro* facultatem tribuit suscipiendi a quovis Catholico Episcopo Diaconatum, & Presbyteratum, ac deinde, ut ab uno Episcopo, duobus aliis adsistentibus, in Episcopum consecrari valeat, ipsum appellat *nuper ab se confirmatum*. Eodem nihilominus anno 1539. praedictam possessionem fuisse adeptum censeo.

Hinc Anno 1540. die 20. Jan. Tridento discessit, & in Belgium transiit, reduxque Tridentum pervenit die 14. Aug. ejusdem anni: in quo die 24. Octobr. in Arce Boni Consilii investivit de Feudis in territorio Sancti Zenonis Plebis Thassuli ad Episcopalem Mensam, per mortem *quondam Jacobi de Conzinis de* Caze-

Cazezio absque liberis masculis, devolutis, Genitorem suum *D. Joannem Gaudentium de Nano*, *Castrorum Madrutii*, *Avii*, *& Brentonici Baronem*, *Caesareae Majestatis Consiliarium*, *& Camerarium supremum*.

Anno 1541. nomine *Ferdinandi* Regis interfuit Imperialibus Comitiis Ratisbonae celebratis, in quibus, & aliis pluribus subsequutis, virtutis ac prudentiae suae singularis periculum honorificentissimum fecit. Hinc Seckendorfius in sua Lutheranismi Historia loquens de illis, qui memoratis Comitiis Ratisbonensibus interfuerunt, sic fatur: *Ex Pontificiis Proceribus praeter Ferdinandum Regem*, *praecipui aderant Cardinalis Trident. Christophorus Madrutius* (tunc necdum fuerat Cardinalibus adnumeratus), *Augustanus Otto Truchsesius*, *vehementissimi belli adversus Evangelicos incentores*.

Eodem an. 1541. accepit literas a *Reginaldo Polo*, quas, utpote immortalis memoriae Cardinalis, haud abs re fuerit iteratis typis in rem nostram adducere. In haec verba loquuntur:

„ Reg. Card. Polus Episcopo Tridentino.

„ Antea quidem ex fama ipsa, & multorum sermone, qui te familiariter cognoverunt, & optime judicare possunt, ea de pietate tua, „ & multis tuis praeclaris animi dotibus intellexi, quae merito quemvis „ ad te amandum & observandum allicere possent. Et quia tale judicium „ istius nobilis Civitatis fuit; ideo uno omnium consensu te in eo loco, „ in quo Pastoris simul, & Principis munere fungeris, collocatum audivi. Postquam vero Rever. P. Guilielmus, cujus judicio multum tribuere soleo, eadem longo sermone de te habito confirmavit; ea autem diceret, non quae ab aliis fama acceperat, sed quae ipse de tua „ pietate, & doctrina, atque summa humanitate est expertus, etsi priora „ quae audieram nunquam sane apud me dubia fuerunt, tamen hoc „ narrante, multo firmiora me habuisse negare non possum. Quo factum est, ut cum is in istam Civitatem esset rediturus, libenter quidem ad te has literas darem, in quibus & de tuis erga ipsum Reverendum Patrem officiis, quem propter doctrinam, & sincerum Religionis cultum magno amore prosequor, gratias agerem, & tibi in „ primis gratularer, quod cum in magnos honores, & divitias successeris, majores tamen animi divitias tecum te attulisse ab omnibus sit judicatum. Quas nunc te ostendere vel maxime decet ad Dei in primis honorem, & Christi gloriam, cujus solius „ beneficio eas possides, quae tales quidem sunt, quae nec testamento relinqui, nec arbitrio hominum dari possunt, simul autem,

„ ut

„ ut eorum expectationi satisfacias, qui tam praeclarum judicium de te „ fecerunt, quia scilicet illas veras divitias a Deo habetes, has mino- „ ris pretii, quae hominum suffragiis dari possunt, te optime dispen- „ sare, & gubernare posse. Qua in re etsi monitore non eges, tamen „ cum in me ipso experiar, quam difficile saepe sit, vel seipsum rege- „ re cum ad hoc addatur, ut alios, & tantam Provinciam non solum „ in humanis, sed in Divinis regas; Episcopi autem simul, & Princi- „ pis partes agas; peccare quidem in te hortando, ut vigiles, minime „ me posse reor, etiamsi vigilantissimum agnoscerem, quemadmodum „ agnosco, & omnium expectationem, quamvis magnam, superaturum „ confido. Vale in Christo Reverende, & Illustrissime Domine.

„ Datum Romae XI. Calendas Junii M. DXLI. "

Anno 1542. die 3. Maji *Christophorus Electus & Confirmatus Episcopus Trid.* Neocellensem Praepositum prope Brixinam invitavit ad suas Pontificales Primitias Feria secunda Pentecostes 29. Maji Tridenti celebrandas. Eodem anno 1542. ad Brixinensem Episcopatum ob eximia merita postulatus, & eodem anno die 2. Junii Cardinalis designatus; quam promotionem *Paulus III.* per suum Breve datum Romae an. 1542. die 19. Octobris *Christophoro* denunciavit, *quo* (ut inquit Pallavicinus L. 5. *Hist. Conc. Trid.* c. 1. n. 7.) *& auctoritas & studium adderetur Concilio.*

Anno 1543. die 17. Januarii ab eodem *Paulo* Papa fuit confirmatus Administrator Brixinensis, ipsoque anno die 28. Novembris laudatus Pontifex cum alio Brevi rubrum Biretum eidem transmisit per *Franciscum Sfondratum* Electum Sarnensem. Qua de re inter ceteros gratulatorias ad eum literas misit inclitae Venetorum Reipublicae Dux *Petrus Landus*, nedum ob *praeclarum virtutis suae, ingeniique lumen*, sed etiam quod *Christiana Respublica eo praecipue tempore talibus & viris & subsidiis magnopere indigeret.*

Anno 1546. die 29. Aprilis eidem adsignata fuit Pensio 2000. Ducatorum super fructibus Archiepiscopalis Mensae Compostellanae: ipsoque anno die 13. Julii (utor verbis latine redditae Historiae Conc. Trid. *L.* 8. *c.* 7. *n.* 1.) „ cum insigni nobilium virorum comitatu „ obviam *Farnesio* Legato processit „ *Roveretum* usque, Oppidum haud „ longe positum, ubi Farnesium „ tertiana febris invaserat. Interea „ ad Musarellum (*leg.* Matarellum) „ pagum, duobus Tridento passuum „ millibus distantem, & lustratae „ Pontificiae copiae, & trajectae. „ Ibi opiparo convivio a *Madruccio* „ excepti Purpurati omnes, *Octavianus Farnesius* Supremus Militum „ Ductor, *Joannes Baptista Sabellus* „ Summus Equitum Magister, *Alexander Vitellius* Praefectus Pedi- „ tum,

„ tum, *Julius Ursinus*, *Fredericus* „ *Sabellus* & *Sfortia* Pontificis Nepos, Tribuni Militum, aliique „ praeterea supra sexcentos, seu manipulorum Duces, seu nobilitate „ clari, qui omnes mensae assederunt. Prandium insuper militare „ universis copiis distributum, quae „ duodecim Peditum millia, & octingentos Italicos Equites complectebantur, praeter quingentos voluntarios Milites, qui seu studio „ Religionis, seu gloriae desiderio „ gratis confluxerant. Mox eodem „ die instructis ordinibus exercitus „ prope Tridentina moenia iter fecit, & quinto procul lapide ad „ Lavisum pagum consedit &c. "

Anno 1548. mense Julio Januae in Palatio *Andreae d'Oria* Principis Amalphitani, & pro *Carolo V.* Romanorum Imperatore Capitanei Generalis Maris, noster Cardinalis *Christophorus*, habita Pontificia dispensatione, in matrimonium conjunxit *Maximilianum* Austriae Archiducem, *Ferdinandi* Romanorum Regis filium, cum *Maria* praefati *Caroli V.* & *Isabellae* ejus Conjugis filia absente; cujus Procuratorem egit *Gomezius Suarez de Figueroa*, Commendatarius & Eques Divi Jacobi de Spata, Sacrae Caes. Ma. Consiliarius, & apud Januenses Orator. Eodem anno 1548. idem *Christophorus* a memorato *Carolo V.* in Hispaniam missus fuit ad ducendum in Belgium ejus filium *Philippum II.*, qui die 24. Januarii 1549. Tridentum perveniens, omni fuit significatione laetitiae, pluribusque Arcubus Triumphalibus, ac Versibus a Mariano relatis in *Trento* pag. 360. & seq. magnificentissime exceptus.

Anno 1552. die 29. Novembris Tridenti investivit de Feudis anno 1540. ut supra diximus, suo Genitori collatis, fratrem suum nomine *Nicolaum Baronem & Dominum Madrucii*, *Avii*, *& Brentonici*, *Caesareae Majestatis Consiliarium*.

Anno 1555. a laudato *Philippo II.* Mediolanensis Status (post *Ferdinandum Toletanum*) Gubernator effectus, per triennium Provinciam illam optime rexit, ubi memoriae proditum, consuevisse pro sua erga *S. Vigilium*, & *SS. Martyres Anaunienses* devotione, *quot annis ad Ecclesiam S. Simpliciani accedere in Festo ipsius S. Vigilii 26. Junii*, *& in Festo Martyrum praedictorum*, *& ibidem Missam Pontificalem celebrare*. Fertur insuper *Sfortiam & Hieronymum Pallavicinos* discordantes, ingenti ac mira prudentia composuisse, atque Placentiam Regis nomine *Octavio Farnesio Parmensi Duci*, Arce retenta, reliquisse, nec non pro ea, qua praestabat, doctrina & auctoritate, Senas se contulisse, datarum operam, ne *Cosmi Florentini Ducis* milites Civitatem illam depopularentur.

Fuit quoque Legatus & Gubernator Marchiae Anconitanae destinatus, de qua Legatione prostat Memoria extra Civitatis Asculanae Portam, quae Romana vocatur, in Arcubus Fontis;

Chri-

Christophoro Madrucio Principe
ac Card. Tridentino
Gubernante sub Pio Quarto
Pontifice Maximo
Dominic. Nelius Locumtenens
ac Resp. Asculana haec quae
Vides una cum Fontibus ad Pub.
Commoditatem praepararunt
Anno MDLXII.

Anno 1567. die 14. Nov. *Ludovico* Nepoti suo Episcopatum Tridentinum plene resignavit in manibus *S. Pii V.* Papae: quo quidem anno, uti constat ex ejus Epistola *data Romae die* 13. *Decembris* 1567. atque inscripta *Venerabili Nobili Devoto Nobis Dilecto Hieronymo de Roccabruna Canonico Tridentino & Brixinensi*, non amplius vocatur *Episcopus Tridentinus*, sed *Episcopus Praenestinus, Cardinalis Tridentinus, Administrator Brixinensis &c.* In ea Epistola Tridentino Capitulo patefecit grande suum desiderium *di compiacer il Serenissimo Re di Spagna del Piede* (destro) *di S. Girolamo-servato nella Chiesa Cattedrale di Trento, e dimandatoci da Sua Maestà con molta istanza*; quod tamen obtinere non valuit.

Demum anno 1578. Tibure, quo aëris mutandi caussa se contulerat, hospitio exceptus ab *Aloysio Cardinali Atestino*, gloriosae vitae cursum consummavit die 5. Julii, hora 18., quo ipsomet die idem Cardinalis Atestinus ad *Ludovicum Cardinalem Madrutium*, Defuncti Nepotem, Literas dolentissimas dedit, quibus grandem moerorem suum ex jactura talis tantique Cardinalis optime meriti significavit, testatumque fecit, ex eo dumtaxat fuisse quadamtenus lenitam inde praeconcepti doloris acerbitatem, *in quanto che* (verba sunt ipsius originalis Epistolae, quam vidi datam Tibure 5. Jul. 1578.) *in quanto che ha finiti li suoi giorni di quella più santa et costante maniera, che potesse fare un Signore Christiano della reputatione et valore, che lui sempre è stato*. Fuit inibi primum humatus, tum postea Romam translatus, ac in Sacello Madrutianae Familiae sepultus. Epitaphium ad Lapidem spectans, quo in Tiburtina civitate contegebatur, refert Ughellus To. I. *Ital. Sacr.* col. m. 148. his conceptissimis verbis:

Christo Resuscitatori.
Christophori Madrutii, Episcopi Portuensis, Cardinalis Tridentini, ossa hic requiescunt. Obiit V. Julii. M. D. LXXVIII. aetatis suae LXVI. eodem, quo natus est die recurrente.

Ab eo manarunt *Constitutiones Excelsae Superioritatis Tridenti, nuncupatae vulgo CHRISTOPHORINAE, de modo procedendi in Judiciis, & pro expeditione Causarum tam civilium, quam criminalium, & in Causis minoribus, & Pignorationum, necnon de Moderatione Mercedum DD. Judicum, Procuratorum, & Notariorum*. Duo praeterea sunt *Calendaria*,

ria, quae ab eo *Madrutiana* nuncupamus. Plures scripsit Epistolas, & Carmina, quibus & illud Heroicum accensendum videtur 180. versibus constans, ac incipiens: *Te Trivisane cano, quamvis tua maxima virtus*, quo summis laudibus extollitur *Hieronymus Trivisanus*, Ordinis Praedicatorum, Concionator celeberrimus, ac in Veronensi Episcopatu *Lipomani* Successor, de quo videnda Pars 1. *pag.* 437. ac seq. ubi verba illa lineae ultimae *seppellito in S. Lorenzo* omittenda, eorumque loco ex Cl. Blancolino in Serie Epp. Veron. substituenda isthaec: *trasportato a Castello, e seppellito nella Sacristia di S. Domenico*. De *Disputatione*, quam *singulari studio a se elaboratam legit*, ac in qua eluxit *scriptionis eloquentia*, & *differentis auctoritas* ad suadendum, quod in Concilio esset *a Disciplinae restitutione incboandum*, testatur Pallavicinus *Hist. Conc. Trid.* L. 6. c. 7. n. 6 & 7.

Inter splendida, quae eidem nostro *Christopboro* tribuuntur Aedificia, Tridentinus Anonymus enumerat Castrum Nani in Anaunia ab ipso fere a fundamentis instauratum; nec non magnificum Palatium extra Tridentinae Civitatis moenia sub Briamasco versus Athesim, foveis circumvallatum, vulgo *il Palazzo delle Albere*. Alii referunt, Cremonam amplificandam, moenibus cingendam, propugnaculisque muniendam curasse: in Sacrosancto Templo Lauretano Sacellum B. Virginis de Rosario insigniter adornasse, eidemque Lauretanae Virgini plura pretiosissima dona obtulisse: tum etiam sacrae Aedi B. Virginis Lauretanae extra Spoletanam Urbem primum posuisse lapidem, ipsiusque fabricam proprio aere multum juvisse, ac binis quoque Candelabris argenteis liberaliter locupletasse.

Idem saepius interfuit illis Pontificiis Comitiis, in quibus summi Pontifices renunciati fuerunt *Julius III.*, *Marcellus II.*, *Paulus IV.*, *Pius IV.*, & *Pius V.*, atque *Gregorius XIII.*, in iisdemque constanter partes Regis Catholici sustinuit. Insuper cum aliis Cardinalibus praesedit, tam in famigerata controversia Comitis *Georgii Elpbestani* Oratoris Caesarei, quam in ardua causa *Bartbolomaei Carranzae* Dominicani Theologi, & Archiepiscopi Toletani &c. Quo quidem tempore in Theologum sibi adsciviſse legitur celeberrimum virum *Joannem Ambrosium Barbavaram* ejusdem Ordinis Dominicani alumnum.

Ea fuit *Christophorus* noster toto vitae suae curriculo liberalitate ac largitate erga omnes, potissimum erga Christi pauperes, ut ad horum inopiam levandam impenderit ingentem auri summam, multaque aureorum milia erogasse feratur Cardinali *Stanislao Hosio*, viro piissimo juxta ac doctissimo, utpote quem norat consuevisse omnes facultates suas in cibos pauperum dispensare.

Maximam quoque ipsi compararunt nominis celebritatem eximia in Sanctam Oecumenicam Tridentinam Syno-

Synodum merita. Hinc ab ejusdem Patribus fuit impense laudatus. Tanti enim constat eum fuisse habitum vel ab ipsismet Cardinalibus Legatis, ut mira de illo retulerint *Carolo Cardinali Borromaeo* Nepoti *Pii IV*. Verum quidem in eadem Synodo pro ea stetisse opinione, Romanae Curiae nequaquam probata, ut exordiendum a morum reformatione censuerit; sed id, ni fallor ego, ejus vitio vertendum non est, cum nihil docuerit, quod antea doctissimus Pontifex *Hadrianus* in rem istam non tradiderit, atque placitum suum eloquentissima Oratione proprio Marte lucubrata, haud sine multorum plausu, firmaverit. Putavit etiam Divinam Scripturam vulgari Lingua reddendam, sed nonnisi Pauli Apostoli auctoritate, zeloque permotus, ne, si secus fieret, Germanos id optantes offenderet; non autem eo animo iniquo, ut Hebraeos, Graecosque fontes adeundos vetaret. Quod si autumaverit indulgendam Germanis Communionem sub utraque specie, nequidem ex hoc quidquam ipsius sapientiae decedit, cum id poposcisset Caesar, Bavaria, atque Gallia, eamque a Summo Pontifice concedendam ipsum Concilium reliquerit. Haud tamen inficias ierim humani aliquid passum in altercatione cum *Joanne Montano* Card. Episcopo Praenestino, ejusdemque Concilii Legato, qua de re Pallavicinus *Hist. Conc. Trid. L.* 8. *c.* 7. *sub num.* 12.

Ceterum adversus enatas haereses grandi zelo flagravit, ac pro illis exscindendis & eliminandis, nihil non egit, ita ut non immerito scripserit P. Andreas de Vega praeclarus in Tridentino eodem Concilio Theologus Lib. 1. *de Justificatione* cap. 7. ubi agit *de commendatione & descriptione Tridenti*, quod nempe Tridentina Ecclesia *opera & vigilantia Illustrissimi, pientissimi, & humanissimi Cardinalis, Principis, & Episcopi ipsius Christophori Madrutii, & aliorum, qui eum antecesserunt, religiosissimorum Antistitum, in ea, quam illibatam servaverat a sua conversione fide, immota perseverat*.

Aucta praeterea fuit ejus nominis fama eo quod Literatorum virorum Mecoenas passim audiret, ac quasi *Numen*, essetque ipse quoque literatissimus, utpote teste *Bernardo Clesio* ejus praedecessore, *optimarum disciplinarum studiosissimus*. Hinc mirum non est, si plures librorum Nuncupationes ipsi factae legantur, quas inter anno 1541. a doctissimo viro *Joanne Eckio* Libri sui contra Hebraeos typis Ingolstadianis editi: eodem anno die 23. Novembris a *Tranquillo Andronico Dalmata* Orationis *de suscipiendo bello contra Turcas*, Viennae Pannoniae ab se habitae: an. 1546. a *Jano Pyrrho Pincio Mantuano* Libri *de Gestis Ducum Trident.*, ac Libri de *Orig. Urbis Trid. &c.*, quos una cum aliis Trid. Hist. Libris publici juris fecit *Mantuae in Aedibus Venturini Rufinelli M. D. XXXXVI.* in fol., prae-

fixa Epistola *Ad Reverendiss. & Illustriss. Principem Christophorum Madrutium Card. Trid. & Episcopum Brixinensem*, in qua eumdem vocat *de literis & tota rep. Tridentina benemeritum*, *Cardinalem Sapientissimum*, *ac Virum summe doctum*, & in fine Vitae Bernardi Clesii, *Virum absolutae doctrinae*, *& ingentis animi*, *a quo maxima expectantur*. Similiter eidem *Reverendiss. Patri*, *Clarissimo Principi ac Domino*, *Do. Christophoro a Madrutsch*, *S. R. E. Cardinali*, *Tridentinae Brixinensisque Ecclesiarum Episcopo & Administratori digniss. & ampliss. Domino colendiss.* dedicavit suam *Isagogen de Clericis in Ecclesia ordinandis* iterato excusam *Viennae Austriae* per Aegidium Aquilam 1551. *Fridericus Nausea* Blancicampianus, Episcopus Viennensis, qui in *Christophoro* nostro nedum laudat *grave judicium*, sed etiam de eo adseverat, quod *sub haec dubia praesertim tempora*, *sic*, *Deo auspice*, *suas illas amplissimas Ecclesias*, *utcunque in medio propemodum luporum constitutas*, *foeliciter*, *diligenter*, *ac prudenter regit & gubernat*, *ut imprimis ab ovili suo*, *& ejus sollicitudini concredito grege longe copiosissimo*, *lupos rapaces*, *Haereticos scilicet & Schismaticos*, *sic eminus gladio baculoque spiritus submovet & coërcet*, *quo minus eumdem gregem nec dispergant*, *nec lacerent*, *nec mactent*. *&c.*

His accedit *Lucae Contilis* Epigramma, quod exstat ad finem *Carminum Ferdinandi Adduensis ad Christophorum Madruccium &c.*, una cum Distichis *Bernardini Baldini* in ejusdem Madruccii laudem, edit. Mediol. apud *Hieron. & Valerium Metios*, *Vincentii filios*, *anno* 1563. *Cal. Novemb.* in 8. pagg. 40. Hujusmodi autem Epigramma loquitur in haec verba:

Madrucci, *dignas aeterno nomine laudes*,
Fernandi celebrat docta camoena tuas.
Quid mirum? nullus reperitur in orbe Poëta,
Qui te non docto carmine ad astra ferat.
Nam merito nobis munus coeleste videris,
Cum sis virtutum splendor, *& omne decus:*
Unde etiam Europae quivis te appellat honorem,
Ac similis magno diceris esse Deo.
Nil est mirandum sine te, *nil laude ferendum:*
Quinetiam summo tu Jove digna facis.
Ergo, *Madrucci*, *quae nos tua gesta putamus*,
Non sunt mortalis, *sed magis illa Dei*.

Sed

Sed instar omnium Dedicationum sit haec quae sequitur, praemissa *Consiliis Domini Ludovici de Gozadinis* editionis Lugdunensis 1541. in fol., quam una cum elegantissimis Armis gentilitiis nostri Cardinalis vidi apud Illust. Virum *Jo. Baptistam Mancium* in patria Tridentina Historia apprime versatum:

„ Franciscus Gozadinus Christophoro Madrucio
„ Dei Gratia Episcopo, & Principi Tridentino
S. P. D.

Omissis &c.

„ Hoc parvum tibi, Princeps inclite, pro veteri nostra amicitia „ conservanda, munusculum mittere constitui, quod *Ludovicus Gozadinus* „ frater meus, quo nihil unquam mihi fuit in vita jocundius, idque „ non tam cum fruebar, quam nunc cum careo, sentio, paulo ante- „ quam e vita excederet, suo jam animo destinaverat. Cum existima- „ ret gratissimi vir ille animi, inter innumera a Deo optimo maximo „ sibi collata beneficia, illud praecipuum, quod sibi in Bononiensi Aca- „ demia non mediocri successu Jus Civile profitenti, duorum invicem „ clarissimorum cognatorum contigisset, successivis temporibus & ornari „ praesentia, & alligari necessitudine, quorum alterum (*Bernardum Clesium*) cum viderit jam Tridentinum in Principem electum, & consti- „ tutum a *Carolo* & *Ferdinando* Caesaribus, maximis & felicissimis ter- „ rarum orbis Principibus, qui ferocientis Parthi impetum, Germaniam, „ Pannoniamque devastantem, & obvia quaeque proterentem, retunde- „ rent, proptereaque strenue actum in Cardinalem electum, adeo ob- „ servabat, ut cui mortalium plus tribueret, haberet neminem: ab al- „ tero vero nusquam oculos, nusquam mentem avertebat, sed tua vel „ praesentis praesentia, vel absentis memoria ita fruebatur, ut nil in „ vita experiretur jocundius. Obversabatur enim ei ante oculos assidue „ naturae tuae mansuetudo, singularisque cum liberalitate clementia, in- „ tuebatur animi integritatem, sinceri pectoris fidem, summamque con- „ stantiam, admirabatur bonarum artium eruditionem, praecipueque „ utriusque Juris scientiam, quibus tot tantisque animi tui dotibus, qua „ erat vir ille singulari prudentia, futurum praevidebat, ut cum Illu- „ strissimus Cardinalis, Nestoreos, cui assidue precabatur annos, satis „ vel naturae, vel gloriae vixisset, Tridentinae ditionis gubernacula tibi „ cedens, & suo te ille gravissimo judicio praeficeret, & uno omnium „ ore efflagitareris, & communi omnium electus consensu Pontifex Tri- „ dentinus constituereris, ut ea quae Illustrissimi Cardinalis a nobis re- „ cessu percelli & prosterni necesse erat, tua prudentia & erigeres, &

„ con-

„ constitueres, qua opinione falsum non esse, nunc res indicat, cum te „ Tridentinum Pontificem adeo patriae, adeo orbi salutarem conspicia- „ mus, ut jam in dubio vertatur, uter major ex desyderio clarissimi „ viri dolor, an quod te tam salutari nostro seculo & orbi Successore „ fruamur, exorta laetitia. Quamobrem cum genus tuum nobilissimum „ videret, fortunam tibi felicissimam contemplaretur, eamque in te vir- „ tutem, quae nec generi, nec fortunae cederet, cum qualis futurus „ esses Princeps multo ante animo praevideret suo, alius quem sibi in „ patronum invocaret, melior certe nullus erat. Nam Illustrissimum „ Cardinalem hasce tibi potius, & quod strenuam tunc utrique Juri „ operam navares, & quod Caesarum ipse maximis Imperii negotiis „ esset occupatissimus, velle dicari perspiciebat, cum praesertim quicquid „ tibi consecraretur, quo invicem arctissimo tibi jungebatur & sangui- „ nis & amoris vinculo, ille sibi & dicatum, & consecratum existimaret. „ Sed ecce cum jam hoc Opusculum (*est Tomus in folio majori*) ex infi- „ nito suorum Consiliorum numero delectum tuo jam frater insigniret no- „ mine, ut sub fido Amplitudinis tuae Clypeo ad communem omnium „ utilitatem publicaretur, eum, quae mortalium spem plerumque decepit, „ repentina mors abstulit, & nobis perpetuos gemitus, lachrymas, do- „ lores, & sui ingens desyderium reliquit. Verum ego voluntati ejus „ morem gerere cupiens, cum tibi Librum hunc, ut ille instituerat, „ dicare constituerem, sed te uti magnum, ita magnis dignum mune- „ ribus existimarem, verebar parvum hoc tibi munusculum, velut ex „ jejuno agro Alcinoo poma mittere: verum tua praestans, Princeps „ optime, admirabilisque natura fecit ne dubitarem, quin eum, quem „ viventem conspectu ornaveras tuo, functum jam fato velles protege- „ re. Accipies igitur quicquid est hoc hilari fronte pro veteri nostra „ benevolentia munusculum &c.

His omnibus consensit doctissimus Martinus Navarrus, qui in Praefatione sui Manualis latine redditi, ac nuncupati *Gregorio XIII.* PP. Edit. Lugdun. 1575. referens illos, quos ad id hortatores habuit, inquit: *Quamplurimis utriusque Hesperiae viris erudita pietate claris, auctoritate Pontificia reverendissimis, imo & Cardinalitia dignitate illustrissimis, ad id me vehementer exhortantibus: & in his Tridentino Christophoro Madrutio Principe praecellentissimo, cujus magnanimitas, sapientiae, prudentiae, magnificentiae conjuncta, candor animi vere germanus, variarum Linguarum eloquii torrens, ac in cujuscumque gentis virtutis & literarum studiosos propensio, jam pridem non solum Carolum V., & totam Hispaniam, sed multas alias gentes in sui admirationem traxerunt.*

Ac-

Accedunt laudatores post mortem, quandoquidem ejus multas, & varias, & omnes Principe dignas virtutes *Gabriel Alexandreus*, de quo infra in Catalogo Suffraganeorum, *Josephus Malatesta*, & *Valerianus Flassus* funebri laudatione late sunt prosequuti. Praeter supra laudatum Acestinum Cardinalem, certum est alios quoque Cardinales de Summi Viri doluisse amissione, quos inter Cardinales *Albanus*, *Riarius*, *Gambara &c.*, atque itidem eamdem plorasse illustres Viros *Jacobum Spinulam*, *Caesarem* ac *Prosperum de Scala*, *Alexandrum ex Comitibus de Massa*, *Hippolytum de Augustinis* Balivum Senarum, *Octavium Affaitadium*, *Valerium Manfredum*, *Horatium Malaspinam*, *Valerium Rengherium &c.* Hos omnes magni aestimasse Cardinalem *Christophorum* disertissimis verbis testantur eorum Epistolae missae ad Cardinalem nostrum *Ludovicum* caussa mortis ejusdem *Christophori* Patrui sui, in Episcopali Tridentino Archivo repositae, ubi & aliae plures servantur, in quibus una est Episcopi *Sanfelicii* adseverans, *non minus christiane in morte, quam gloriose in vita, cursum naturae implevisse*.

Haud omittendum, quod post ab se descriptam Tridentinam Urbem cecinit L. 3. Madruciados Joannes Engerdus.

.... Quam tu Madruci, amplissime Praesul
Christophore antiqua sub Relligione tueris,
Conciliumque juvas, Legatos excipis ultro,
Hospitiumque paras: Patrum tu saepe sacrorum,
Caesaris, & Regum Orator fidissime fulges,
Quinque Papis gratus, Patriae decus, optime Poebi
Mecoenas, inopumque Pater, dum vita manebat:
Nunc Tyburi placida compostus morte quiescis.

Hactenus Engerdus, qui praefatos Libros conclusisse testatur *sedente Romano Pontifice O. M. Gregorio XIII. Imperante Caesare Rudolpho II. Austriaco, & Gubernante Gulielmo V. utriusque Bavariae Duce &c. anno 1583. mense Augusto*.

Neque reticendum elogium, quod exstat in *Vitis & Rebus gestis Pontiff. Rom. & S. R. E. Card.* To. 3. n. XLVI. col. 687. apud Alphonsum Ciaconium cum Accessionibus Augustini Oldoini, ubi de ipso *Christophoro* adfirmatur: *Virtutes omnes ipse summo colebat studio; in aliis non exiguis praemiis afficiebat: liberales disciplinas prope exulantes excipiebat, fovebatque; inania spernens, in solidam gloriam animum intendebat. A nonnullis acerrimis Christianae Reipublicae propugnator; Italiae & Germaniae lumen; Senatus amplissimi Dux, & Romanae Aulae Decus appellatur. Sanctissimam Dei Matrem impense coluit &c.* Quibus vero

vero laudibus tantum Cardinalem *Janus Vitalis* extulerit, indicat Carmen inibi descriptum, ubi etiam *col.* 685. sequentes ad marginem referuntur Scriptores ipsum laudantes: *Ciaconius*, *Petramell.* (scilicet Illustris Eques *Joannes Antonius Petramellara* de *Summis Pontificibus & Cardinalibus* in 18. sub *Gregorio XIII.* pag. 23.) *Aubery in Vita*, *Filiucc. in Elog. MS.*, *Felix Contelor. in Elencho*, *Ferdinand. Ughell. in Addit. ad Ciac. & in Italia Sacra*, *Janus Pyrrhus de Episc. Trid. Henric. Albi in Elogiis Card.*, *Panvinius*, *Jo. Baptista Adrian. in Historia*, *Thuanus in Historia*, *Andr. Victorell. in Addit. ad Ciaconium*, *Hippolit. Marrac. in Purpura Mariana*, *Franc. Sacchin. in Historia Soc. Jesu*, *Sfortia Card. Pallavicin. in Historia Conc. Trid.*, *Petrus Justinianus in Historia Veneta*. Quibus addiderim Elogium, quod ad immortalem nostri Cardinalis laudem texuit *Vigilius Vescovi Protonotarius Apostolicus*, *Theologiae Doctor*, & *Medii S. Gotthardi Archipresbyter* in *Posthumis Memoriis Illustrissimorum Heroum Spectatissimae Madruzziae Familiae*. Videsis editum typis Bononiensibus Jo. Baptistae Ferronii an. 1648. in *Aerario Philosophiae Mathematicae* P. Marii Bettini Bononiensis S. J. Ab aliis pluribus nostri Cardinalis laudatoribus recensendis (quos inter *Jacobus Bonfadius* in Annal. Genuen. L. 4. pag. m. 416.; *Ludovicus Morerius*, qui in suo Dictionario eumdem *Christophorum* Sacri Collegii Decanum perperam vocat; Auctor Dictionarii Historici Portatilis pag. m. 8. col. 2.; Burghesius *Lettere* 26.; Eggsius Purpurae doctae To. IV. p. 313.; Joannes Fabricius Hist. Bibl. Fabricianae To. VI. p. 541.; Vasarius *Vite Pittori* Edit. Rom. To. II. 263.; *Nov. Lett. di Venezia* 1761. 386. 387.; *Estratto di Berna* 1763. To. III. in fin. 2.; Cinellius Bibl. Vol. To. III. 231. &c.) brevitatis ergo supersedeo. Certe cum Scriptores, vel ob *doctrinam*, *sapientiam*, atque *prudentiam*, certatim laudibus extollunt, tametsi novissimus haud defuerit Aristarchus, qui ipsi quo jure, quave injuria detraxerit; cum quo, utpote jam mortuo, nolim amplius contentionis funem trahere, memor ejus, quod ait Plancus apud Plinium: *cum mortuis nonnisi larvas luctari*. Profecto nulla ratione ipsi displicuit nomen *Magni* nostro *Christophoro* tributum; quippe legere est in Nuncupatoria Epistola Declamationum P. Francisci Rugerii Congr. Cl. Reg. de Somascha: *Christophorus Madrutius MAGNUS ILLE VIR & Cardinalis rerum gestarum gloria clarissimus, cum multis nostros Patres beneficiis ornavit, tum vero quo animo erga nos esset patefecit, cum Patrem Franciscum Malacarneum* (opinor ego de Tridento) *secundum Congregationis nostrae Praepositum Generalem*, *insigni doctrina & pietate Virum*, *ut ad Episcopatum promoveret*, *& Tridentinae Sedis Vicarium Suffraganeum constitueret*, *semper reluctan-*

luctantem, *omni studio contendit*. Haec laudatus P. Rugerius in praefata Epistola ab eo data *Mediolani Festo divi Caroli die 4. Novembris an. Domini 1625.* ad nostrum Card. *Carolum Madrutium*, ejusdem Card. *Christophori* Pronepotem.

Neque omittendum in rem nostram duxerim Museum Mazzuchellianum, Clariss. inquam Viri Comitis Jo. Mariae Mazzuchellii T. 1. Tab. LXXXIII. *6. 7. 8. 9.* ubi Cardinalis nostri Numismata egregie illustrata leguntur una cum Vitae ejusdem Compendio. Duo habentur apud Ughellum cum eruditissimis Gentilotti additionibus. Mentio Numismatum, in honorem Cardinalis nostri cusorum, fit etiam in Museo Muscardo.

His jam praelo paratis, aliisque pluribus, quae in *Christophori* commendationem longe aequissimam praesertim Parte prima hujus Voluminis protulimus, accedit pereruditа Dissertatio Cl. Viri *Lazari de Gasparis* Levicensis Ord. Praed. inscripta: *Difesa del Card. Cristoforo Madruccio contro Natale de' Conti. In Venezia 1763.*, in qua quidem Dissertatione testes coaevi, qui Cardinalem nostrum jure ac merito commendarunt hoc ordine producuntur:

„ Reginaldo Polo Cardinale.
„ P. Guilielmo.
„ Conte Niccolò d'Arco.
„ Girolamo Rorario.
„ Gio. Andrea dell' Anguillara,
„ Ortensio Lando.
„ Giacopo Sadoleto Cardinale.
„ Conte Giorgio Trissino.
„ Vicenzo Maggi.
„ Benavidio, o Marco Mantova.
„ Antonio Ceruti.
„ Luca Contile.
„ Pero Secretario del Duca Cosmo.
„ Girolamo Ruscelli.
„ Lelio Capilupi.
„ L' Accademia della Fama di Ve-
„ nezia.
„ Lodovico Castelvetro.
„ Annibal Caro.
„ Paolo Manuzio.
„ Bernardo Tasso.
„ Alfonso Ulloa.
„ Bartolomeo Ricci.
„ Osio Vescovo e Cardinale.
„ Girolamo Garimberto Vescovo.
„ Nicola degli Angioli.
„ Vida Vescovo.
„ Niccolò Secco.
„ Andrea Viscardo.
„ Benedetto Arias Montano.
„ Cristoforo Plantino.
„ San Giorgio Cardinale.
„ Gio. Battista Adriani.
„ L' Aretino. "

Referuntur etiam singulares aliquot occasiones, in quibus idem Cardinalis se se prodidit *Uomo d' ingegno grande, ed assai destro, ed illuminato*, videlicet: *Nella Dieta di Ratisbona venne considerato uno de' più validi strumenti, che avessero i Cattolici contro degli Eretici: nel Concilio di Trento si dimostrò pieno di eloquenza e di dottrina: Forza di spi-*

spirito, e destrezza maravigliosa da lui mostrata nel conservar l' amicizia col Cardinal Luigi d' Este: Sua avvedutezza e discernimento nel trattar coll' Aretino. Haec ex memorata Dissertatione retulisse, egregium Auctorem laudasse est.

Ejusdem nostri Antistitis, & Cardinalis fuit Cancellarius & Secretarius *Gaspar Brugnolus*: *Laurentius* quoque *Pratanus* exstitit ipsi a Secretis, testante inter alias Chartas una scripta Cavalesii an. 1553. die 16. Aug. coram laudato Cardinale, nec non *Leonardo Emo* Patricio Veneto, & *Luca Contili*.

Floruit sub eo, decessitque *Nicolaus Comes Arcbius*, egregius illius aevi Poëta, qui Carminibus suis non tantum *Christophori* nostri nomen saepius celebravit, verum etiam plura cecinit de nostro pariter Cardinali *Bernardo Clesio*, de *Helena Madrutia*, de *Tridento*, ac multis Territorii Tridentini locis, de *Ludovico Comite Lodronio Caroli V. Duce*, de *Joanne Baptista Vargnano* Arcensi incola, viro cum Historiae & Antiquitatis studio, tum Jurisprudentia claro, de *Leonardo Velsio*, sive de *Vels* prope Bulsanum, inter magnos sui temporis viros merito adscripto, de *Nicolao Madruccio Dipnae Arcbiae* summae virtutis feminae viro, de *Oderico Comite Arci*, de *Jano Pyrro Pincio* rerum Tridentinarum Scriptore, de *Ventis Nacensibus*, de *Arcbi Tutela &c.* Consulenda novissima omniumque locupletissima Editio Veronensis Librorum IV. Numerorum ejusdem *Comitis Nicolai Arcbii*, quam exornavit, illustravitque Notis eruditissimis, ac dicavit *Francisco Eugenio Comiti de Arco*, Cl. Vir *Zacharias Betti*, qui *pag.* 51. de *Christophoro* nostro pronunciavit, quod *omnibus sui aevi scriptoribus collaudatur*, Id quod verissimum est, si unum *Natalem de Comitibus* exceperis. Ibi videre licet pag. 25. fragmentum Poëticum ad *Tabarellum*, scilicet ad *Thomam Tabarellum de Fatis de Trilaco*, qui fuit Roboreti Potestas, seu Praetor an. 1529., quive *singularem virtutem*, *& raram sapientiam* ejusdem *Christophori* meritis laudibus extulit, de quo *Vol.* 1. *pag.* 348. *ac Vol.* 3. *part.* 1. *pag.* 330. 391. 400. & 430. Item sub eodem *Christophoro* celebris fuit *Hieronymus Thonner* J. V. D., Praetor Roboreti ad an. 1532. ac Januae ad an. 1546. Claruere quoque, ac naturae concessere, duo Nobiles Roboretani, *Franciscus Parthinus* ejus Medicus, hujusque filius *Melchior Parthinus* egregius Jurisconsultus, atque Poëta (de quo *part.* 1. *pag.* 428.) a *Jacobo Tartarotto* inter Tirolenses Scriptores relati, una cum praefato Comite *Nicolao* Arcensi.

Circa eadem tempora claruit quoque *Antonius Cabonettus Tridentinus*, qui recensetur *tra gli Huomini Letterati nelle Mathematiche, e veramente illustri, che fiorirono nel tempo del Imperador Carlo Quinto*, ut videre est in Vita ejusdem Caesaris *pag.* 1004. Operis cui tit. *Le Vite di tutti gl' Imperadori Romani da Giulio Ce-*

sare

sare fin' a Massimiliano, tratte per M. Lodovico Dolce dal Libro Spagnuolo del Sig. Pietro Messia ec. edit. Venet. apud Baretium an. 1644. Forte idem *Cabonettus* ex illius gente fuit, ex qua *Petrus Zabonetus de Enno Vallis Annaniae*, qui vivebat anno 1508. Tandem non fine praefatione laudis commemorandus *Alexander Victoria* Tridentinus inter Sculptores insignis.

XCVII. LUDOVICUS.

Joannes Ludovicus antea nominatus, ex iisdem Baronibus de *Madrutio*. Natus Tridenti anno aerae Christianae 1532. patre *Nicolao*, matre vero *Helena de Lamberg*, femina primae in Stiria nobilitatis. Fratres illustres admodum habuit, ut nil de Sororibus dicam. Ex Fratribus *Joannes Fridericus* Marchio *Callesii* & Comes *Avii*, nec non Ordinis Annunciationis Eques, eadem suprema militari Praefectura, qua *Nicolaus* ejus pater, insignitus, Vir non minus bellica prudentia, quam in omni scientiarum & liberalium Artium genere spectatus, Musicorum modorum, & Linguarum Hebraicae, Graecae, Italicae, Germanicae, Hispanicae, Gallicae, ac in primis Latinae scientissimus, Regiam sibi Bibliothecam struxit in Oppido suo *Issognio*, uxoremque sibi conjunxit *Isabellam* filiam *Renati Comitis Chalanti*, nobilitate opibusque inter Dynastas ac Proceres Pedemontani Ducatus praecipui: ex quo quidem nobilissimo matrimonio plurimum splendoris ac opum ad Madrutianam Familiam accessit. *Fortunatus* ejusdem *Nicolai* filius desponsavit sibi uxorem *Margaritam Altempsiam*, Papae *Pii IV. Medicaei* ex Sorore *Clara* neptem, atque consobrinam *S. Caroli Borromaei* Cardinalis & Archiepiscopi Mediolanensis. *Aliprandus* ex *Dina* Comitis *Alexandri de Arcu* filia natus, Ecclesiae Tridentinae Decanus, nec non Salisburgensis Canonicus, sacris aedibus exstructis, ac splendide adornatis Madrutianae munificentiae monumenta reliquit.

Ut ut tamen de ejus fratribus fuerit, de *Ludovico* nostro loquamur. *Cum domi* (verba mutuari lubet a Synchrono Scriptore Nicolao Inamio) *primis litteris imbutus esset, quae maxima Patrui Christophori Magni Cardinalis cura fuit, & diligentia, in maximis & nobilissimis Orbis terrarum Academiis, primum Lovanii, praestantissimis & gravissimis Praeceptoribus usus, deinde Lutetiae Parisiorum* (secum habens *Jo. Fridericum* fratrem) *summa cum laude gradatim incubuit.* Hinc adeo doctus, ac eloquens evasit, ut *vix annum vigesimum secundum attingens, cum Augustam Legatus a Pio IV. ad Ferdinandum Imperatorem missus esset, Comitia Electorum Sacri Imperii Principum habentem, & Exequias eodem tempore Caroli V. celeberrimas agentem, Orationem funebrem mandato ipsius Imperatoris de Laudibus Caroli V. latine habuerit, idque extempore, ita eleganter, ornate, splendide, copiose, & sapienter, ut Impe-*

peratori, & *universis magnis*, *qui frequentissimi aderant*, *Principibus*, *summam admirationem commoverit*. Idem refert quoque *Joan. Engerdus* Lib. 3. Madruciados inquiens de eodem nostro *Ludovico*, quod in dictis Augustanis Comitiis *in Caroli laudem publice perorarit latine*, *eleganter*, & *memoriter*, atque canens:

Laudibus hic tollit magnis ingentia facta
Caesaris, *eloquioque tonat*, *mirante Senatu* &c.

Quin imo eumdem *Ludovicum* non Latine tantum, sed & Graece doctum celebrat Tridentinus Anonymus, ac Latinis nedum Graecas, sed etiam Hebraicas adjunxisse Literas testatur, quaedam ejus Vita MS. Post praefata Augustana Comitia ab Imperatore *Ferdinando* ad Galliarum Regem ablegatus fuit gratulationis caussa ob victoriam adversus rebelles ac heterodoxos *Hugonotos* obtentam.

Anno 1549., Capitulo Tridentino, cujus erat membrum, annuente vel ab anno 1548., *Paulus III.* Papa die undecimo mensis Martii Administratorem Tridentini Episcopatus cum futura successione eumdem *Ludovicum* constituit, qui administrationis hujusmodi possessionem nactus est an. 1550. die 30. Maji.

Anno 1551. *Julius* Papa III. eidem motu proprio tribuit Praeposituram Collegiatae Ecclesiae S. Viti *in Elwangen*, per *Henrici* Wormatiensis & Frisingensis Episcopi mortem vacantem, sed tantummodo cum medietate fructuum, alia medietate concessa *Ottoni* Cardinali Augustensi.

Anno 1561. Cardinalis *nemine postulante* creatus; quo quidem anno die 22. Martii per Literas Viennae ad ipsum datas, secum gratulatus est *Ferdinandus* Imperator de nuper accepta Cardinalatus dignitate, eumque commendavit ob auxilium ac favorem ab ipso praestitum Episcopo *Cavensi* Commissario Apostolico, qui Tridentum venerat, ut Patribus ad Concilium conventuris opportune de rebus necessariis provideret.

An. 1563. die 22. Dec. *Pius* Papa IV. eidem indulsit, ut a quocumque Catholico Episcopo Sacerdos ordinari posset aliquo die Dominico, vel Festo, qua ordinatione peracta ipsum Presbyterum Cardinalem tituli S. Honophrii pronunciat.

Resignante patruo ejus Praedecessore, Episcopus Tridentinus effectus fuit per Bullam *S. Pii V.* Papae an. 1567. die 14. Novembris. Refragante vero sibi *Ferdinando* Archiduce Austriae, ac Comite Tirolensi, possessionem adire non potuit; sed Romam profectus, facta prius cum suo Capitulo protestatione solemni, causam Ecclesiae suae coram Summo Pontifice *Pio V.* oravit. De hujusmodi Causa plures exstant Literae ejusdem beatissi-

tissimi Pontificis ad nostrum *Ludovicum* (in quibus ejus *virtutum merita* commendantur) ad *Capitulum Tridentinum*, ad *Maximilianum Imperatorem*, ad praedictum *Ferdinandum*, ad *Card. Carolum Borromaeum* (ubi *Ludovicus* noster dicitur *Cardinalis insignis*, ac ipsiusmet *Ferdinandi, & totius inclytae Domus Austriacae studiosissimus*) ad *Albertum Bavariae Ducem*, ad *Scipionem Lancellottum Sacri Palatii Rotae Auditorem*; quae quidem omnes videri possunt collectae in *Annal. Ecclesiast.* Jacobi de Laderchio ad an. 1568. Sed & alias inibi ad an. 1570. in favorem nostri *Ludovici* a Sancto eodem Pontifice scriptas legere est, nempe rursum ad *Maximilianum Imperatorem*, ad *Danielem Archiepiscopum Moguntinum*, necnon ad *Archiepiscopum Trevirensem*.

Anno 1571. ipsum interfuisse Cardinalium Consistorio, ac Legationibus in eo decretis, testatur in suo Diario Cardinalis S. Severinae. Quia vero in eo ita promovit foedus ineundum contra Turcas, bellumque adversus ipsos gerendum, ut in sententia fuerit de mittendis Legatis vel ad ipsos discolos, ac haereticos etiam ad id invitandos, (quam quidem ejus opinionem nonnulli ex Cardinalibus improbaverant) ad eam comprobandam hasce caussas ac rationes adduxit:

„ Quod in Sacra Scriptura non „ erat prohibitum uti opera Infi- „ delium in gerendo aliquo bello; „ Et quod Machabaei viri strenui mi- „ serant Legatos ad Romanos & „ Spartiatas, qui erant Gentiles, „ & Infideles &c. Unde non cen- „ set absurdum esse, mitti Nun- „ cios & Legatos etiam ad Hae- „ reticos, & Schismaticos Princi- „ pes, & praesertim qui sunt Con- „ fessionis Augustanae, quia non „ sunt ita perversi sicut Sacramen- „ tarii, & alii, ut Comes Palati- „ nus; & ad eos, qui sunt disco- „ li, vel Schismatici, ut Dux Mo- „ scovitarum; et quod ad istos pos- „ sent mitti non in habitu, & Pon- „ tificalibus, sed privatim, quia „ haec esset occasio eos lucrifa- „ ciendi, & redeundi, & deve- „ niendi ad aliquam concordiam „ cum eis: & quod ad Sanctita- „ tem suam pertinebat cura illorum „ salutis, quam procurare debebat „ omni via, & modo: & quod ex „ hoc veniebat, ut vel reduceren- „ tur ad unitatem fidei, vel de- „ strui facilius possent. Nam aut „ nos erimus victores contra Tur- „ cas, & ipsi si pertinaces essent, „ possemus eos debellare; aut si „ Turcae nos vincerent, & ipsi „ quoque perditi & caesi essent; „ nam scriptum est: *Vindicabo me* „ *de inimicis meis*. Et plura alia „ peroravit in hanc Sententiam, ut „ invitarentur Haeretici per Lega- „ tos, & per medium aliorum Prin- „ cipum. "

Rebus tandem cum Tirolensi Comite compositis, *Ludovicus* noster possessionem Tridentini Principatus capessivit. In hanc rem vidi Sen-

ten-

tentiam latam in Imperii Comitiis die 5. Octobris 1576., Pactiones Tridenti publicatas die 3. Maji 1578. una cum Conventionibus, sive ut ajunt *Compactationibus*, *Georgii Hackii*, & *Joannis Hinderbachii*; easdem Pactiones iteratas & confirmatas Oeniponti die 16. Maji ejusdem anni 1578. inter *Ludovicum*, & Archiducem *Ferdinandum*, accedente ad illarum firmitatem Decano *Simone de Thunno*; Literas Procuratorias ipsiusmet Archiducis *Ferdinandi* datas Oeniponti die 15. Septembris praefati anni 1578.; Juramentum praestitum a Consulibus Tridentinae Civitatis Tridenti in Castro Boni Consilii die 20. Octobris 1578. &c. Quae quidem omnia diligenter collecta legi in MS. Codice in fol. Domini *Leonardi q. D. Stephani Florentinii* Notarii de Burgo Ausugano Saeculo XVII. ineunte, perhumaniter mihi a Domino *Petro Rosio* ejusdem Burgi exhibito.

His autem accessit *Rudolphi II.* Imperatoris, cui erat a consiliis, Regalium concessio sub datum Viennae die 2. Junii 1578. & Pragae die 13. Junii 1579., pro hac secunda agentibus Barone *Balthassare Trautsem*, ac *Georgio de Albertis* J. U. D., & Canonico Tridentino. Eodem an. 1579. sub *datum Tridenti in Arce Boni Consilii XI. Septembris* manavit ejusdem *Ludovici* Moderatio Affictuum, sive Censuum. Legere quoque est in MS. Catalogo: *In suo Tridentum primo accessu an. 1579. Synodum Generalem Tridenti habuit juxta Sacri Tridentini Decretum, eamque optimis institutis plenam publicari & imprimi voluit.* Sed de publicatione hac & impressione dicam postea.

Anno 1580. Cathedralem Ecclesiam Tridentinam visitavit, cujus Visitationis Acta per plures titulos longe producta, ad oculum ejus zelum pastoralem demonstrant. Heic unice indicare lubet, quod ipse in eadem Visitatione praescripsit ad hoc, ut *tempus a Divinis Officiis vacuum non transigatur inaniter*: nempe legenda *Sacra Biblia*, *Commentatorem aliquem*, *seu Glossam Ordinariam*, *seu Dionysium Cartusianum*, *Catechismum Latinum vel Italicum*, *aliquam Summam propter Casus Conscientiae*, *videlicet Armillam*, *vel Sylvestrinam*, *aut Angelicam*, *Rationale Divinorum Officiorum*, *Vitas Patrum*, *Landulphum de Vita Christi*, *Rituale Romanum de Sacramentis*, *Concilium Tridentinum*, *Constitutiones Synodales &c.*

Interfuerat idem *Ludovicus* modo ab eo memorato Oecumenico Tridentino Concilio, in quo multum laboravit tum pro componendis Saxonum Nunciis cum Concilio, cum pro sedando tumultu caussa Comitis Lunensis exorto: electus quoque ab ipsomet Concilio pro Reformatione Decreti de Residentia, ac tanti habitus a Romano Pontifice, ut ad suos Legatos literas dederit, quatenus ipsum magni facerent, atque in eo fiduciam haberent. Memoriae proditum legi adeo egregiam na-

navasse operam in eodem Concilio, *ut plurimum suo studio & consilio ultimas Concilii determinationes promoverit*, ita notante eo, qui ipsius Scripta, propria ejusdem manu exarata, vidit Tridenti in Aula Episcopali servata: necnon apud Caesarem invictis rationibus egisse, simulque obtinuisse, *ut Sacrosancti Concilii Tridentini Decreta publicarentur, unde Religio multis in locis pristinum splendorem assumpsit*. Constat etiam *Lutheri Dogmata, quae multis in locis jam sparsa erant, exstinxisse*. Adeo enim ipsum urgebat, urebatque catholicae fidei zelus, ut cum abesse a sua Dioecesi cogeretur, suo Generali Vicario in primis etiam atque etiam commendaret, ut *summam vigilantiam, indefessamque diligentiam* adhiberet pro avertendis haeresibus, proque eligendis Pastoribus, qui nulla earum suspicione laborarent; nulla etiam super hoc habita ratione eorum, qui jure patronatus nominari consueverant.

Hinc nullus ambigendi locus de eo, quod in ejusdem commendatione scripsit Marianus in suo *Trento* pag. 338. *Si segnalò non meno il di lui valor alla conclusione del detto Concilio, che alla Dieta d'Augusta, dove fu Legato per la santa Sede*. Diploma Germanicae Legationis manasse fertur a *Gregorio XIII*. Papa 3. Nonas Martias an. 1581. In eodem Diplomate *Gregorius* in nostri Card. *Ludovici* aequissimam laudem dixit: *ea enim tua est in Nos, & sanctam hanc Sedem fides, ea religio, is rerum usus, & prudentia, ac summa apud Germanicam Nationem, ubi virtus tua jam diu enituit, gratia, ut te maxime dignum existimaverimus, cujus egregia opera in hoc munere obeundo uteremur*. Nec una fuit, sed tribus Legationibus per Germaniam in caussa Fidei feliciter functus, supremusque contra Haereticos Inquisitor constitutus. De ipso ab eodem *Gregorio* misso, tamquam Legato a Latere, ad Augustana Comitia, haec panxit Engerdus:

Nuper ad Augustam missus Legatus ad Urbem
Gregorii, a Decimo tali qui nomine gaudet
Tertius, ostendit verum pietatis amorem,
Virtutisque decus verum, praesente Rudolpho
Caesare, & Imperii toto plaudente Senatu.

Anno 1583. prodiit in lucem praefati Cardinalis nostri *Rituale Sacramentorum ex Romanae Ecclesiae Ritu*. Anno 1593. fuerunt ejusdem *Constitutiones in Dioecesana Synodo promulgatae*, quas an. 1594. primo typis vulgavit Jo. Baptista Gelminus Tridenti absque Capitibus ac Notis marginalibus, iterumque anno & loco praedictis easdem publici juris fecit cum Capitibus & Notis marginalibus, nec non cum Auctario duorum Capitum, quorum alterum continet Cap. *Omnis utriusque sexus &c.*, alterum vero Casus re-

reservatos cum clausula in fine tenoris sequentis: *In omnibus suprascriptis Casibus Mulieres sunt absolvendae, nisi peccatum earundem fuerit publicum*, quemadmodum animadvertit D. *Angelus Antonius Rosminus* olim *Francisci Felicis* Vicarius in spiritualibus Generalis.

Constitutiones praecessit Synodus, ac Visitatio, cujus supra meminimus, necnon aliae *plures Visitationes*, quas *Ludovicus* ipse partim per se, partim per Deputatos idoneos viros obivit, uti testatur ejusdem Pastoralis illis praefixa, in qua etiam laudantur *Constitutiones bo. me. Cardinalis Bernardi, & plurium aliorum Praedecessorum*. In Visitatione autem generali, teste Vigilio de Vescovis in MS. ejusdem Cardinalis Vita, adhibuit operam *Feliciani* Episcopi Scalensis, Viri ex Ordine Praedicatorum doctissimi.

In praedictis vero Constitutionibus *Cap.* 30. idem *Ludovicus* suum prodidit desiderium ac zelum, nusquam satis laudandum, pro *stabiliendo ex sententia Sacri Concilii Tridentini Seminario*, adeo ut ultra *Prioratum Sanctae Crucis extra Muros Tridenti, & alia jam ante ad ipsum Seminarium destinata*, eidem applicanda & incorporanda censuerit (sine tamen praejudicio in praesentia possidentium) infrascripta Beneficia, *una cum oneribus suis*, videlicet: *Hospitale, seu Prioratum Campelii, cum suis annexis; Prioratum S. Thomae Ripae & Archi: Hospitale, seu Prioratum S. Hilarii Roboreti: Prioratum S. Margaritae Vallis Lagarinae: Hospitale, seu Prioratum S. Martini Tridenti: Prioratum S. Thomae in Plebe Romeni Vallis Annaniae: Prioratum, seu Capellam S. Brigidae in Plebe Maleti Vallis Solis: Prioratum in Tonalo: Beneficium S. Danielis Plebis Flavoni: Beneficium S. Galli in Plebe Revodi: Beneficium S. Lazari ibidem: Beneficium, seu Clericatum in Ecclesia Parochiali Leudri: Beneficium S. Jacobi de Atrono Plebis Thioni*. Interea vero temporis, donec cum effectu eadem Beneficia Seminario praedicto per vacationem accessissent, ut illius subsidio temporarie provideret, deputavit *Ven. & Nob. Hieronymum a Roccabruna Canonicum & Archidiaconum, necnon Hon. Presbyterum Pompeum Arnoldum Beneficiatum Ecclesiae S. Vigilii, Oeconomum suum, qui pro parte sua, pensatis necessariis sumptibus, una cum Ven. Nob. Sylvio de Prato, Canonico & Vicario suo Generali, ac Hon. Presbytero Bartholomaeo Bonetto, Deputatis pro parte Capituli, & Cleri Civitatis, definirent portionem ex Mensa Episcopali, & Capituli, ac fructibus quorumcumque Beneficiorum Tridentinae Dioecesis detrahendam, & eidem Seminario (ut praemittitur) medio hujusmodi tempore praestandam*.

Adeo ipsi fuit cordi praeconceptum hujuscemodi sacerrimum opus, tantamque curam ejusdem Seminarii rite instituendi gessit, ut in praefatis Actis Visitationis de anno 1580. loquens *de officio Summi Scholastici* dixerit: *Videat, ut Clerici Seminarii eousque quo de Seminario statui poterit*

rit juxta Concilii Tridentini praescriptum, in Cantu instruantur, utque in Choro decenter se habeant, & ad Chorum deducantur per ipsum Cantus Magistrum. Visitet saepe Scholam, curetque diligenter, ut illis praelegantur ea, ex quibus & eruditionis, & pietatis fiat accessio, utque ipsorum Magister suo officio incumbat. Videat etiam, ut provectioribus aliqua praelegantur de Casibus Conscientiae, ac per aliquem Theologum ad Positivam Theologiam introducantur.* Quid? quod certum quoque sit eumdem Cardinalem nostrum etiam atque etiam promovisse in Germania plurium erectionem Seminariorum, unde egregii Operarii in Vinea Domini prodiere. Hinc satis credibile est quod ait Vigilius de Vescovis, nempe quod eo ad propriae Tridentinae Ecclesiae clavum sedente, *missa barbarie, viri non minus doctrina, quam pietate cogniti, Parochiis, aliisque Ecclesiis praesidere, ac suis ovibus praeesse coeperunt.*

Anno 1584. *Ludovico* eodem auctore factum est quod profert albus lapis, nunc in Ecclesiae Cathedralis Coemeterio repositus, his verbis:

Locus hic, cum antea Divo Blasio & Luciae dicatus esset, redactus est sic in usum Sacrarii impensa Illmi & Rmi D. Ludovici S. R. E. tituli S. Honofrii Pbri Card. Madrutii Epi & Princ. Trident. ac Germaniae Protectoris in Urbe, Anno D. M. D. LXXXIIII.

Anno 1596. per *Bartholomaeum Pezzanum* Canonicum Trid., & *Jacobum Corradum* Plebanum Banali Decanumque Foraneum, visitavit Judicarias. Eodem an. 1596. literis ab eo Romae datis die 19. Octobris, suus Delegatus constitutus R. D. *Josephus Roboretus* Canonicus, & Vicarius Generalis Tridenti, sese praesentavit Synodo Aquilejensi congregatae eodem anno 1596. die 2. Novembris, in qua illud notatu dignum mihi videtur Decretum, quo ad abolendum omnem Ritum a Romano diversum dicitur: *Decernimus, ut in tota Aquilejensi Provincia in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, & aliis quibuscumque tam publice quam privatim in posterum Horae Canonicae ex Breviario Romano sub Pio V. edito recitentur: ac declaramus, recitantes obligationi recitandi Horas minime satisfacere, nisi de Breviario Romano illas recitarint. Quod item decernimus in Missali, Rituali Sacramentorum, & aliis observandum.*

Congregationi Germanicae sub *Innocentio IX.*, atque famosis Congregationibus *de Divinis Auxiliis* sub *Clemente VIII.* noster *Ludovicus* praefectus fuit, certe ob eam, qua eminebat, doctrinam, in tantae indaginis re omnino necessariam. Sane inquit citatus Catalogus MS. *Summus Theologus fuit, atque in omnium Scientiarum genere versatissimus.* Quia vero, teste eodem Catalogo, *maximam familiaritatem & amicitiam cum S. Carolo Borromaeo, & cum S. Philippo Nerio coluit, quem a sacris* Con-

Confessionibus habuit; hinc *conjici potest*, *quod non minus pietate*, *atque morum probitate*, *quam doctrina*, *sapientia*, *gravitate*, *eloquentia*, *singularis fuerit*. Hinc etiam ab Anonymo Tridentino vocatur *vitae integerrimae Vir*, *Theologus profundissimus*, *ac magni nominis Orator*. Ex amicitia & familiaritate praefatorum *Sanctorum Caroli* & *Philippi* tanta vitae morumque integritas ipsi accesserat, ut mirum neutiquam sit, si non mediocrem suorum redituum partem in caritatis opera singulis annis conferret, adeoque ex tot magnificis Legationibus, Officiis, Dignitatibus amplissimis nil, nisi solum nomen & gloriam Posteris, & Familiae reliquerit.

Ea gaudebat existimatione penes *Philippum II.* Hispaniarum Regem, ut testatum reliquerit *Arnaldus Cardinalis de Ossat* Gallus, vir non minus scientia, quam pietate toti Orbi notus, *Philippum tanti Ludovicum fecisse*, *ut arcana omnia*, *ea praecipue*, *quae Conclave*, *& novi Pontificis electionem concernerent*, *uni illi potius*, *quam aliis suis Legatis*, *ac Nationis Hispanicae Cardinalibus confideret*; *atque communicaret*. Ita relatum lego, nedum a Vigilio de Vescovis, sed & in alia Vita ab Anonymo scripta. Apud utrumque Auctorem additur, quod cum *ipse Rex Philippus insignia Ludovici merita perpendens cogitaret grati animi edere testimonia*, atque hoc *percommode*, *eodem tempore vacante Officio Proregis Neapolitani*, *sese obtulisset*, *missis literis patentibus eundem Proregem declaravit*. *Verum cum ipse adversa valetudine teneretur*, *ac continuis propemodum Podagrae doloribus*, *tantum onus*, *licet multa honoris atque emolumenti commoda secum traheret*, *subire recusavit*, *causas excusationis praetendens*, *adeo iniquam videlicet sui status conditionem fore*, *ut debito ex nova Dignitate profluenti satisfacere haud posset*.

Apud Romanam Curiam Germanicae Nationis Protector exstitit. Patribus Capuccinis, qui an. 1598. Tridentum venere, concessit Templum & Hospitale *S. Crucis* extra Portam Veronensem, quod Episcopi *Salomonis* tempore pro *Cruciferorum* Ordine fuerat erectum, illiusque *Prioratum* in Dioecesana Synodo ante quinquennium coacta pro Seminario destinatum edixerat.

Tandem anno 1600. die 2. Aprilis vita cessit Romae, cum esset Episcopus Tusculanus, sepultus in Ecclesia S. Honuphrii apud Patruum & Antecessorem suum *Christophorum*. De secundo hujusmodi Ecclesiae Sacello, B. M. V. Lauratanae sacro, relate ad *Ludovicum* nostrum, in *Monument. Histor. Ord. S. Hieron. Congreg. B. Petri de Pisis auctore Jo. Baptista Sajanello ejusdem Ord. & Cong. Rectore Generali*, *Patavii* 1762. *typis Jo. Bapt. Conzatti* To. 2. pag. 443. haec lego: *Capellam hanc..... sibi & Familiae adoptavit Ludovicus Madrutius*, *cum esset Ecclesiae Cardinalis Titularis*, *& Congregationis nostrae Protector* (destinatus apud eum-

dem

dem Cl. Sajanellum *To.* 1. *pag.* 369. a *Gregorio XIII.* an. 1584.) *in eaque successive repositi fuere tres hujus Familiae Cardinales..... Altari Privilegium perpetuum pro Animabus Defunctorum obtinuit a Gregorio XIII. Ludovicus Card. Madruccius praefatus an. 1576. die 11. Decembris.*

Ejus laudes longe aequissimas est egregie prosequutus jam memoratus *Inamius* Oratione funebri edita Tridenti an. 1600., in qua illud inter cetera plura laudi adscribit ejusdem Ludovici, *quod Beatum Simonem a Sacratissimo Pontifice Clemente VIII. in Divorum numero reponendum curarit &c.* Id ipsum praestitit *Hippolytus Guarinonius*, qui praeter reliqua ejus multa praeconia illud subdit, quod *sub optionem Sanctissimi Clementis Octavi idem Amplissimus Cardinalis Ludovicus communi omnium Amplissimorum Sacri Collegii Romani Patrum voto atque acclamatione, Summus Pontifex fuerit pronunciatus. Quem equidem eminentissimum tantae dignitatis apicem, venerandae jam canitiei, confectisque podagrico morbo viribus longe imparem se arbitratus, ea qua par est modestia rapudiavit.* Inamio & Guarinonio Synchronis accesserunt Oliverius de Oliveriis, Thomas Bellotus, Avancinus de Avancinis, Odoricus Joanellus, Joannes Donatus Michelettus, Donatus Gerardius, Bartholomaeus Tudeschius, Stephanus Pasius, Antonius Crosn, sive Crosinus &c., quorum laudationes edidit Tridenti an. 1600. Joannes Baptista de Gelminis, collegitque Ambrosius Francus Arcensis *Miscellaneorum Tomo primo*, quem perhumaniter nobis communicavit D. *Jacobus Morandus* Collegiatae Ecclesiae Arcensis Archipresbyter. Eisdem *Ludovici* laudatoribus addendus coaevus & ipse *Laurentius Beyerlinckius*, qui hocce illi adtexuit elogium: *Erat in omni genere disciplinae excellens, rarae virtutis, & prudentiae Episcopus, sic ut in eo nihil desiderari queat, quam ut Deus eum diu incolumen praeesse donet.* De eodem pariter cum laude scripserunt *Cabrera*, *Petramell.*, *Filiucc. in Elog. MS.*, *Nicol. Orlandin. in Hist. S. J.*, *Gabut. in Vita Pii V.*, *Guid. Card. Bentivol. in Memor. Historicis*, *Andr. Victorell. in Addit. ad Ciacon.*, *Ferdinand. Ughell. in Ital. Sac.*, *Sfortia Card. Pallavicin. in Hist. Conc. Trid.*, *Aubery in Vita*, *Vincentius Robardus in Gestis Quinquennal. Sixti V. &c.* Id ipsum praestitere *Theodorus Amaydenus*, de quo part. 1. pag. 488., & *Ludovicus Morerius* in suo Dictionario; nec non *Thomas Bonus* in Epistola super ejusdem Cardinalis obitu scripta ad *Evangelistam Carbonesium* defuncti Auditorem, part. 1. *delle Lettere Argute* pag. 159.

Hactenus laudatis S. R. E. Cardinalibus *Christophoro* & *Ludovico Madrutiis* dicavit S. Augustini Opera per Theologos Lovanienses ex MSS. Codicibus emendata, ac in lucem edita anno 1586. *Christophorus Plantinus*, in cujus nuncupatoriis literis legere est: *cujus quidem honoris ampli-*

plitudinem (scilicet ut ejusdem Sancti Doctoris Opera sub felici eorum auspicio ita prodirent) *commemorabilis animi vestri pietas cum pari eruditionis laude conjuncta, praecipuaque generis inter Germaniae Principes, ortusque vestri claritas, jure sibi optimo, nostro judicio, vindicant*. Eidem Card. Ludovico F. *Bonaventura Manentus* Conventualis Franciscanus Commentaria *Petri Tatareti* in quatuor Libros Sententiarum, & *Joannes Baptista de Cavaleriis*, qui fuit Doctor, & Consul Tridenti, suum primum & secundum Librum *Antiquarum Statuarum Urbis Romae* nuncuparunt: uti quoque celebris Jurisconsultus *Andreas Viscardus* quoddam Opus suum, quemadmodum arguere licet ex Epistola apud supra laudatum P. Gasparium pag. 149. ac seq., cui subscriptus legitur *il Cardinal Madruccio*, quo quidem titulo indicari solebat *Ludovicus*, ad distinctionem *Christophori*, qui sub titulo *di Cardinal di Trento*, ad mortem usque enunciari consuevit.

Quare ad laudatum *Ludovicum* directae sunt Epistolae praedicti *Thomae Boni* Civis Lucensis, tametsi solummodo inscriptae *al Cardinale Madruzzi*, quibus enixe petit, ut eum jam triennio in ejusdem Cardinalis Seminario Sabinensi juvenes docuerit, ab hujusmodi onere ipsum eximere dignaretur. Videsis Libellum, cui tit. *Lettere Argute* editum Venetiis an. 1603. apud Marcum Guariscum, part. 1. pag. 105. ac 133. Ad ipsum *Ludovicum* spectare quoque videtur, quod Cl. Comes *Frid. Altbanus* in suo erudito Opusculo inscripto *Memorie intorno alla Vita, ed alle Opere di Pomponio Amalteo* notat, videlicet Literatum ac Nobilem virum *Hieronymum Caesarinum de S. Vito* fuisse *molto caro al Cardinal Madruccio di Trento, nella Corte di cui ci visse parecchi anni*.

Eodem *Ludovico* adhuc vivente erectum est Propugnaculum ante Portam Veronensem, seu S. Crucis Tridenti, cum Inscriptione:

Ludovico Madrutio
S. R. E. Card. Episc. Triden. Principi Benemerenti
Pos. M. DXCV.

Sub ipso claruit *Joannes Gentilottus, quem plurimos jam annos etiam in Polonia militasse, fortiterque ac strenue se gessisse, ut rei militaris Praefecturam non sine laude obierit*, testatum reliquit *Rudolphus II.* Romanorum Imperator in Literis ad *Sigismundum III.* Poloniae Regem datis in Arce Regia Pragae die ult. Maji 1592., quibus eidem Regi laudatum *Gentilottum* impense commendat. Videri possunt in *Literis Procerum Europae* Part. III. pag. m. 1092. ac seqq. Claruit quoque sub eodem Card. *Ludovico*, atque e vivis abiit *Julius Alexandrinus a Neustain*, filius *Petri Alexandrini* J. U. Doctoris, Apostolici & Caesarei Comitis, ac Imperialis Secre-

cretarii, vir Latine, Graeceque doctus, Imperatorum *Ferdinandi*, *Maximiliani II.*, & *Rodulphi II.* Protophysicus, ac pluribus Operibus clarus. De quo Cl. Jacobus Tartarottus in suo *Saggio della Biblioteca Tirolese* pag. 61. Laudatur etiam a Gerardo Mercatore in suo *Atlante* pag. m.265. inter eos, qui *Viennae clari fuere*; & in *Dizionario Geografico Portatile*, edit. Ven. 1757. verbo *Trento*. Floruerunt quoque *Joannes Thomas Baro a Spaur* Episcopus Brixinensis, & *Ursinus* de *Bertis* Tridentinus, Episcopus Tergesti.

Ejusdem Cardinalis Ludovici tempore habemus pleraque Tridentinis typis publici juris facta a *Ludovico Borojo*, seu *Borogio* de Gavatio haud vulgari inter Franciscanos Observantes Theologo, ab *Ambrosio Franco* Arcensi, Poëta, Historiographo, ac Hebraicae Linguae studioso, ab *Octavio Roboreto* Tridentino haud obscuri nominis Medico &c. Eodem tempore, scilicet ad an. 1578., erat Vice-Rector Prioratus Campeji Frater Baptista Pasius de Limono Franciscanus.

XCVIII. CAROLUS.

Dictus etiam *Carolus Gaudentius*, ex iisdem Baronibus de *Madrutio*, natus in Castro *Issognii* Vallis Augustae, Ducatus Sabaudiae, anno 1562. patre *Joanne Friderico Madrutio*, Comite de *Chalant*, Sacrae Caesarae Majestatis apud S. Apostolicam Sedem Oratore, ac matre *Isabella* filia *Renati* Comitis de *Chalant*, & *Mentiae* Principissae *Bragantiae* ac *Lusitaniae*.

Memoriae prodidit Cl. Vigilius de Vescovis praedictum *Joannem Fridericum* Canonicatum Tridentinum obtinuisse, ac postea animo ducendae uxoris resignasse *Joanni Bettae de Revodo Parocho Medii Coronae*, qui tandem *sic ejus meritis postulantibus ad Episcopatum Tergestinum evectus fuit*; perperam ab Ughello in Tergestinis *Berta* appellatus.

Itaque noster *Carolus* Ipporegiae apud quemdam Sacerdotem posuit prima literarum rudimenta; Humanioribus vero ac Philosophiae operam navavit in Academia Ingolstadiensi, ubi Rectoris Magnifici munus obivit anno 1583., quo anno *Joannes Engerdus* Caesareus Poëta laureatus eidem dicavit Carmen; cui titulus *Madruciados Libri tres*, ac *Jacobus Fischerus* Hirspergensis Silesius Poëta *Paraeneticum Poëma De Laudibus Madrutiae Gentis*. Tandem in Ticinensi Gymnasio Theologiae, ac Jurisprudentiae studuit, ubi etiam Doctoratus Insignia suscepit.

Dum autem in hujusmodi studiis versaretur, Abbatiam S. Christophori *de Bergamasca* apud Niciam *della Paglia*, cum Prioratu S. Ursi Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini in Valle Augusta, habere permissus est; paulo post pinguem Abbatiam quoque S. Pauli in Dioecesi *Bisontina* per resignatio-

nem

nem Cardinalis *Ludovici* administrandam obtinuit, & inter Canonicos Tridentinos cooptari meruit.

Cum autem idem Cardinalis Ludovicus ob ingravescentem aetatem, notoriam infirmitatem, & gravia in Romana Curia negotia, Tridentinae Ecclesiae onus ferre ultra non posset, accedente Tridentini Capituli consensu, eidem a *Clemente VIII.* suffectus fuit in Coadjutorem, & Administratorem, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, cum futura successione, ideoque nominatus Episcopus Smirnensis an. 1595. die 23. Octobris. In suscipienda vero hujuscemodi administrationis possessione tanta populi multitudo confluxit, tanta laetitia, tantaque solemnitas facta est, ut similis raro ante contigerit.

Anno mox sequente 1596. die 24. Januarii praedictus *Clemens* Papa VIII. eidem Carolo *confirmavit Pensionem* 2000. *Ducatorum super fructibus Ecclesiae Toletanae in Regno Hispaniarum*; quo anno die undecima Februarii fertur consecratus ab Episcopis Chiemensi, Feltrensi, & Veronensi.

Itaque anno 1600. die 26. Aprilis praestito ex Summi Pontificis praescripto in manibus D. *Aliprandi Madrutii* Tridentini Decani juramento, Tridentinas Infulas plene est consequutus, gratulatoriam Orationem recitante Canonico *Bertramo Pezzano*, ac mirifice plaudente Civitate universa, quae haud minus quam tres triumphales Arcus eidem erexit, in quorum uno legere erat:

Aurea speramus te Principe Saecula nostro,
Candida corde inerit tempus in omne fides &c.

Anno 1603. seu potius 1604. in Collegium Purpuratorum Patrum cooptatus, Galerum eidem detulit Comes *Marcus Sitticus de Altemps*, postea Salisburgensis Archiepiscopus. Anno 1605. die 20. Octobris dirimendam curavit famigeratam controversiam circa Confinia, cum esset in ferenda Sententia ex parte sua, & Serenissimorum Archiducum, Commissarius electus & deputatus *Joannes Gaudentius Baro Madrutius*, ex parte vero Serenissimae Venetorum Reipublicae *Nicolaus Contarenus Senator*.

Anno 1606. die 18. Septembris Sacra Congregatio ipsi judicium commisit, ut servatis de jure servandis, novi Perginensis Conventus S. Francisci Fratrum Minorum strictioris Observantiae erectionem concluderet. Hinc proxime sequenti anno 1607. die 7. Februarii, edito hac super re Decreto, destinavit *Hieronymum Roccabrunam* Cathedralis Ecclesiae Tridentinae Canonicum & Archidiaconum pro inibi primo lapide angulari ponendo.

Anno 1609. Idibus Januariis Tridenti ex Arce B. C. ab eo manavit *Forma constituendi Census in Episcopatu Tridentino*, & *Declaratio nonnul-*

nullorum Casuum, *& Contractuum illicitorum*, *juxta Intentionem datam in Synodo Dioecesana sub Cap.* 64. *de Usuris & illicitis Contractibus habita de anno* 1593. Eodem anno 1609. die 3. Julii ex praefata Arce Boni Consilii ab ipso prodiit *Confirmatio Reformationis & Regulationis Feriarum atque Vacationum annuatim occurrentium in Auditoriis Tridentinis*, nec non *Taxa & Moderatio Mercedum Commilitonis ac Officialium Curiae Tridentinae in Causis & Executionibus Civilibus & Criminalibus*. Eo ipso an. 1609. die 28. Decembris interfuit solemni Translationi Corporis B. *Simonis* Innocentis Martyris ad Arcam marmoream.

An. 1611. die 24. Febr. sub interminatione Triremium per suas literas prohibuit proclamationes matrimoniorum die ult. Febr. ac primo Martii fieri solitas, & vulgo *Gridar Marzo* nuncupatas.

Anno 1613., vel ut habet Vigilius de Vescovis, anno 1612., a *Paulo V.* Pontifice Legatus a Latere ad Imperialia Comitia Ratisbonam missus (ipsum *Jo. Gaudentio Madrutio* cum apparatu splendidissimo comitante) ad felicem adeo exitum magna negotia sibi commissa perduxit, ut in omnium ore, cordeque versaretur.

Anno 1614. ab Imperatore *Mathia* obtinuit ampliationem Privilegii jam a suo Praedecessore *Ludovico* impetrati, ne fieret provocatio ad Tribunalia Imperii, vel Spirae, si causa discutienda non adscenderet ad summam quingentorum Rhenensium aureorum, qui mille conficiunt. Anno 1618. mense Junio auferri mandavit Altaria columnis Ecclesiae Cathedralis adfixa, & a partibus parietum utrimque collocari, qua occasione sepulcrum Episcopi *Hinderbachii* sublatum fuit.

Anno 1619. pridie Calendas Februarias in Generali Congregatione Sanctae Romanae & Universalis Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram *Paulo* Papa Quinto, eidem Cardinali *Carolo*, ejusque Officiali, seu Vicario in Spiritualibus Generali tunc ac pro tempore exsistenti, ampla quidem, sed ad quinquennium dumtaxat duratura concessa est *facultas absolvendi*, *& recipiendi Haereticos redeuntes & poenitentes*. Quandoquidem eo zelo Apostolico exarsit contra Haereses a *Philippo Melanchtone*, aliisque Heterodoxis Saiurni tempore Concilii Tridentini diutius consistentibus, neque ultra ad ipsum accedere audentibus, disseminatas, altioresque radices agentes per Libros in vulgus emissos ab haereticis Mercatoribus, praesertim Augustanis ac Norimbergensibus, Bulsani Nundinas frequentantibus; eo, inquam, zelo Apostolico exarsit, ut in Pastorali Visitatione per Athesinum Agrum facta, nihil non egerit pro illis penitus exterminandis; quod ei ex sententia auspicato cessit, favore potissimum Archiducis *Maximiliani* Tirolis Comitis.

Quo

Quocirca magna sibi nominis celebritate comparata, urgenteque Hispaniae Rege, & ipso Romanorum Imperatore, Romam se contulit eorumdem Minister, ac Germaniae Protector, illucque anno 1620. pervenit, commodissimo sane tempore; nam mortuo *Paulo V.* Pontifice ita in Conclavi egit, ut *Cardinalis Ludovisius* sub nomine *Gregorii XV.* summus Pontifex eligeretur, *Vir* (verba sunt MS. Catalogi) *Domui Austriacae optime affectus, sub quo & Bohemorum vires penitus fractae, Rhaetorumque conatus contra Catholicos oppressi sunt.*

Anno 1625. die 28. Novembris ad ejusdem Cardinalis & Episcopi mandatum prodiit famosa *Constitutio*, dicta *Carolina*, *circa Taxam Mercedum*, *& Honorarii DD. Praetorum Tridenti*. Anno 1627. die 6. Maji Oeniponti manarunt Pactiones Transactionesque confirmatae inter laudatum Cardinalem, & *Hieronymum de Roccabruna* Decanum ex una, & inter Archiducem *Leopoldum* ex altera parte. Anno 1628. eodem *Carolo* Mecoenate instituta est Tridenti in Domo Nobilium *Alexandrinorum* publica Academia sub titulo *degli Accesi*. Academicorum nomina videsis apud Marianum in *Trento* pag. 347. ac seq.

Postremo Romae anno 1629. die 14. Augusti, cum esset Episcopus Sabinensis, mortalitatem deposuit, sexagenario major, & cum Patre suo, suisque Praedecessoribus *Christophoro* ac *Ludovico* in Ecclesia S. Honuphrii sepultus, utpote cujus Sacellum ipse instaurari curaverat, anaglyptico opere ornari, auro & picturis decorari, & Aram ex selectis marmoribus construi. Accepi hanc ibi exstare Inscriptionem:

Carolus Madrutius
Episcopus incboavit
Cardinalis perfecit.

De quo sane testatur etiam Breve *Clementis VIII.* an. 1601. die 19. Novemb., ubi legitur: „ Cum „ sicut accepimus Dilecti Filii Prior „ & Conventus Domus S. Honuphrii de Urbe unam Capellam „ sitam in eorum Ecclesia, ubi bo„ nae memoriae *Cardinalis Tridentini*, & *Madrutii*, ac *Joannis Friderici* olim Caesareae Majestatis „ apud Sedem Apostolicam Orato„ ris, Cadavera sepulta sunt, Ve„ nerabili Fratri *Carolo Madrutio* „ Episcopo Tridentino concesserint, „ atque dictus *Carolus* Episcopus „ Capellam praedictam extollere, „ atque ibi suorum Majorum se„ pulcra erigere decreverit &c. “

Optime quoque mereri studuit de Coenobio & Ecclesia B. M. V. Inviolatae apud Urbem Ripae ad Lacum Benacensem Congregationis Pisanae jam memoratae. Ea fuit singulari animi modestia, ut laudabilia agere maluerit, quam laudari: ea in Amicos liberalitate, ut eamdem erga Christi pauperes magis ac magis ostenderit: ea vitae integri-

gritate; ut Pasquinus, Romanus Momus, Principum osor acrosor, nullum ei vitium, praeter unam dicendi libertatem, & quod Psittacum Canemque in deliciis haberet, impegerit. Constat Joannem Antonium Maginum eidem dedicasse suam Tabulam Geographicam Territorii Tridentini, Jacobum Sarzinam Typographum Venetum anno 1619. suam Editionem Commentariorum in Job Joannis de Pineda, & Franciscum Rugerium Cl. Reg. de Somascha an. 1625. Declamationes &c.

Missis pluribus, qui *Carolum* nostrum meritis laudibus extulere, quos inter ex exteris Joannes Engerdus, Jacobus Fischerus, Ciaconius Oldoini, Ferdinandus Ughellus, Marcus Battalinus, Ludovicus Morerius, & ex nostratibus Canonicus Bertramus Pezzanus, Hippolytus Guarinonius, Nicolaus Inamius, Vigilius de Vescovis, Anonymus Tridentinus, praestat audire supra memorati MS. Catalogi Auctorem: „ Partes omnes (*inquit*) optimi Pastoris adimplevit. Dioecesim multis in locis infectam purgavit. Patres Somaschos in Urbem pro instruenda Juventute, & praecipue pro Seminario Clericorum induxit. Numquam Tridentina Civitas plures, & doctiores Sacerdotes, seu Animarum Pastores habuit, cum ipse Episcopus bonarum Animarum & Virorum doctorum esset amator. Vir alias fuit excellentissimus, & magni animi, ut vere natus Princeps, ac altos spiritus imbibisse a natura videretur. Proinde Aulam copiosam semper habuit, & splendidam, sive personas, sive cultum aspicias &c. In Aula Romana inter Primates locum magnanimitate, splendore, & prudentia sibi paravit. Ille unus, qui animi candore, atque ingenuitate prae caeteris excelleret; Germanico more libere, quae animo volvebat, sine haesitatione & ambagibus proferendo: unde contigit saepe, ut Cardinales ea, quae Pontifici alias nota fieri vellent, auribus ejus non grata, per Cardinalem *Carolum* exponerent. Romae quamdiu vixit, Austriacae Domus sibi ab Imperatore, & Hispaniarum Rege commendata negotia egregie & felicissime semper promovit. Nationis Germanicae Protector id etiam elaboravit, ut illius Concordata servarentur intacta. Accedentes Romam Germanos omni, qua potuit, ope, vel honore excepit &c. “

Sub eodem Antistite literis floruere, praeter supra laudatos, etiam *Bartholomaeus Taccbellus* Arcensis, Jurisconsultus, Philosophus, Poëta, & suae Patriae Canonicus, necnon *Innocentius de Prato* Patricius Tridentinus, ac Dominus Segunzani, & Historiographus, defunctus Calendis Sept. 1615., ut alios plures omittam, quos Anonymus Tridentinus commemorat, nempe *Alexandrum de Albertis de* Enno,

Enno, *Vincentium Calavinum*, *Franciscum de Fatis &c.*

Anno 1622. *Vincentius Crosn*, sive *Crosinus*, legasse legitur *octo mille & septingentos Florenos Patribus Societatis*, ut *ex his Logicam & Casus Conscientiae in Tridentino Gymnasio erigant*. Fuisse dicitur *Minister Status Alberti Ducis Bavariae*, *dein Electoris*, necnon *Maximiliani Bavariae Ducis*, atque *Paridis Comitis Lodroni*, *Canonici Tridentini*, *& Archiepiscopi Salisburgensis Consiliarius*.

Anno eodem 1622. die 25. Januarii accidit solemnis transitus per Tridentum *Eleonorae Gonzagae* Sponsae Imperatoris *Ferdinandi II.* Vide, si lubet, Marianum in *Trento* pag. 370. e seq.

XCIX. CAROLUS EMMANUEL.

Ex eadem *Madrutiorum* Familia, natus Issognii Comitatus Chalanti in Sabaudia, Nonis Novembribus an. 1599. patre *Emmanuele Renato*, *Joannis Friderici* filio, Viro Martis, Musarum, Mathematicarum Disciplinarum, ac succisivis horis etiam Pictoriae Artis studioso; matre vero *Filiberta* filia *Francisci* Marchionis *de la Chambre*, baptizatus a *Bartholomaeo Ferrerio* Augustae Praetoriae Episcopo, atque susceptus a *Carolo Emmanuele* Sabaudiae Duce.

Cum esset octennis in Ripensi Civitate Tridentini Principatus, ejus curam habere coepit *Joannes Gaudentius Madrutius*, qui inibi Arcis Praefecti, sive, ut ajunt, Capitanei munere fungebatur. Tum Monachii Linguam Germanicam, ac Latinam edoctus, Ingolstadium transiit, Rhetoricae, Philosophiaeque operam navaturus; ubi vel ob castissimos mores, atque integerrimam vitam omnibus admirationi erat, & honori. Tametsi autem absolvendi Theologica studia (in quae magis propendebat) in Germania ipsa desiderio flagraret, vel invito eidem petendum fuit Perusium, unde summis Jurisprudentiae honoribus obtentis, Tridentum revocatur anno 1618. jam inter Tridentinos ac Brixinenses Canonicos adgregatus, & a Summo Pontifice Abbas Commendatarius Abbatiae S. Christophori Niciae *della Paglia* declaratus.

Anno 1621. ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem fuit promotus, & anno 1622. die 2. Julii Patruo Cardinali a Capitulo Tridentino, nempe *Hieronymo Roccabruna* Decano, *Joanne Baptista Melchiorio* Seniore, & Archidiacono, *Ernesto Trappio* Barone Biseni & Caldonatii, *Hippolyto* Barone de *Wolckenstain*, *Nicolao* Barone de *Wolckenstain* Episcopo Chiemensi, *Mathia Stetnero* Poenitentiario, *Horatio Guariscbeto* J. V. D. & Equite Aurato, *Petro Bello* Episcopo Hieropolitano, *Joanne Paulo Ziurleta* Episcopo Biblicensi, *Constantino* Comite de *Liechtenstain*, & Barone Castri Cornu, nec non *Jacobo Antonio Rigoto* Protonotario Apostolico, datus est Co-

adju-

ad jutor cum futura Successione: quam electionem ratam habuit *Gregorius XV.* Papa ipsomet anno 1622. nono Cal. Septembris Romae apud Sanctam Mariam Majorem, eumdem *Carolum Emmanuelem* constituendo Administratorem in spiritualibus & temporalibus Ecclesiae Tridentinae, ac cum ad trigesimum aetatis annum pervenerit, in Episcopum Aureliopolitanum eligendo, quousque decedente ejus Patruo *Carolo Cardinali & Episcopo Tridentino*, fuerit Infulas Tridentinas adeptus.

Anno 1627. (teste Auctore cit. MS. Catalogi) fit Sacerdos die SS. Apostolorum Simonis & Judae, Dominica subsequente Episcopus Aureliopolitanus consecratur, ac die proxima Omnium Sanctorum Primitias obtulit. Anno 1629. die 4. Januarii a memorato Patruo suo, confirmante *Urbano VIII.*, ipsi Episcopatus Tridentinus fuit integre resignatus; anno autem 1630. die 21. Maji possessionem iniit. Hinc Opella inscripta *Madrutia Tempe, seu Gentis, ac Virtutis Madrutiae palmaria Decora*, dicitur a *Societate Jesu Tridentina* publici juris facta, editaque Tridenti per Joannem Albertum an. 1630. cum idem *Carolus Emmanuel Madrutius Episcopus Tridentinus, S. R. I. Princeps authoraretur*. Tempore nempe non tantum ob bellum Suecicum, ac Mantuanum, sed etiam ob pestem prorsus infesto; quippe in MS. Catalogo legere est: „ Anno 1629. per resignationem „ Episcopus Tridentinus esse coepit, „ qui fuit pestilentiali lue per totam „ Italiam insignis, quae dum Tri„ denti grassatur, ipse in Vallem „ Ananiae ad suum Castrum Nan„ ni concessit, ubi integrum annum „ mansit non otiosus; totam enim „ Vallem, & adjacentem Vallem So„ lis visitavit." In cujus rei confirmationem in alio MS. ad an. 1631. comperi ea occasione iteratis vicibus ad Cogulum in eadem Valle Solis divertisse, atque a Dominis *Migatiis* una cum quadraginta personis, ac equis vigintisex, fuisse perhonorifice exceptum, ut mirum proinde non sit, si eosdem Privilegiis auxerit. Praedicto an. 1631. Calendis Octobris Tridenti literas dedit pro erectione Coenobii Clesensis in Anaunia Ordinis Minorum strictioris Observantiae.

Anno 1632. (sive ut ab aliis refertur 1633.) visitavit Vallem Judicariensem, ac Randenam, & omnia loca Decanatus Benacensis. Quo an. 1633. die 2. Augusti consecravit Altare *S. Francisci* Confessoris in Ecclesia Campi, in eo recondendo Reliquias *SS. Olivi Martyris, & Romedii Confessoris.* Anno 1636. totam Vallem Lagarinam perlustravit; Athesinam autem Suffraganeo Brixinensi, & Vicario commisit. Eodem an. 1636. die 28. Maji ipsemet *Carolus Emmanuel* consecravit Ecclesiam B. M. V. Inviolatae apud Ripam Ordinis Hieronymiani; die vero sequenti 31. ejusdem mensis & anni dedicavit quatuor Altaria Capellarum ipsius Ec-

clesiae, adhibitis etiam Reliquiis *S. Romedii*, teste Cl. P. Sajanello *To.* 3. *Monum. ejusd. Ord. pag.* 418. *ac seq.* Quia vero eo ipsomet anno 1636. contigit Villae *Setauri* in Burgum erectio, lubeat Diploma sequens audire:

„ *Carolus Emmanuel Madrutius* Dei Gratia Episcopus Princepsque „ Tridenti. Universis & singulis praesentes lecturis & auditaris salutem „ in Domino. Plurimum ad Principis magnificentiam & gloriam atti- „ nere arbitramur, si quando in Subditis suis fidei integritatem, sum- „ mamque obsequendi promptitudinem expertus fuerit, ut hos condi- „ gnis favoribus & gratiis prosequatur & extollat. Hinc est, quod „ etsi nostros omnes Subditos paterno quodam affectu simul complecta- „ mur, & singulis pariter prodesse velimus, speciali tamen quadam in- „ clinatione movemur, & non immerito, versus Fideles nostros perdi- „ lectos Homines Terrae nostrae *Setauri*, quorum prompta obedientia, „ & fidelia obsequia erga Personam, Ecclesiamque nostram, tum ipsa „ Nobis comperta, tum etiam per *Fidelem Nobis dilectum Pasinum Sal- „ votum Civem nostrum Trid. & ex dicto Municipio Setauri originarium* in „ mentem humiliter revocata, Nos inducunt ad eosdem favoribus & „ gratiis prosequendos: utque apud eos, eorumve posteros jugis sit me- „ moria nostri, eisdem Hominibus, eorumque Successoribus in infini- „ tum, ex certa animi nostri scientia, & motu proprio, concedimus ut „ infra. Et primo volumus & decernimus, quod de caetero in omni- „ bus Actibus & Instrumentis publicis & privatis dicta Terra *Setauri* „ Burgi nomine decoretur, & non amplius *Terra*, sed *Burgum Setauri* „ nominetur, ut nomen Loci Hominum etiam qualitati correspondeat, „ prout ex nunc & in futurum Locum praedictum in *Burgum* erigimus, „ & ab omnibus recognosci & nominari volumus & jubemus. Insuper „ ex speciali gratia nostra, ac proprio motu, eisdem Hominibus Burgi „ nostri *Setauri* concedimus & indulgemus, quod Officium Vicariatus „ ejusdem Burgi de uno anno ad duos se extendat, ita ut ejusdem „ Consules non teneantur, nec compelli possint ad novi Vicarii prae- „ sentationem faciendam, nisi expleto cujuslibet novi Vicarii singulo „ biennio; quodve ejus Vicarii Jurisdictio se extendat & extendere de- „ beat ad summam Florenorum ducentorum, & in Causis Civilibus di- „ ctam summam Florenorum ducentorum non excedentibus, Vicarius, „ qui pro tempore fuerit, Jurisdictionem suam ordinariam deinceps, „ omni exceptione & contradictione remota, libere exercere possit & „ valeat. Volentes & jubentes praedictos Fideles nostros de *Setauro* „ adversus hujusce gratiosi nostri Privilegii & Concessionis paginam non „ mole-

„ molestari, nec perturbari, sub poena indignationis nostrae, & marcarum 100. Fisco nostro pro medietate, & altera medietate ipsis Hominibus applicanda. In quorum fidem & testimonium praesentes Litteras fieri, nostrique Sigilli jussimus & fecimus appensione communiri.

„ Dabantur Trid. in Arce Nostra Boni Consilii die prima Decembris 1636.

„ Ad mandatum Illustriss. & Reverendissimi Domini
„ Domini Episc. ac Princ. Trid. proprium &c.
„ *Felix Alberti Cancellarius &c.* "

Anno 1644. visitavit Vallem Flemmarum. Anno 1648. incredibiles sumptus fecit in adventu Tridentum *Ferdinandi III.* Hungariae, & Romanorum Regis Electi, necnon ejusdem sororis *Mariae Annae* electae Sponsae *Philippi IV.* Regis Catholici, haud absque frequentissima aula, dum apud eum hospitio honorificentissimo a die 21. Decembris praedicti anni 1648. ad diem usque 19. Maji 1649. permansere. Anno 1652. die 24. Augusti a Sacra Rituum Congregatione obtinuit approbationem, & concessionem Officii proprii *S. Vigilii Episcopi Trid. & Martyris*.

Anno 1655. per Tridentinam viciniam pariter visitationem obivit. Quo anno cum die 3. Novembris *Christina* Sueciae Regina coram *Luca Holstenio* Apostolico *Alexandri VII.* Nuncio Haeresim Oeniponti ejurasset, eamque noster *Carolus Emmanuel* per *Joannem Georgium Baronem de Firmian* enixe invitasset, ut Tridenti congruum in transitu hospitium haberet, ipsam ea qua par erat magnificentia suscepit. Ac sane, coaevo Catalogo MS. teste, sub eo fuere *annui quodammodo Principum transitus, quos semper apparatu regio excepit*; memoranturque in cit. MS. etiam transivisse tunc per has partes *duae Imperatrices, Magnus Etruriae Dux bis cum Fratribus & Matre, Leopoldus Archidux Austriae, Claudia Medicea, Ferdinandus Carolus cum fratre Sigismundo Austriae Archiduces, Anna Medicea Bavariae Ducissa, Adelais ex Sabaudia, Dux Lotharingiae, Dux Mantuae &c. alii Principes, Legati, Nuncii, Episcopi, Cardinales, quorum ingens est numerus.*

Ex ejusdem nostri Praesulis indulto *Patres Societatis Jesu primum in Civitate Tridentina domicilium suum invexerunt, & Patres Carmelitani Ordinis Discalceati in loco ALLE LASTE extra muros, suppeditante pro Monasterio expensas Mathia Galasso Exercitus Caesarei contra Suecos Generali Ductore &c.* defuncto

Vien-

Viennae in Austria 7. Cal. Majas 1647., translato Tridentum, & in Sacello Divi Simonis Innocentis apud Ecclesiam Parochialem SS. Petri & Pauli, intra plumbeam arcam tumulato, adjecta postea in ejus honorem prolixa emortuali Inscriptione.

Tamdem laudatus *Carolus Emmanuel*, postquam per ardua, prospera, & adversa diu jactatus, constantis animi, ac humanae quoque imbecillitatis, plura dedisset exempla, extinctus est Tridenti anno 1658. die Dominico 15. Decembris de mane, circa horam nonam, ex Syncope vomica, id est cordis compressione, ut a Physicis creditum, ac in Cathedrali Tridentina Ecclesia, inque *Bernardi Clesii* sepulcro tumulatus, post Exsequias per triduum magnifice celebratas, Oationes funebres recitantibus P. M. *Aurelio Ferraccio* Ord. Min. Convent., & P. D. *Thoma de Clericis* Congr. Cl. Reg. de Somascha. Inter plura Elogia ejus Pegmati funebri (vulgo *Catafalco*) appensa, illud heic relatu dignum mihi videtur:

Sat moeroris, sat luctus.
Principem vestrum jacere creditis, erratis.
stat.
Et quidem in magna constantia.
Tot laboribus exantlatis,
Ubique Victor,
Sed potissimum sui.
Congruum erat, ut quiesceret,
Et si cum Vigilio vigilavit,
cum Vigilio obdormiret.
Quiescit Carolus, non est mortuus,
nisi tempori:
aeternitati superstes,
miserationi nullum,
omnem invidiae locum
fecit.

Eidem

Eidem inscripsit an. 1639. suum Opus *dell'Antica Religione de' Camuni* Petrus Paulus Ormanicus, & *Aerarium Philosophiae Mathematicae* P. Marius Bettinus S. J. Bononiae die 7. Martii an. 1643. Nuncupatoriae Epistolae praefixa cernitur nostri Praesulis Effigies, cui succedit titulus iste: *Illustrissimo ac Reverendissimo D. Carolo Emmanueli Madruzzio Tridentinorum Episcopo & Principi*, *Chiallanti*, *Avii &c. Comiti*, *Novocomi S. Abundii Abbati &c.* Ipsi pariter tamquam *Franciscadum Patrono ac Fautori munificentissimo* dicarunt Positiones suas *de Deo Uno*, *Trino*, *& Homine*, an. 1653. die 6. Augusti Fr. Silvester Moraschinus de Murio Lector Generalis, & Fr. Antonius Gislimbertus de Avisio Artium & Philosophiae Lector, Ordinis Minorum strictioris Observ. Prov. S. Vigilii Alumni. Editae fuerunt *Viennae in Austria*.

Inter Epigrammata *Joannis Savioli* J. V. D. Nob. Roboretani, ac postea viri religiosi Ord. Min. Capuc. sub nomine *F. Bonaventurae*, ad summos directa viros, extant etiam nostro *Carolo Emmanueli Madrutio Episcopo Tridentino* inscripta. De quo haec literis consignavit coaevus oculatusque testis Vigilius de Vescovis in suis MSS. Commentariis: „ Vir fuit omnibus virtutibus praeditus, memoriae ad miraculum profundissimae, „ ac propterea multae litteraturae, „ facilis, aditu omnibus permisso, „ patiens audiendo, justitiae acerrimus cultor; erga pauperes misericors; Ecclesiae imperterritus defensor; ad iram non pronus; natura lenis, humilis, ut non dedignaretur cum rusticis ad multas horas conversari. Orationi plurimum addictus, piisque operibus intentus; erga B. M. V. & S. Antonium de Padua singulari devotione, erga Animas Purgatorii misericors, pro quibus sexaginta milia Missarum ejus jussu celebrata reperiuntur. Denique vir talis fuit, ut sola maritandi dispensatio obstaret, quo minus Sanctus non fuerit proclamatus. „ Quod audacter asserere volo propter intimam servitutem, quam illi octodecim annis continuo praesens praestiti &c. “

Confirmat Auctor Catalogi MS. aequalis vel ipse Scriptor: „ Vir „ fuit, si animi dotes consideres, „ eximius, ac plane mirabilis, pius, „ mitis, sobrius, hospitalis, pauperum amator, Sacerdotum ac „ Religiosorum venerator; in Ecclesia modestus, ac veluti immobilis; item Sacra dum ageret, „ ferventissimus; Ecclesiae Jurisdictionis propugnator acerrimus, „ pro qua sola causa afflictiones „ & adversitates plurimas habuit, „ quas tamen animo imperterrito „ usque ad finem sustinuit, nec unquam a suo incoepto destitit, quamvis id fieri cum tanta incommoditate atque patrimonii jactura „ adverteret. Saepius auditus est: „ non

„ non curare omnium bonorum jacturam, modo Jura Ecclesiae tueri valeat, pro qua vitam, si opus foret, dare vellet, potius quam minimum eam deserere &c. "

Ita praefatus Auctor, qui vel de facie videtur novisse nostrum commendatissimum Praesulem, dum eum dicit *natura solitarium, & melancholicum, statura mediocrem, corpore sicco, & macilento*, ac habuisse testatur *crines & barbam flavi coloris, faciem longam ad mentum acuminatam, frontem speciosam, nasum magnum & in medio altiorem, oculos ex propinquo perfecte non videntes, linguam crassiorem &c.* Quatuor hactenus laudatis Madrutiis id laudi tribuendum existimat, *non divitias ipsos ex Episcopatu, sed proprii Patrimonii jacturam consecutos esse*.

Pro coronide eorum, quae hactenus diximus de tribus Episcopis & Cardinalibus, ac quarto dumtaxat Episcopo nobilissimae Madrutiae Gentis, haud abs re fuerit ob oculos ponere, quae in *Posthumis Memoriis Madruzziae Familiae* scripsit supra laudatus Vigilius de Vescovis: „ Madruzzia Familia *(inquit)* jam multis saeculis primae apud Tridentinos Nobilitatis apicem semper obtinuit, essentque per infinitam retro seriem innumeri enumerandi Proceres, ac Oppidorum Dynastae, quibus illa splendorem suum longe lateque diffudit. Hic ergo exordium ducam tantum ab eo tempore *(nempe ab anno 1530.)* quo apud Austriacos Principes plurimum existimationis, ac dignitatis coepit obtinere. Consanguinitatibus attingit Madruzzia Familia maximos Orbis Christiani Principes, Summos Pontifices, Imperatores, Reges, Duces &c. Austriacos, Lusitanos, Saxonios, Sabaudos, Mediceos, Gonzagas, Borromeos, Ursinos, Altempsios &c. Obtinuit & obtinet Principatus, Marchionatus, Comitatus, Toparchias, Dynastias, Ducatuum, Provinciarum, Exercituum, a Summis Pontificibus, Imperatoribus, Regibus, demandatas honorificentissimas Administrationes, Praefecturas, Legationes, Nuntiaturas exercuit. Cardinalatus, Episcopatus, Abbatias, Canonicatus, primarias Aulicas Dignitates, & plura alia decora praefert &c. " Hujusmodi decora adhuc luculentius Engerdus in suis *Madruciados* Libris edisserit.

Sub laudato *Carolo Emmanuele* floruit jam memoratus *Hippolytus Guarinonius*, Tridentinus, Medicinae Doctor, ac *Ferdinandi II. Imperatoris Augustissimi titulo, ejus autem Serenissimarum Sororum Christiernae, & Eleonorae actualis personarum, & tum etiam totius Regii Parthenonis Halae Medicus, vir tam doctrina, quam pietate praeclarissimus, insigni etiam volumine: Dem brevi der Berlviastung* (id est *Abominatio desolationis*) *celebris; qui anno Christi MDCLIV. ultima Maji vitam hanc fugitivam cum perenni commutavit, anno aetatis suae LXXXIII.*, testante *Martino* Abbate Wiltin n

apud

apud Bollandianos *To.* 3. *Jul.* ubi de B. Andrea Rinnensi *pag.* 463. edit. Venet. Ibidem pag. 467. additur propriis ejusdem *Guarinonii* sumptibus erectam fuisse a fundamentis sacram Divo Carolo Borromaeo Aedem in pago Volders ad Oenum, eumdemque primum omnium promovisse constructionem alterius Templi *in Rim* praedicto Beato Innocenti Andreae dicatum. Vidi inter ejus MSS. Commentarium circa incorruptionem Corporis B. Simonis Tridentini, Catalogos Antistitum Tridentinorum, & Brixinensium, Vitam B. Notburgae, Martyrium praefati Andreae, ac nonnulla Carmina Italica. Inter ejus laudatores primum locum tenent Benedictus XIV. Papa To. 4. sui Bullarii pag. 144., nec non clarissimi viri Hadrianus Kempterus, Antonius Roschmannus, Bollandiani &c. Ejusdem *Caroli Emmanuelis* tempore floruerunt insuper *Daniel Zenus*, *Petri Zeni* Flemmensis filius, vir literatus, & Episcopus Princepsque Brixinensis, nec non *Franciscus Vigilius Comes de Spaur* Episcopus ac Princeps Chiemensis. Item *Albertus de Priamis Nobilibus Tridentinis*, Praepositus Montis Virgilii Frisaci, Archidiaconus Carinthiae Superioris in Gmint, dein Praepositus & Archidiaconus Gentifori, ac tandem Lavantinus Episcopus, ex Catalogo Episcoporum ejusdem Ecclesiae apud PP. Mezgeros, & Hubnerum.

SIGISMUNDUS FRANCISCUS *Archidux Austriae*, natus (teste Synchrono Scriptore P. *Didaco Lequile*) die 28. Novembris 1630. patre *Leopoldo* Austriae Archiduce, ac Tirolis Comite; matre *Claudia Medicea*, posteaquam fuisset Tridentinus Praepositus, Augustanus & Gurcensis Episcopus electus, etiam in Tridentinum, dum Oeniponti tunc moram traheret, assumitur anno 1659. die 7. Februarii; sed ab Apostolica Sede minime confirmatus, atque ex sola Imperatoris *Leopoldi* Consobrini sui concessione sub datum Viennae die 26. Aprilis 1660. ante Regalium Diploma, temporalis Dominii possessionem adeptus eodem anno 1660. die 24. Septembris, ipsum temporale Dominium dumtaxat exercuit per suos Vicarios *Georgium* Comitem de *Königsegg*, dein per *Nicolaum* Comitem de *Lodronio*.

Eodem an. 1660. die 6. Septembris Salisburgi firmatae sunt *Compactationes* inter nostrum Electum, & *Josephum Gelfum* Decanum ex una, interque Archiducem *Ferdinandum Carolum* ex altera parte. Cumque idem *Ferdinandus* unicus *Sigismundi* frater anno 1662. die 30. Decembris Caldarii ex hoc saeculo discessisset, *Sigismundus* matrimonii ineundi gratia Episcopatu Tridentino se se abdicavit an. 1665. die 28. Maji datis ad Capitulum literis, quarum executione die 7. sequentis Junii per Commissarium Austriaco-Tirolensem peracta, idem *Sigismundus*

die 5. Junii *Mariam Hedvvigem* Palatini Comitis Sulzbacensis filiam duxit, & ineunte die 25. ejusdem mensis, hora nempe secunda post mediam noctem, reliquit, dum ipse, ad grande vicissitudinis rerum temporalium exemplum, Oeniponti ad vitam alteram transiit. *Abdicatis* (inquiunt PP. Franciscus, & Paulus Mezgeri Benedictini Continuatores *Hist. Salisburg.* P. Josephi Mezgeri itidem Benedictini eorumdem fratris germani, Lib. 5. cap. 41. pag. 872.) *Abdicatis quibus in statu Clericali cumulatus fuerat, Episcopatibus, cum Serenissima Maria Hedvvige Augusta Sulbacensi Comite Palatina Rheni an. 1665. in Regia Sulbacensi per Comitem Königseggium conjugalem contractum iniit*; ac pag. 873. mortuum referunt 24. *Junii*, eo ipso tempore, quo *fervent apparatus & studia connubialis Festi*. Ita ubi alias extrema gaudii luctus occupat, heic vel initia ipsa turbavit. Eumdem praedicti Mezgeri *Lib. 6. pag.* 1165. vocant *Canonicum Salisburgensem*.

Ipsimet Serenissimo Tridentino Electo inscripsit, ut alibi dixi, praeclarum suum Opus, cui tit. *Lumen Orthodoxum &c.* P. *Bonaventura Conorus* Hybernus Franciscanus SS. Th. Lector Generalis Bulsani, cujus Orationis nuncupatoriae heic eo lubentius meminerim, quod in ea ad immortale decus Austriacorum Principum adseratur „ Fide vicerunt Re„ gna, operati sunt justitiam, ade„ pti sunt repromissiones, obturave„ runt ora Leonum, Fide effugave„ runt aciem gladii, Fide fortes fa„ cti sunt in bello, Fide castra ver„ terunt exterorum; & ex Fide non „ ficta pro Fide murum se opposue„ runt pro Domo Israël, ut starent „ in praelio in die Domini *Rodulphi*, „ *Friderici*, *Maximiliani*, *Caroli*, *Phi*„ *lippi*, *Leopoldi*, *Ferdinandi*, *Sigis*„ *mundi*, Domi & Foris, Terra Ma„ rique, pro Fidei conservatione, „ propagatione, & defensione, he„ roica facinora Cedro digna per„ egerunt &c. Illud itaque Austria„ cis haereditarium est, ut Dei cau„ sam faciant suam, nec tam genti„ bus inhient subjugandis, quam „ Fide imbuendis: quas non volunt „ prius Austriacas, quam senserint „ esse Christianas: quocunque illo„ rum feruntur vexilla, illuc Religio „ infertur Catholica; nec sibi plus „ acquirunt Imperii temporalis, quam „ Sacrae Sedi conjungant Dominii „ spiritualis. Etenim sine Ecclesia „ non cupiunt, nec capiunt incre„ mentum, illorum respuentes Do„ minium, qui Romanum abnuunt „ Sacramentum &c. " Hactenus Conorus, suum Opus adprobante inter ceteros *Jocobo de Albertis SS. Theol. Baccal, J. U. D. Canonico Ecclesiae Cathedralis Curiensis, atque Bulsanensi Plebano*. Eidem Serenissimo Principi *Sigismundo Francisco*, ceu Electo *Episcopo Augustano*, sua *Missae Incruenti Sacrificii Mysteria* dicavit noster P. *Franciscus Maxentius Maturellus* ab Arco, typis Oenipontanis Michaëlis Wagneri 1653., ea probante *Antonio Episc. Brixinensi.* Ipsi quoque ceu *Episc.*

Augu-

Augustano, *Gurgebensi*, & *Electo Tridentino* an. 1660. *Antonius Franciscus Lener Tridentinus* nuncupavit Opellam Parmae impressam sub tit. *Oculus Philosophicus sub Auspiciis Austriacae Aquilae in Sapientiae Solem intendens*, propugnatam ab eodem Lenero in Parmensi Nobilium Collegio.

C. ERNESTUS ADALBERTUS.

Ex Comitibus de *Harrach* Austriacus, Presbyter Cardinalis S. Praxedis, Archiepiscopus Pragensis, & Canonicus Tridentinus, postulatus in Episcopum nostrum die 31. Julii an. 1665., cujus quidem Postulationis Instrumentum hoc est:

„ In Christi nomine. Amen. Anno a partu Virginis 1665. In-
„ dictione 3. Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris *Alexandri* Divina
„ providentia Papae VII. anno ejus undecimo, Regnante invictissimo, &
„ potentissimo D. D. *Leopoldo I.* Romanorum Imperatore semper Augu-
„ sto, anno septimo, die autem Veneris 31. mensis Julii, in Civitate
„ Tridenti, & in Sacrario Ecclesiae Cathedralis S. Vigilii, loco solito
„ Capitularis Congregationis, praesentibus Nobilibus, & admodum Re-
„ verendis D. D. Ludovico Bennassuto Sacrista, Joanne Bonhomo Pro-
„ thonotario Apostolico, Dominico Santanna, & Jacobo Antonio de
„ Simonibus, testibus idoneis, notis, adhibitis, & rogatis.

„ Ibique ad sonum Campanae ter de more pulsatae convenerunt
„ infrascripti Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Canonici ad effectum,
„ de quo ad infrascripta, videlicet
„ D. Josephus Ghelf Decanus, & Canonicus
„ D. Liduinus Piccolomini Praepositus, & Canonicus antiquior.
„ D. Joannes Baptista senior Comes Lodroni.
„ D. Bernardinus Malanotti.
„ D. Franciscus de Albertis Summus Scholasticus.
„ D. Wilhelmus Vintler a Plorsch.
„ D. Joannes Baptista junior Comes Lodroni.
„ D. Antonius Crosina.
„ D. Josephus Victorius de Albertis Archidiaconus, & Vicarius Genera-
„ lis Capitularis.
„ D. Jacobus Roboretus a Fraybergh.
„ D. Joannes Michaël Comes a Spaur.
„ D. Franciscus Bertoldus.
„ D. Jacobus Abrahamus Kraus.
„ Omnes antedictae Ecclesiae Cathedralis Canonici praebendati,
„ quique debuerunt, voluerunt, & commode interesse potuerunt, nullo
„ canonico impedimento detenti, capitulariter congregati, totumque, ac

„ integrum peremptorium, & generale Capitulum legitime convocatum
„ facientes, constituentes, & repraesentantes. Volentes omnino decre-
„ tum Sessionis Capitularis diei 20. mensis Junii proxime praeteriti su-
„ per electione novi Episcopi, Sede Episcopali per obitum quondam
„ Excellentissimi, & Reverendissimi Domini *Caroli Emanuelis Madrutii*
„ felicis recordationis die 15. Mensis Decembris 1658. pie in Domino
„ defuncti adhuc vacante, & jure electionis de Serenissimo, & Reveren-
„ dissimo D. D. *Sigismundo Francisco Austriae Archiduce* gloriosae me-
„ moriae in Episcopum Ecclesiae Tridentinae die 7. mensis Februarii
„ 165f. subinde factae evacuato, & penitus extincto per liberam, &
„ spontaneam dimissionem, cessionem, & renunciationem, quam idem Se-
„ renissimus, & Reverendissimes D. *Sigismundus Franciscus* electus Epi-
„ scopus die 7. mensis Junii proxime evoluti in manibus Illustrissimo-
„ rum, & Reverendissimorum Canonicorum, seu Capituli, praefatorum
„ per legitimum ejus Commissarium, Nuncium, & Repraesentantem ad
„ id specialiter deputatum fecit, quem Serenissimum, & Reverendissi-
„ mum D. Archiducem *Sigismundum Franciscum* postmodum eodem men-
„ se Junii ab humanis, sicuti Deo placuit, eximi etiam contigit, exe-
„ cutioni demandare: considerantes, quam sit Ecclesiis ipsarum dispendio-
„ sa vacatio, & quam periculosa esse soleat animabus, ut ipsa magistra
„ efficax experientia manifestat, & Sacri Canones testantur; celebrato
„ prius ad Altare majus per praefatum Illustrissimum, & Reverendissi-
„ mum D. Decanum solemni Missae Sacrificio, Divinaque, etiam assisten-
„ tibus Canonicis, Spiritus Sancti gratia invocata, nec non B. Vigilii
„ Episcopi, & Martyris Patroni nostri implorato auxilio: praevio jura-
„ mento praestito per omnes, & singulos Dominos Canonicos suprascri-
„ ptos de eligendo in Episcopum, quem magis idoneum, & Ecclesiae
„ magis utilem judicaverint, ne diutius Pastorale munus destituatur, id-
„ circo omnium Canonicorum Capitularium capitulariter congregatorum
„ consensu pro scrutandis & eligendis votis, voce, & oretenus pro-
„ ponendis, sive praestandis, placuit omnibus, & singulis per viam
„ Scrutinii eidem Ecclesiae providere: unde assumpserunt, ac deputarunt
„ in Scrutatores praedictos Illustrissimos, & Reverendissimos Dominos
„ *Josephum Ghelf* Decanum, *Liduinum Comitem Piccolomini* Praepositum,
„ & antiquiorem Canonicum, & *Joannem Baptistam* seniorem *Comitem*
„ *Lodroni*, de ipso Capitulo, fide dignos, quibus omnibus, & singulis
„ potestas data extitit, ut sigillatim vota omnium, primo tamen sua, &
„ postmodum aliorum inquirerent diligenter, & ipsis in Scriptis redactis,
„ mox in communi eadem publicarent. Qui Domini Scrutatores pote-
„ statem sibi traditam acceptantes, more Sacerdotali tacto pectore ad
„ Sancta

„ Sancta Dei Evangelia, secreto, fideliter, & sincere, omni fraude se-
„ mota, tam propria, quam aliorum Illustrissimorum, & Reverendissi-
„ morum D. D. Canonicorum vota scrutaturos, & collecturos, caetera-
„ que omnia Scrutatoribus incumbentia se se peracturos jurarunt: depu-
„ taruntque me Cancellarium Capitularem infrascriptum sub vinculo Ju-
„ ramenti ibidem manibus tactis sacris Scripturis coram suis Illustrissimis,
„ & Reverendissimis Dominationibus praestiti ad custodiam ipsius Scru-
„ tinii, & ad eadem vota successive in Scriptis redigenda.

„ Viso autem Mandato procuratorio Excellentissimi, & Reverendis-
„ simi Domini *Sigismundi Alphonsi* Episcopi Brixinensis absentis, prae-
„ sentato a Reverendissimo D. Canonico *Wilhelmo Vintler*, illoque lecto,
„ & audito tenoris, ut sequitur — Nos *Sigismundus Alphonsus* Dei gra-
„ tia Episcopus, Princepsque Brixinensis &c. Tenore praesentium notum
„ facimus, qualiter cum per litteras a Venerabili Capitulo Tridentino
„ 20. Mensis Junii proxime elapsi ad nos datas requisiti fuerimus, ut
„ tanquam dictae Tridentinae Ecclesiae Canonicus ad electionem novi
„ Episcopi peragendam pro die ultima labentis mensis Julii, hora octa-
„ va antemeridiana personaliter, vel per legitimum Procuratorem Tri-
„ denti comparere velimus, & modo legitimis de causis impediti ad
„ memoratum actum in dicto praefixo termino comparere non valeamus,
„ Admodum Reverendum, & Nobilem fidelem nostrum dilectum *Wil-
„ helmum Vintler de Platsch* Canonicum Cathedralis Tridentinae, & Bri-
„ xinensis ac respective Scholasticum, Procuratorem nostrum specialem
„ constituimus, & ordinamus, ut nostro nomine supradicto die & hora
„ Tridenti in loco Capitulari consueto compareat, & votum nostrum
„ juxta Instructionem ei datam rite deponat, & alia insuper praestet,
„ quae in tali actu electionis de jure Sacrorum Canonum, Statutorum,
„ ac Consuetudinum dictae Ecclesiae nobis uti Canonico, si praesentes
„ interessemus, incumberent: promittentes omnia per eum circa id acta,
„ & gesta, rata, & grata habere, & observare sub verbo Principis. In
„ quorum fidem praesentes manus nostrae subscriptione, & Sigilli ap-
„ positione munivimus. Datae in Castro nostro Velturnensi die 25.
„ Julii 1665. *Sigismundus Alphonsus*. (L. S.)

„ Consideratoque quod in Mandato hujusmodi nullum de-
„ ducitur speciale impedimentum, ob quod praefatus Excellentissimus, &
„ Reverendissimus Dominus constituens excusandus veniat a personali
„ ejus accessu ad praesentem electionis locum, & quod super impedi-
„ mento hujusmodi non solum a Principali juratum non fuit, sed ne-
„ que de jurando in ipsius animam fuit data facultas praefato Reveren-
„ dissimo Domino Canonico *Vintler* ejus Procuratori, sicuti supra con-
„ stituto,

„ ſtituto, Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini decreverunt praedictum „ Reverendiſſimum Dominum Procuratorem ad eligendum praefati Ex„ cellentiſſimi, & Reverendiſſimi Domini ejus Principalis nomine mini„ me admittendum fore, aut eſſe, prout nec admiſerunt, niſi cum ſo„ lemni proteſtatione ſi & quatenus de jure admittendus foret duntaxat, „ prout ita proteſtati ſunt, non ſolum praemiſſo, ſed & omni alio me„ liori modo.

„ Quo Decreto audito, cum praefatus Reverendiſſimus D. Canoni„ cus *Vintler* declaraſſet ſe ſe, quod dicto Procuratorio nomine Suffra„ gium ſuum conferre minime vellet, illique renunciaſſet, Illuſtriſſimi, „ & Reverendiſſimi Scrutatores praefati ad Scrutinium proceſſerunt, ſcru„ tando primo ad invicem vota ſua juxta formam ſibi traditam, & poſt„ modum ſingulorum Dominorum Canonicorum ſeorſim, & ſeparatim. „ Inquiſitis itaque ſingillatim, & ſecreto voluntatibus ſingulorum, & „ per me infraſcriptum Tabellionem in Scriptis redactis, recedentes ipſi „ Scrutatores de loco, ubi Scrutinium fecerant, ad alios Dominos Ca„ nicos redierunt, & mox in communi vota eadem publicarunt, quibus „ omnibus cum numero electorum illico ab Illuſtriſſimo, & Reveren„ diſſimo Domino Decano, etiam ab hoc ſpecialiter deputato collatis, „ diſcuſſis, & correſpondere viſis, compertoque omnes praefatos Illu„ ſtriſſimos, & Reverendiſſimos Canonicos ibi congregatos, videlicet Illu„ ſtriſſimum, & Reverendiſſimum Dñm Decanum cum duobus votis, caeteros „ vero Illuſtriſſimos, & Reverendiſſimos Dominos Canonicos ſingulos „ cum ſingulis eorum votis, uno duntaxat excepto, quod contrarium „ fuit, in poſtulationem Eminentiſſimi, & Reverendiſſimi D. D. *Erneſti* „ *Adalberti* tituli Sanctae Praxedis S. R. E. Cardinalis *ab Harrach* Me„ tropolitanae Eccleſiae Pragenſis Archiepiſcopi, & hujus Eccleſiae Tri„ dentinae Canonici, & Confratris conſenſiſſe, quaeſivit Illuſtriſſimus, & „ Reverendiſſimus Dominus Decanus etiam ad hoc ſpecialiter deputatus, „ a caeteris Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Canonicis place„ retne eis poſtulationem publicari? Cui requiſitioni, & petitioni cum „ dicti Domini Canonici reſpondendo = placet = annuiſſent, Illuſtriſſi„ mo, & Reverendiſſimo Domino *Joſepho Gbelſ* Decano, & Canonico „ praefato, ut poſtulationem hujuſmodi tam proprio, quam caeterorum „ Dominorum Canonicorum, ac totius Capituli nominibus faceret, in„ junxerunt: quo munere libenter, & prompte ſuſcepto, ad poſtulatio„ nem devenit coram omnibus, & coram toto Capitulo dicendo: Ego „ *Joſephus Gbelſ* Decanus, & Canonicus hujus Eccleſiae Cathedralis no„ minibus meo, & omnium Electorum mecum conſentientium, invocata „ gratia Spiritus Sancti, glorioſiſſimae Virginis Mariae, & Sancti Vigi-

„ lii

„ lii Epi, & Martyris hujus Ecclesiae nostrae Patroni, Eminentissimum, „ & Reverendissimum D. D. *Ernestum Adalbertum* tituli Sanctae Praxedis S. R. E. Cardinalem *ab Harrach*, Canonicum, & Confratrem nostrum, Metropolitanae Ecclesiae Pragensis Archiepiscopum, secundum „ canonicas Sanctiones, in quem collatione facta omnes unanimiter, uno „ solo excepto, & contrario voto, consenserunt, in nostrum & dictae „ Tridentinae Ecclesiae Episcopum postulo, postulatum pronuncio, & in „ communi coram votis publico, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

„ Postulatione autem hujusmodi celebrata, eam omnes, & singuli „ Domini Canonici approbarunt, mandantes hujusmodi postulationem „ Eminentissimo Domino Postulato insinuari, & notificari: deputando ad „ effectum praesentandi Postulationem de ipso factam & canonice celebratam in Epum Tridentinum, & ad petendum ab eo declarationem „ prout de jure desuper faciendam, Reverendissimum Dominum Canonicum *Jacobum Roboretum a Fraybergh*, sufficienti, & necessaria eidem „ ad hoc auctoritate attributa, salva, & reservata Sanctae Sedis Apostolicae ad sensum Concordatorum Germaniae, & prout juris, approbatione, & admissione, & non aliter, & ita, & omni meliori modo. „ Quo facto Postulatio hujusmodi Clero, & Populo publicata fuit, pulsantibus in signum laetitiae per totam Urbem Campanis, & explosis „ bellicis tormentis, successive praefati Illustrissimi, & Reverendissimi Domini Canonici ad cantandum solemniter = *Te Deum laudamus* = „ simul processerunt ad Chorum.

„ Fuerunt haec acta, & publicata Tridenti loco, die, anno, Indictione, & praesentibus testibus, quibus supra &c.

„ Josephus Ghelf Decanus manu propria.
„ Liduinus Piccolomini S. I. Comes Praepositus.
„ Joannes Baptista Comes Lodroni.
„ Bernardinus Malanotti.
„ Franciscus de Albertis Summus Scolasticus.
„ Gulielmus Vintler.
„ Joannes Baptista Comes Lodroni junior.
„ Antonius Crocinus.
„ Ego Joseph Victorius de Albertis Archidiaconus, Canonicus, & Vicarius generalis Capitularis huic postulationi interfui, consensi, & manu propria subscripsi.
„ Jacobus Roboretus a Freibergh.
„ Joannes Michaël Comes a Spaur, & Valler.
„ Franciscus Bertoldus.
„ Jacobus Abrahamus Kraus. „ (L.S.)

„ (L. S.) Et quia ego P. Udalricus Thomasis Ecclesiae „ Cathedralis Tridentinae Capellanus, Beneficiatus, publicus tam Apo- „ stolica, quam Caesarea auctoritatibus Notarius, nec non Illustrissimi, „ & Reverendissimi Capituli Tridentini Cancellarius, praemissae postulatio- „ ni, omnibusque aliis, & singulis dum sic, ut praemittitur, fierent, & „ agerentur, praesens interfui, eaque sic fieri vidi, & audivi, scripsi, „ & publicavi, hoc exinde confeci Documentum cum meo originali Pro- „ tocollo concordare inventum, rogatus, & requisitus.

Eodem anno 1665. die undecimo Novembris fuit a Summo Pontifice admissa ejusdem Postulatio, & die 18. Decembris de Regalibus a Caesare investitus: in possessionem autem missus per Procuratorem *Ladwinum Comitem Piccolomineum* Praepositum Tridentinum die 9. Julii an. 1666., cum die 16. Junii ejusdem anni fuissent confirmatae Viennae *Compactationes* inter ipsum Cardinalem, & *Josephum Gbelpbum* Decanum ex una, & inter Imperatorem *Leopoldum* ex altera parte. Die 7. Septembris grandi apparatu ingressus est Tridentum, cui ad Portam S. Martini Triumphalis Arcus erectus illud inter cetera Elogia Distichon praeferebat:

Praesulis haud minor est nostri expectatio, Romae
Quam fuit adventus, Vespasiane, tui.

Die sequente Nativitati B. M. V. sacro in Ecclesia S. Mariae Majoris solemnem Missam cantavit: quae omnia Festa fuse descripsit P. M. *Aurelius Ferraccius* O. M. Conv.

Constat nobis eumdem Cardinalem fuisse Villaci hoc anno 1666. die 10. Nov., Viennae diebus 4. & 10. Dec. Anno 1667. diebus 12. 16. & 20. Jan. pariter Viennae: die 14. Febr. Crasti in Bohemia: die 2. Martii Pragae, die 26. Tridenti, die 9. Aprilis Pragae: die 18. Maji Tridenti; a die 11. Junii usque ad 10. Sept. Romae (ubi interfuit electioni *Clementis IX.*) ac die 8. Octobris Tridenti.

Mortalitatem explevit Viennae in Austria hoc ipso anno 1667. die 25. vel 26. Octobris. De quo apud laudatos Mezgeros *L.* 5. *c.* 42. *pag.* 886. lego, quod Autumnus praedicti anni 1667. *fatalis fuit Viro praestantissimo Ernesto Cardinali Comiti de Harrach Pragensi Archiepiscopo, & Episcopo Tridentino, vigesimo sexto Octobris sacris Dignitatibus, & vita religiosissime defuncto, cum annos aetatis septuaginta duos numerasset.* De eodem *cit. L.* 5. *c.* 25. *pag.* 728. jam dixerant: *Ernestus Arracchius Pragae Archipraesul.... ultra quadraginta annos Sacram Purpuram totius Catholicae Religionis bono meritissime tulit.* Commendatur a Luca Waddingo in *Annal. Minorum ad an.* 1460.

1460. n. 58. ceu Fratrum Minorum Strictioris Observantiae Nationis Hibernicae fautor, & publici Pragensis Gymnasii auctor.

CI. SIGISMUNDUS ALPHONSUS.

Ex Comitibus de *Thunn*, natus anno 1621. die 7. Novembris in Castro Thunno Vallis Anauniae, patre *Wolfgango Theodorico*, & matre *Margarita* filia *Georgii* Comitis de Thunn, Domini Castri Bracherii. Canonicus Tridentinus an. 1641. resignante sibi Comite *Christophoro Richardo* ejus Patruo; ac an. 1652. die 5. Augusti a *Carolo Emmanuele* Episcopo Tridentino Archidiaconus constitutus, cum jam esset Brixinensis quoque Canonicus.

Ab anno autem 1663. Brixinensis Episcopus, auctus etiam Tridentinis Infulis die 9. Januarii anno 1668.; sed antequam ad possessionem pervenisset, negotium ei fecit, ut ut ejusdem agnatus, *Guidobaldus* Comes de Thunn, Cardinalis, & Archiepiscopus Salisburgensis, cui tamen minora suffragia favebant. In quam rem consulendus Cardinalis Jo. Baptista de Luca in *Theatro Veritatis & Justitiae* Lib. XII. Part. 2. *de Canonicis & Capitulo*, ubi pag. m. 39. Discur. XXVIII. agitur *Tridentina Electionis pro Cardinali de Thun Archiepiscopo Salisburgensi, cum Alphonso etiam de Thun Episcopo Brixinensi*, diciturque *Casus disputatus in Sacra Congregatione Consistoriali, sed non decisus ob supervenientam mortem Cardinalis*.

Mortuo itaque eo ipso anno 1668. Calendis Juniis *Guidobaldo*, *Alphonsus* a Papa *Clemente IX*. confirmationem, seu admissionem impetravit quinto Idus Septembris an. 1669. & an. 1670. pridie Calendas Apriles, sicut Conventa, sive, ut vocant, Compactata solita confirmavit, una cum Decano *Josepho Victorio de Albertis*, ita possessionem suscepit; Orationem gratulatoriam recitante P. D. *Michaële Angelo Triulo* Clerico Regulari Somaschensi.

Eodem anno 1670. die 20. Maji Ecclesiam apud Medium Sancti Petri Ordinis Minorum strictioris Observantiae sacro Oleo delibutam, Deiparae sine labe conceptae dicavit, adsignato Anniversario die 7. Julii. Instrumentum scripsit *Presb. Jo. Dominicus Begnudellius Not. & Visitationis Cancellarius*. Anno 1671. die 2. Julii Aram majorem Ecclesiae SS. Quirici & Julitae Conventus Campensis in Judicaria citeriore praefati Ordinis consecravit, affixo Anniversario die Dominicae primae ejusdem mensis. Eodem anno 1671. Vallem Randenam visitavit, ubi etiam Ordinationes extra tempora egit. Anno 1673. visitavit Monasterium Clarissarum S. Michaëlis extra Tridentum, pro cujus optimo regimine saluberrima Decreta, zelo pastorali plena, condidit.

Omnem curam idem Praesul adhibuit, ut convelleret irrepentes

abusus, scandala submoveret, injustos Contractus exterminaret, suosque subditos in officio contineret. Hinc non defuere Ardeliones quidam, nihil non agentes, ut in & extra Civitatem, communem illi conflarent invidiam; sed eos redarguendos censuit Anonymus Tridentinus, ut veritati litaret.

Mortuus est Tridenti in Castro Boni Consilii anno 1677. die 2. Februarii circa horam decimam ante meridiem, & in summo Templo sepultus. Idem Episcopus Catalogum claudit apud Marianum in *Trento* pag. 247. Perennem ejus memoriam servat haec Inscriptio affixa Palatio Praetorio, adspectabilis ingredientibus & egredientibus Fores Septemtrionales Cathedralis Ecclesiae Tridentinae:

Hoc
Episcopale Palatium
vetustate collapsum
restituit
Sigismundus Alphonsus
Episcopus Princepsque
Tridenti & Brixinae
Ex Comitibus de Thun
Anno Dñi
MDCLXXVI.

Ejusdem Antistitis Pastoralis legitur praefixa *Manuali Sacrificantium*. Cum Academia *degli Accesi* erecta sub *Carolo Cardinali Madrutio* an. 1628. fere esset extincta, sub nostri *Sigismundi Alphonsi* auspiciis revixit, atque refloruit. Ipsi die 18. Febr. 1671. Doctor *Jo. Gaspar Passius* Pressanensis Physicus dicavit Opusculum suum, cui tit. *Nova Apparitio saluberrimi Acidularum Fontis in Valle Rabbi Territorii Tridentini*, edit. Trid. ex Typogr. Episc. Caroli Zanetti cum Privil. Tunc igitur primum erupisse constat Acidularum Rabbiensium Fontem, id quod saepe in eodem Opusculo repetitur.

Sub eadem tempora, scilicet an. 1673. die 26. Martii in Dominica Palmarum Septuagenaria abiit ad Sponsum Venerabilis Soror *Joanna Maria de Cruce* Fundatrix Monasterii Clarissarum S. Caroli Roboreti patriae suae, necnon alterius S. Annae Burgi Ausugani, ac etiam promotrix Coenobii PP. Carmelitarum Discalceatorum *ad Laslas* supra Tridentum, sanctitate vitae, spiritu prophetico, miraculis, ac libris pluribus clara. Mortuus quoque Romae an. 1676. die 3. Maji hujusmodi Librorum ac etiam spiritus Servae Dei adprobator *P. Albertus de Albertis* Tridentinus, celebris Societatis Jesu Theologus, plurium vel ipse Librorum auctor, ac de Christiana morum Disciplina optime meritus.

Pia insuper morte defuncti tres praeclari Viri ex nostrae hujus Vigilianae Provinciae Sodalitio; nempe an. 1670. die 13. Januar. Tridenti *P. Franciscus Maxentius Maturellus de Arcu*, primo Rector Custodiae Venetae S. Antonii, dein per duodecim annos Commissarius

Gene-

Generalis Superioris Germaniae, nec non praecipuus promotor erectionis hujus Franciscanae Provinciae S. Vigilii, ejusdemque Rector, qui nonnulla Ascetica Opuscula edidit: an. 1674. die 13. Januar. Burgi Ausugii *P. Andreas Zanonius* itidem *de Arcu* per sexennium Guardianus Hierosolymitanus, ac totius Terrae Sanctae Custos, dein pro eadem Terra Sancta in Romana Curia Commissarius, & iterato praedictae Provinciae vigilantissimus Rector, qui varia pia Opuscula Hispanica Italice reddidit, ac alia plura de suo perutilia literis consignavit: an. 1676. die 9. Octobris Salisburgi singulari opinione sanctitatis *P. Marcellinus Armanus Judicariensis* fere per viginti tres annos Director supra laudatae Servae Dei, pariter iterato Rector memoratae Provinciae, Poëta, & Concionator eo tempore insignis, nec non plurium Opusculorum Scriptor.

CII. FRANCISCUS.

Ex nobili Familia *de Albertis* de Poja, Judicariarum Vico, Tridentum translata an. 1550. Fuit itaque filius *Bonaventurae de Albertis* de Poja, & *Marinae* filiae *Joannis Antonii de Luttis*, fidelium, nobiliumque Conjugum, ac Civium Tridenti, natus, & sacris lustralibus aquis ablutus Tridenti in Ecclesia S. Mariae Majoris die 22. Maji 1610.

Partim in Germania, partimque in Italia sua peregit studia, in quibus eo profectu, ac laude versatus est, ut mirum neutiquam sit, si jam Sacrae Theologiae Laurea insignitus, in patriamque redux sub *Carolo Emmanuele* fieri meruerit ejus Generalis in Spiritualibus Vicarius, deim Canonicus, Consiliarius Aulicus, Summus Scholasticus, & Archidiaconus. Romanis Legationibus ad orandas Tridentinae Ecclesiae Causas sub suis Praedecessoribus pluries perfunctus est, quam quidem spartam strenue semper ornavit. Majoribus, ad quae illum destinaverat Deus, praelusit, dum excitandum curavit in Summi Templi Choro Altare Deiparae sine macula conceptae sacrum, statuis marmoreis affabre factis *a Cornelio Van der Beck* utrinque ornatum.

Electus est *Franciscus* in Tridentinum Episcopum omnibus suffragantibus die 3. Aprilis an. 1677., cui quidem Electioni prae humilitate vehementer obstitisse, nec nisi multum rogatum ipsimet acquievisse, locupletissimam fidem facit publicum ejusdem Electionis Instrumentum, cujus haec verba sunt: „ Cum Illustrissimus & Reverendissimus Dominus Electus humi „ procumbens, Electioni de se fa„ ctae reluctaret illacrymans & flens, „ ex humilitate sua se indignum „ assereret, & inhabilem, ipsis ta„ men Illustrissimis & Reverendissi„ mis D. D. Decano & Canonicis „ concorditer & affectuose illum

„ rogantibus, insistentibus, & se-
„ rio urgentibus, ne vellet voca-
„ tioni Dominicae resistere, inter
„ ipsorum brachia, & mutua oscu-
„ la erectus, tandem jugo Divinae
„ vocationis humiliter se se subje-
„ cit, votis RR. DD. Confratrum
„ vehementique eorum instantiae ac-
„ quiescens, & non timide minus,
„ quam devote Electionem ipsam,
„ Officium, onusque impositum, ut
„ prodesse viribus suis valeat, ac-
„ ceptans &c. "

Electionis autem ita peractae atque acceptatae, Tridentinum Capitulum certiorem reddens *Leopoldum* Imperatorem per Epistolam sub 6. Aprilis 1677. eumdem Electum vocavit *Virum de Ecclesia nostra benemeritum, prudentia, pietate, & doctrina praeditum, & Subditis jucundum & gratum*: quibus dotibus ornatum agnovit & *Innocentius XI.* literis ad ipsum datis sub 24. Aprilis ejusdem anni. Quare idem Electus die Jovis 25. Novembris praedicti anni accedens ad DD. Canonicos in Sacrario Cathedralis Ecclesiae capitulariter congregatos, atque ab ipsis reverenter exceptus, Literas Indultorum Apostolicorum sub 24. Aprilis, necnon 22. Octobris 1677. exhibuit, declaravitque, se virtute dictarum Literarum Administrationem suae Ecclesiae ac Episcopatus plene suscipere. Hinc Decanus & Canonici cesserunt omni & cuicumque administrationi tam in spiritualibus, quam in temporalibus per eos alias susceptae & gestae, atque in ipsum omnem Jurisdictionem transtulere, deducentes eum ad Chorum Ecclesiae, Sedemque ibi paratam, ac in laetitiae signum solemniter Hymnum *Te Deum* decantantes, cum aeris campani sonitu, bellicorumque tormentorum explosione; habita insuper a *Bonaventura Valerio*, filio *Joannis Francisci de Albertis Comitis de Collico*, ipsius Electi ex Nepte Pronepote, pereleganti ornatissimaque ad eumdem salutationis Oratione.

Sequenti an. 1678. a duobus Episcopis Veronensi & Feltrensi, necnon ab Episcopo Bellinensi Suffraganeo Brixinensi *Jesse Perchofero*, consecratus est; tametsi ab *Innocentio XI.* sub datum die 8. Octob. an. 1678. eidem fuerit indultum, ut ab uno tantum Episcopo cum adsistentia duorum Abbatum Mitrae ac Baculi usum habentium, consecrari valeret. Nihilominus quamquam nondum consecrato, eodem anno 1678. mense Junio eidem sub titulo *Reverendissimi & Celsissimi Episcopi & Principis Tridentinorum* dicavit Disputationem Theologicam *de Praedestinatione* Dilinganis Typis vulgatam Presb. *Antonius a Valle* Fulgariensis, SS. Th. Baccalaureus, & Innocentii XI. Alumnus, tum postea Clesiensis Archipresbyter.

Anno 1679. die 26. Aprilis a *Leopoldo* Caesare fuit de Regalibus investitus; eodemque anno ex Tridentina Typographia Caroli Zanetti prodiit Liber, praeter Orationem Panegyricam, varia continens Epigrammata

mata & Poëmata, cum Italica, tum Latina, ab Academicis *Accensis* in ejusdem Praesulis laudem recitata. Quamvis autem esset hujusmodi Academiae Protector, fuissetque antea ejusdem Princeps, ob sibi ingenitam tamen humilitatis virtutem, aegerrime tulit id genus encomia.

Anno 1684. die 29. Maji contulit Canonicatum & Praebendam Ecclesiae Collegiatae S. Mariae Majoris de Arco Domino *Josepho Bornichio* Arcensi. Anno 1685. ad visitanda Limina Apostolorum, suaeque vilicationis rationem reddendam, ablegavit *Joannem Pezinum* Vicarium suum Generalem.

Permagnificum Sacellum ad Australe latus summi Templi Tridentini e quadrato lapide construi, ipsumque intus marmore vario, elegantibus Statuis, atque picturis, ac multo etiam auro instrui mandavit, erecto insuper quotidianae Missae inibi Beneficio, atque forinsecus adposita Inscriptione versus meridiem:

Franciscus de Albertis
Epus & Princeps Triden.
hoc Sacellum a fundamentis
erexit an. 1682.

Ad majorem autem Domus Dei decorem, dictum Templum pluribus praestantibus picturis, Vitam & Mortem Divi Vigilii, aliorumque Sanctorum ejusdem Ecclesiae Patronorum exhibentibus, ornavit, ac pretiosis sacris indumentis, grandique argentea supellectili locupletavit. Pulchram Aediculam S. *Pii* V., quem ipse multum venerari consueverat, a parte Septemtrionali adjunctam Sacello SS. Rosarii PP. Dominicanorum ad S. Laurentium aedificari jussit. In Templo autem S. Mariae Majoris fieri voluit splendidum Depositum S. *Clementis* Martyris, ubi intra pretiosam Arcam argento undique instructam, ejus Sacrum Corpus reconditur. Palatium Episcopale, quam magnificentissime a Magno *Bernardo Clesio* excitatum, Septemtrionem versus non absque multis expensis adauxit, idque cum Castro Veteri copulavit: qua de re loquitur haec ibidem Inscriptio marmorea:

Franciscus de Albertis
Epus Princepsq.
Triden. a funda. erexit
MDCLXXXVI.

Ipsi praeterea debentur cum Tabularium Consilii Aulici collectis in unum Scripturis, & Actis antea dispersis, tum Equilia satis ampla & commoda infra Castrum, tum etiam sat nobile aedificium in latifundiis ad fluvium Sarcam, necnon Mensales reditus inibi insigniter aucti. Insuper multa Florenorum milia, quibus Mensa Episcopalis gravata erat, extinxit; Taxae Pontificiae moderationem obtinuit; debitum decem & ultra milium Florenorum, (Provinciae, Tirolensium Steurarum, ut vocant, seu Provincialium Contribu-

tributionum nomine solvendum, & a Decessore suo nondum solutum) penitus sustulit; ac pro sua pietate & largitate duo Florenorum milia ultra largitus est Xenodochio Sauciatorum, qui contra Turcas sub Christianis vexillis tunc temporis militaverant.

Neque illud praetereundum, ad Episcopale Seminarium rite ordinandum animum adpulisse; visitasse illam suae amplissimae Dioecesis partem, quam Pastoralis opis indigam intellexerat; visitasse anno 1685. die 16. Maji Clarissarum SS. Trinitatis Monasterium, secum accitis D. *Carolo Emmanuele Voltolino* Canonico & Archidiacono, D. *Joanne Baptista Piccino* Vicario in spiritualibus Generali, P. *Joanne Petro Montanario* Somaschensium Clericorum Praeposito &c.; mandasse die 2. Junii ejusdem anni 1685. D. *Joanni Francisco de Jeremiis* Archipresbytero Vallis Flemmarum, ut primum lapidem poneret pro construenda Cavalesii Ecclesia S. Vigilii Ordinis Minorum Reformatorum; ac mense Octobri praefati anni P. *Petro Marino Sormano* eorumdem FF. Minorum Generali Ministro, post Pontificiam ad Caesarem Legationem ex Hungaria & Germania redeunti, convivium, aliaque singularis largitatis argumenta praebuisse.

Eodem anno 1685. Idibus Junii *Joannes Baptista Castellus* in Patavina Academia Juris Civilis Professor, ac Nationis Tridentinae Studiosorum Protector, nostro Antistiti dicavit suam *Dissertationem de Lege Regia qua Romanum Imperium Octaviano Augusto delatum est, ac de Testamentorum Solemniis*, editam Patavii Typis Jo. Bapt. Pasquati publ. Acad. Impress., in cujus quidem Dissertationis Oratione nuncupatoria non, tantum ipsum appellat ex *omni genere virtutum, studio & doctrina, atque divinarum, humanarumque rerum scientia vere sapientem*, sed etiam in eo a praefato *Castello* commendantur *animi excelsitas, animoque par magnificentia, cunctis obvia facilitas, atque in summa potestate rerum omnium modus, fides, sanctitas &c.* Ac sane negari neutiquam potest, ita qua doctrina, qua exemplo omnibus praeluxisse, ut videretur forma factus gregis ex animo.

Tandem consuetis Ecclesiae Sacramentis munitus ex humanis sublatus est anno Christi 1689. die 4. Februarii, aetatis vero suae anno 79., & in sepulcrum, quod sibi vivens in supra memorato Sacello paraverat, ejus cadaver (parentalia persolvente praefato Archidiacono *Voltolino*) die 10. illatum, cum hac simplici Inscriptione:

Orate pro me.

Ex ejus Testamento condito an. 1687. die 18. Decembris constat praeter alia Legata, suam etiam argenteam supellectilem, quam ante adsumptionem ad Episcopatum sibi comparaverat, suis Successoribus legasse,

gasse; necnon grande Anniversarium in Ecclesia S. Mariae Majoris ad animae suae, suorumque Majorum subsidium ter in anno solemniter celebrandum fundasse, in quo etiam triticeo pane reficiendam voluit multitudinem pauperum ad id confluentium.

De Numismate in honorem ejusdem Antistitis cuso, deque ejus Effigie inter opera Equitis *Marchetti*, testimonium reddit supra laudatus *Jo. Bapt. Castellus* in Epistola ad nostrum Praesulem data *Patavii* an. 1685. die 26. Novembris. Haec brevi perstrinxi ex prolixiori laudati Episcopi Vita, quam olim digessi, atque collegi ex Commentariis Equitis *Francisci Antonii de Albertis de Poja* Canonici Tridentini, in quibus legere est certa Documenta, queis hactenus dicta nituntur, ac praecipue Literas Ven. *Innocentii XI.*, B. *Gregorii Barbadici* Cardinalis & Episcopi Patavini, *Leopoldi* Imperatoris, magni Belliducis *Caroli* Ducis Lotharingiae, *Caroli*que Principis ejus filii, & aliorum summorum Virorum, qui nostrum *Franciscum* magni faciebant, ac impense commendabant.

In eodem Episcopo explicit Lib. IV. Tridentinorum Antistitum scriptus ab Anonymo Tridentino, qui ait, sub eo plures literatos viros floruisse, nominatim *Joannem Jacobum Sitium* Consiliarium ejusdem & Cancellarium, *Franciscum Vigilium* hujus filium, *Mathiam Saracenum* tunc in Poësi sat celebrem &c. Praefati Anonymi Opus vernaculo sermone manuque conscriptum, possidet, ac nobis humaniter exhibuit D. *Bartholomaeus Ducatus* in Cathedrali Ecclesia Beneficiatus.

Floruerunt insuper sub eodem *Franciscus Antonius Begnudellius Tridentinus*, hujus Dioecesis Vicarius Generalis in spiritualibus, nec non Canonicus Frisingensis, ac in Jure Ecclestastico haud obscuri nominis Scriptor; tum noster *P. Agapitus a Prato de Tesero in Valle Flemarum*, primo Missionarius Apostolicus, deinde in Seminario Patavino sub *Cardinali Gregorio Barbadico*, nunc Beato, Linguae Arabicae primus Professor, & Grammaticae Arabicae editae Patavii an. 1687. celebris Auctor.

CIII. JOSEPH VICTORIUS.

Ex Nobilibus *de Albertis* de Enno, natus Pergini anno 1623. die 24. mensis Julii, *Felice* patre, Tridentino & Goritiensi Patricio, nec non Castri Perginensis Capitaneo; matre *Anna Junipera Bellinia* ex Nobilibus Goritiensibus, ac inibi baptizatus die 26. ejusdem mensis & anni a *Joanne Todeschino* Archipresbytero Perginensi, susceptusque a Comite *Victorio Madrutio* Domino Avii, Brentonici, & Chalanti, Barone Ayma-Villae &c.

Suorum studiorum curriculum insigni profectu absolvit in alma Urbe, unde in patriam rediens Canonicorum Collegio adnumerari meruit,

fuit, ac Prior fieri S. Thomae; dein Generalis in spiritualibus Vicarius, tum Decanus, ac postremo in Tridentina Sede Pastore vacua omnium suffragiis locatus anno 1689. die 28. Aprilis. Quo quidem anno scribens *ad Eminentissimos & Reverendissimos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales Congregationi Interp. S. Concilii Tridentini Praepositos*, inter cetera eos certiores reddidit: „ Conquiescunt ibidem (*nempe in Eccl. Cathed. Trid.*) insuper magna ex parte Corpora Sanctorum martyrum Sisinii, Martyrii, & Alexandri, quorum opera usus est Divus Vigilius ad propagandam Fidem. Item Sanctorum Claudiani, & Magoriani fratrum, & Sanctae Maxentiae matris ejusdem S. Vigilii, nec non Beati Adalpreti ab uno de Castrobarcensi Familia Vassallo suo, dum Ecclesiae libertatem, & jura propugnat, lancea trajecti. "

Confirmatus fuit ab *Innocentio XII.* Papa die 11. Decembris an. 1691., atque de Regalibus ab Imperatore *Leopoldo* investitus. Per triennium circiter ab ineunda Episcopatus possessione abstinuit, donec tandem ejus potissimum opera Tridentino Capitulo jus administrandi temporalia Sede vacante ex integro est restitutum, ingenti bono ejusdem Capituli, quod propterea gratias ipsi plurimas reddidit reddetque tanti conscia beneficii sera posteritas plane immortales. Magno etiam cum Ecclesiae suae emolumento Spolium, cujus jure Capitulum decedente Episcopo fruebatur, egregie sustulit.

Ab ipsis sui regiminis primordiis solemne habuit de scientia, probitateque Confessariorum, ac Notariorum experiri. Dioecesim suam per Legatos lustrandam curavit, cum per se ipsum ob devexam aetatem, ac infirmam valetudinem, id praestare nequaquam valeret. Eodem mandante nova luce donatae sunt Constitutiones Card. *Ludovici Madrutii* in Dioecesana Synodo promulgatae anno 1593., addita forma constituendi Census ad normam Bullae B. *Pii V.*, & declaratione nonnullorum Casuum, & Contractuum illicitorum &c.

Fuit in audiendis subditorum precibus facilis, in consultationibus de re publica assiduus, in judiciis gravis atque maturus, ad justitiam administrandam natura quodammodo comparatus, suorumque Civium deliciae, ac Praesul omnibus numeris absolutus. Cum autem boni quique diuturnius regimen ipsi optarent, lento morbo contabuit, atque ab hominibus demigravit anno 1695. die ultimo Decembris, in Cathedrali Templo prope Presbyterii gradus sepulcro conditus cum hac Inscriptione:

Joseph Victorius de Albertis Episcopus Princepsque Tridenti sibi posuit. Obiit ultima die anni MDCXCV.

CIV.

CIV. JOANNES MICHAEL.

Ex Comitibus de *Spaur* & *Valer*, natus *Joanne Antonio* patre, & *Maria Juditha* Comitissa *de Arsio* matre, in Castro Medii Sancti Petri die 7. Julii an. 1638. Anno 1677. die 9. Julii jam Tridentinus Canonicus, ad Congressum Steuralem Oeniponti habitum, cum ab Episcopo, tum etiam a Capitulo delegatus, acta in eo retulit. Ex Medio-Coronensi Parocho electus Episcopus Tridentinus an. 1696. die 7. Martii, posthabito Comite *Antonio Piccolomineo* Senensi, Canonico ac Praeposito Tridentino. Pro Regalibus obtinendis varios obices sustinuit, superavitque, tandem a piissimo Imperatore *Leopoldo* impetratis.

Anno 1698. die Dominico 13. Mensis Aprilis peregit solemnia Consecrationis Ecclesiae novi Conventus S. Bernardini apud Tridentum Ord. Minorum strictioris Observantiae, erecti ex largitate praesertim, ac munificentia *Excellentissimi & Illustrissimi D. D. Theodori Atbeti Henrici Comitis de Stratman & Pejerbach*, Sacrae Caesareae Majestatis Consiliarii Intimi, & Supremi Aulae Cancellarii, statuta pro Dedicationis Anniversario Dominica secunda post Pascha. Eodem anno 1698. die 25. Augusti pariter consecravit Ecclesiam S. Vigilii Conventus Cavalesiensis in Flemmis cum tribus Aris, adsignato Anniversario Dedicationis die in Dominica quarta Augusti.

Anno 1699. die 24. Julii admisit, approbavit, confirmavitque viginti sex Capitula, ad restaurationem, seu erectionem, & directionem publici Archivi spectantia, quae Tridentinae Civitatis Consules exhibuere. Anno 1700. ab ipso manavit Constitutio, sive Capitula, circa Electionem Consulum, Distributionemque Officiorum quadrimestrium. Anno 1701. studuit promovere Cultum Sancti *Adelpreti* Episcopi & Martyris, ut illa praefert Inscriptio in Tabula picta supra ejusdem Sancti Urnam:

Adalpreti Episc.
Tridentini & M. mortales exuviae hic reconditae
Celsiss. Jo. Michaëlis Episc.
& Princip. Trid. pietate
Fidelium venerationi restitutae MDCCI.

Anno 1703. sub die 18. Januarii, ac die 7. Januarii an. 1705. duo ab eo manarunt gravissima Edicta *Circa abusum vestium, & habitus a laicali vix, aut parum distincti, Perucharum sine causa medica, & moderatione, ac signo status Sacerdotis distinctivo, seu etiam gestationis longioris Comae, ac retentionem in domo extranearum mulierum sine causa, & dispensatione, quae annum 45. non excesserint.*

Anno 1707. die 14. Junii Literas accepit a *Clemente XI.*, qui-

 bus

bus idem Pontifex laudat ejus *praestantem zelum pro dilatatione Catholicae Veritatis*, atque ab eodem petit, ut promovere velit consilium a nonnullis susceptum erigendi *Seminarium pro Regnis ac Provinciis Septentrionalibus in Civitate Lyncii in Austria*. Aliis quoque Literis de an. 1711. die 17. Octobris idem Pontifex nostri hujus Praesulis pietatem commendat, quod ex sua Dioecesi pecuniarium subsidium colligi curaverit in sumptus *Ecclesiae in Civitate Annoverae* primo aedificandae *in usum & spiritale solatium Catholicorum illarum partium, & Orthodoxae Religionis incrementum*.

Anno 1711. *Carolum VI.* Imperatorem ex Hispania reducem, una cum *Elisabetha* conjuge, Tridenti perhonorifice, splendideque suscepit: cui quidem Imperatori erectus adhuc exstat extra Portam Veronensem S. Crucis Arcus, in cujus meridionali facie legere est:

Imperatori Caesari. Carolo VI.
Divi Leopoldi Filio.
Quod hostibus terra marique victis.
Tranquillitate Italiae restituta.
Ad capessendam Imperii Coronam.
Ex Hispania proficiscens.
Urbem hanc sua Majestate illustravit.
S. P. Q. Tridentinus.

Feudum Castellarii, intercedente morte ultimi Ducis Mantuae absque prole, ac Imperatore annuente, recuperavit. Palatium in Monte Tridentino, vulgo *Dos-Trento*, a Gallis incensum, refecit: Sarcensia quoque Aedificia restauravit, aliaque in Ecclesiam suam contulit beneficia. Primus ex Tridentinis Episcopis ac Principibus dicitur, qui ab Imperatore *Celsissimi* titulo decoraretur; tametsi hujusmodi titulo unus aut alter ex ejusdem Praedecessoribus insignitus quoque legatur.

Obiit piissimae vitae Antistes anno 1725. die 22. Aprilis, aetatis suae anno 88. (hoc alii concordent cum anno natalitio) solemni pompa in Majori Ecclesia tumulatus, habita in ejus commendationem Oratione funebri a P. D. *Joanne Francisco Maria Alexandrino* Clerico Regulari de Somascha, Examinatore Prosynodali.

Vidi satis concinnam Elegiam, quam noster *Jo. Michaël*, dum esset Tridentinae *Accensorum* Academiae Princeps, meritis extulit laudibus *Humilitatem Francisci de Albertis Tridentini Praesulis ac Principis*; ut alia omittam Poëmata, inter quae illud, quod tamquam *Academicus Purgatus* inscripsit *Celsissimo & Reverendissimo Brixinensi Praesuli ac S. R. I. Principi Paulino Mair*. Missa quoque facio Germanica nonnulla, quae ipsemet Italice reddidit.

Sub eodem *Jo. Michaële* Antistite ad an. 1703. ex Voto Civitatis, ob eamdem ab hostili incendio praeservatam, statutum est, ut die 12. Septembris quot annis post Nonam cantetur Missa de *S. Adalpreto* ab uno ex Dominis Ecclesiae

Cathe-

Cathedralis Praebendatis, cum Musicis, & Organo, ac deinceps Altare Sanctis Tutelaribus *Vigilio & Adalpreto* pro incolumitate Patriae erigatur. Ad an. 1710. admissi fuere PP. Oratorii S. Philippi Nerii: ad an. 1715. excitatum Sacellum praedicti *S. Adalpreti* in loco Martyrii apud Roboretum: atque ad an. 1719. facta est Translatio Sacrorum Cinerum ac Ossium *S. Felicis* Garduni ad novam elegantem Capellam.

Sub ipsomet pia morte occubuit Tridenti die 2. Januarii 1715. noster *P. Hippolytus de Hippolytis Perginensis*, intimus Familiaris augustissimi *Leopoldi primi* gloriosae memoriae Imperatoris, ejusdemque an. 1687. ad *Innocentium XI.* P. M. Ablegatus, de duobus nostris Conventibus, videlicet de hoc Tridentino denuo erecto atque an. 1694. perfecto, ac de Flemmensi S. Vigilii an. 1688. absoluto, optime meritus, quorumdam piorum Opusculorum, absque tamen ejus nomine editorum, scriptor, nec non perpetuus Ordinis nostri Discretus, ab Apostolica Sede pro suis egregiis meritis declaratus.

JOANNES BENEDICTUS *Gentilottus ab Engelsbrunn*, Ordinis Equestris, Tridentinus, natus die undecimo Julii an. 1672. patre *Joanne Baptista* Tridentini Episcopi ac Principis Consiliario, atque ad Augustam Aulam pro magnis gerendis negotiis ablegato; matre autem *Caecilia Lebnera* ex genere Baronum *de Leben*.

In primo aetatis flore studia in patrio Gymnasio inchoavit, persequutus est Salisburgi, ac Oeniponti, perfecitque Romae, ubi per octo integros annos moratus adeo in utriusque Juris, Canonici & Civilis, disciplina, nec non in Linguis Ebraea, Graeca, Arabicaque profecit, ut coetui praeclarissimorum Virorum in Collegio de Propaganda Fide, & in Archigymnasio Sapientiae adscribi meruerit, in iisque magna cum sui nominis celebritate de gravioribus selectioris doctrinae argumentis palam, & crebro disertaverit.

Ejus fama permotus *Joannes Ernestus* ex Comitibus *de Thunn* Archiepiscopus Princepsque Salisburgensis an. 1703. ipsum ad se pertraxit, titulisque Directoris Cancellariae, atque Consiliarii Aulici decoravit. Mortuo autem an. 1700. *Daniele Nessalio* Vindobonensi Bibliothecae Praefecto, *Gentilottum* nostrum ad vacantem hujusmodi Praefecturam anno 1704. ex multis delegit *Leopoldus* Augustus. Anno 1707. Comiti *Georgio Adamo Martinizio* Proregi Neapolis fuit comes adjectus, mandante, ac tunc regnante *Josepho* Imperatore. Hocce novo munere egregie perfunctus, post sex menses Vindobonam remeavit, coeptum Caesareae Bibliothecae in ordinem redigendae laborem feliciter continuaturus: quam quidem Spartam strenuissime ornavit ad annum usque 1723., quo designatus fuit Romanae Rotae pro Germani-

ca Natione Auditor. Hujus possessionem Tribunalis nactus est an. 1724. die 14. Novembris, cum paulo ante fuisset in numerum Tridentinae Cathedralis Ecclesiae Canonicorum relatus.

Anno autem mox sequente 1725. cum Sedes Tridentina vacaret, plenissimis omnium Suffragiis, universaque Tridentina civitate plaudente, tametsi absens, ac nihil minus cogitans, quinimo animum gerens ab omni Ecclesiastica dignitate omnino alienum, in Tridentinum Episcopum ac Principem eligi meruit die nono Septembris. Sed hujusmodi inopinatae Electionis notitia ita eum, ceu fulmen, perculit, ut ex immodica animi moestitia illum ad postremas vitae metas adduxerit. Quandoquidem pro viribus quidem reluctans, sed voluntati *Benedicti XIII.* Summi Pontificis, nec non Augustissimi *Caroli VI.* immortalis memoriae Imperatoris vel ingratiis cedens, cum sibi commissum Episcopatum, cui se prorsus imparem pro animi sui moderatione ac modestia profitebatur, tandem aliquando ex coeca quadam obedientia, acceptasset, paulo post moerore confectus ex hac vita migravit Romae ipso anno 1725. die 20. Septembris, annos natus 53. menses 2. dies 9., ut jure meritoque illud quadret in ejus laudem, quod inquit Plinius Junior de Virginio Rufo: *abiit plenus honoribus, illis etiam, quos recusavit.* Profecto illos usque adeo recusavit, ut in ejus longe aequissimam commendationem scripserit supra laudatus Caesar *Carolus VI.* „ Non sine „ aedificatione intelleximus quanto„ pere Electioni de se unanimi „ Capituli consensu factae resistat, „ & quanta cum animi demissione „ eam a se quam longissime amo„ tam velit, ac serio deprecetur. „ Verum non animadvertit ejus „ pietas, quod haec ipsa declinan„ dae istius dignitatis nimia solli„ citudo, Nos, etsi caetera abes„ sent, vel maxime impelleret ad „ denegandam, quam summopere „ anhelat, dimissionem. Exemplum „ tamen placet, probabunt quo„ que, qui id minime imitabun„ tur; ii praesertim, qui ex opi„ nione hujus saeculi nasci Epi„ scopos, non eligi autumant: ex „ quo tanta in Ecclesia Christi ja„ ctura. Itaque Neo-Electo spem „ omnem suae petitionis in adje„ ctis litteris praescindimus &c. "

Vidi alias plures ejusdem Augustissimi *Caroli* Epistolas propria manu exaratas, ac *Gentilotto* nostro, ceu *Bibliothecario* suo inscriptas, & novissime a Barone *Jo. Baptista Gentilotto* ejus ex fratre Nepote grandi humanitate mihi exhibitas, in quibus ipse Caesar modo Thesaurum Vindobonensis Bibliothecae *Gentilotto* concreditum, Libris editis, ac Manuscriptis selectioribus undique conquisitis, magis magisque illustrandum augendumque committit: modo hortatur eum, ut vitium Magni alioqui Lambecii, qui in per-

percenſendis ejuſdem Bibliothecae Libris, eorum cortici nimis inhaeſit, atque in danda eorumdem notitia parcus admodum fuit, prorſus effugiat, contentamque in iiſdem materiem uberius expromat: modo erga ipſum teſtatam facit benevolentiam aeſtimationemque ſuam plane ſingularem: modo ſignificat ſe de literario cum ipſo commercio, vel pro comparando cultioris Latinitatis nitore, etiam atque etiam gaudere: modo incredibili humanitate vel ſua ipſa eidem *Gentilotto* corrigenda ſubmittit: modo ad levandas graviores animi curas, ejus frui eruditis colloquiis peroptat: modo dubia ad variam eruditionem ſpectantia limatiſſimo ejuſdem judicio dirimenda proponit: modo (quod majus adhuc eſt) ipſimet tamquam *Romanae Rotae Auditori*, omnium graviſſima negotia confidit, ut qui in ejus fide ac integritate omnino quieſcebat. Ita Vir ſummus ſummo Caeſari placuit. Neque hinc ambigendum videtur, quod magna Trid. Eccleſiae facta fuiſſet bonorum per ipſum acceſſio, ſi longiorem vitam Superi noſtro Electo induliſſent.

Ceterum ipſe juvit ſtudia Clariſſimorum Virorum, *Bernardi Montfauconii* in editione Graeco-Latina Operum S. Jo. Chryſoſtomi, *Jacobi Echardi* in Editione grandis Operis Scriptorum Ord. Praed., *Ludovici Antonii Muratorii* in Editione Chronici Sicardi Epiſcopi Cremonenſis, *Nicolai Coleti* in Editione To. V. Italiae Sacrae, *Marci* Hanſizii in Editione Germaniae Sacrae, *Stephani Bergleri* in Editione Graeco-Latina Epiſtolarum Alciphronis Rhetoris &c. Arcta quoque ipſi neceſſitudo intercesſit cum *Juſto Fontanino*, duobus *Menckeniis Ottone* & *Joanne Burckardo*, patre & filio, duobus *Zenis Apoſtolo* & *Petro Catharino &c.*

Hinc plura de eodem circumferuntur Elogia, videlicet in *Hiſtoria Bibliothecae Caeſareae Vindobonenſis ad noſtra tempora deducta* ſtudio *Bartholomaei Chriſtiani Richardi* pag. 104., in Praefatione ad Lectorem *Germaniae Sacrae* ſupra laudati Hanſizii; in To. XXXVIII. part. 2. art. 3. *del Giornale de' Letterati d' Italia*; in Lib. cui titulus: *Notizia dell' Accademie erette in Roma per ordine della Santità di N. S. Papa Benedetto XIV.* pag. VII. edit. Rom. MDCCXL.; in Epiſtolis laudati Apoſtoli Zeni; in *Analectis Monumentorum omnis aevi Vindobonenſibus* opera & ſtudio Cl. Adami Franciſci Kollarii To. 1. in Nuncupatoria Oratione inſcripta Auguſtiſſimae Imperatrici nunc regnanti Mariae Tereſiae &c.

Quae mihi innotuere inter Edita ad *Gentilottum* noſtrum ſpectantia, pauca ſunt, nimirum: *Epiſtola de Udalriciani Codicis* (id eſt *Udalrici Babenbergenſis Epiſtolas* continentis) *Conſpectu ad Cl. V. Joan. Burchardum Menkenium, Kal. Maji* 1717. *ſcripta*, ac vulgata *Veronae*, ſeu potius Vindobonae in 4. ſub nomine *Angeli Fonteii* (ſic ſonat Teutonicum *Engelsbrun*) *Veronenſis*. 2. Alia *Epi-*

Epistola data Calendis Maji 1718., eodemque anno, ac mense impressa in 4. pagg. 38. qua priorem vindicat a Censura *Bernardi Pezii*. 3. *Apologeticus adversus umbras Oratii Melliti pro fama A. R. P. Gabrielis Hevenensi & universae S. J. in Causa Libelli, qui CURA SALUTIS inscribitur*, sub nomine *Modesti Taubengall*: 4. Additiones copiosae ac eruditae ad memoratum Tomum quintum *Italiae Sacrae*, ubi de *Tridentinis Episcopis* agitur, edit. Venet. MDCCXX.: 5. Commentarii in Ermoldi Nigelli Poëma To. 2. part. 2. Rer. Italic. a Muratorio vulgati: 6. Additamenta, & Crisis in Annales Lambecianos eodem Tomo: 7. Oratio perquam elegans ab eo habita, occasione ineundae possessionis Auditoris Romanae Rotae.

Quae autem MSS. ejus ad meam pervenere notitiam haec sunt: 1. Animadversiones atque Additiones plurimae ad Opusculum illud Cornelii a Beughem, quod *Incunabula Typographiae* inscribitur, nec non ad *Annales Typographicos* Michaëlis Maittaire editionis Hagae-Comitum 1719.: 2. Notae quaedam marginales ad Pincium: 3. Recensio manuscriptorum Librorum Bibliothecae Episcopalis Tridentinae: 4. Recensio & Notitia Codicum Caesareae Bibliothecae Vindobonensis hoc ordine:

Catalogus MSS. Theologicor. num. 946. in 2. Vol.
— de Historia Eccles. n. 168. in 1. Vol.
— de Historia Profana n. 1102. in 2. Vol.
— de re Medica n. 232. in 1. Vol.
— de re Philosophica n. 613. in 1. Vol.
— de re Philologica n. 445. in 1. Vol.
— de jure Civili n. 299. in 1. Vol.
— de jure Canonico n. 136. in 1. Vol.

Continetur itaque notitia Codicum num. 3941. in Voluminibus num. 10. grandibus ac spissis in folio.

Heic autem temperare mihi neutiquam possum, quin proferam Endecasyllabos Versus Bibliothecae Gentilottae, hujusmodi Codicibus etiam locupletatae, velut loquenti a Cl. Viro *Pantaleone Bortio* accommodatos, qui ut intelligantur, monendus Lector, praefatae Bibliothecae destinatum olim fuisse locum sacro Cadaverum Conditorio Ecclesiae S. Petri Tridenti contiguum, tametsi consilium postea effectu caruerit. Ita ergo de ea cecinit Bortius noster:

Quae

Quae supra taciturna nunc sepulcra
Sedet Bibliotheca Gentilotta,
Plus una regione pervagata,
Olim fessa suos heros rogabat:
Ne nollent stabilem sibi quietem
Parare in Patria, heic ubi in propinquo
Tot compositi homines cubant quiete:
Quod de ea quoque flagitare caussa
Se se ajebat, ut hospites doceret,
Etsi spiritus evolarit, ossa
Humus texerit, haud tamen necesse,
Quidquid est homo totus, hinc abisse.
Nam sensus animi sinu receptos
Visa Pythagorae vagationum
Saecla vivere, nec trium timere
Sibi a luctifica colo sororum,
Quin morbis animi probe mederi.
Quare si cupiant ineruditum
Otium, ingluviem, ferosque mores
Infensos Patriae fugare prorsus:
Heic sibi stabilem parent quietem.
Riserunt Domini, quod ipsa tantum
Sibi assumeret: at ne eos moleste
Quisquam gratificarier putaret
Jocundae comiti domi forisque,
Hanc illi propriam domum dicarunt.
Unum autem monuere: gloriosis
Dictis abstineat, ni inepta dici
Velit, dignaque pluribus cachinnis.
Contra isthaec: neque se peregre agentem
Despectam gravibus viris fuisse:
Neque id Vindobonam, inclytamque Romam
Nescire, a quibus est bona aucta mente.
Sed quid inde? Sibi prius statutum
Prodesse omnibus, & placere paucis.
Haec fertur Dominis locuta, quae tu
Qui polles comitate litterata
Seu falsa increpites, probesque; saltem
Bene ut sit Genio loci, precare.

Inter

Inter cultissima ejusdem *Bortii* Carmina hoc quoque perelegans Epigramma legere est, honorario tumulo in Presbyterio sacrae Aedis Divi Francisci Ord. Min. Conv. extra Tridentinae Urbis pomaerium laudato *Gentilotto* posito, inscribendum:

Si patitur fieri se rapta ad sidera Virtus,
Lugere hunc Cives vos decet ad tumulum.
Cui Roma attribuit meritos, & Caesar honores,
Vir Patriae Princeps, quin Decus occubuit.

A praefato *Bortio* habemus itidem elegans Epitaphium Mausoleo praedicto insculptum, quod ita sonat:

„ Christo Deo

„ Jo. Benedicto Gentilott ab Engelsbrun Ord. Equest. Tridentino, Icto,
„ Polyhistori, Ebraice, Arabice, Graece docto, Latine scribendi aeque
„ ac morum elegantia, Germanici, Italici, Hispanici, Gallici idiomatum,
„ quae emendate loquebatur, peritia, Scriptis editis & nondum vulgatis
„ conspicuo. Qui variis apud Principes Viros muneribus functus, tum
„ Augustae Bibliothecae Vindobonen. Praefectus, & difficili Hispanici
„ Belli tempore ad recipiendum in fidem Neapolitanum Regnum Martinizio Proregi comes datus, tribus Coesaribus operam suam probavit. Carolo VI. acceptissimus, cujus nomine Sacri Palatii XII. Vir
„ litibus judicandis Romam missus. Demum unanimi Patrum Suffragio,
„ atque incredibili omnium Ordinum laetitia Patriae Episcopus & Princeps renunciatus, postquam honorem, ut Pontificiae & Coesaree voluntati obsequeretur, admisisset invitus, contracta aegritudine altero die
„ in morbum heu supremum incidit.
„ Caecilia Mater contra votum superstes,
„ Jo. Franciscus,
„ Jo. Bernardinus,
„ Jo. Josephus Germani moestissimi ne debitae erga colendissimum Fratrem Virumque simul praestantissimum pietati suae deessent, monumentum hoc posteritati ad virtutem invitamentum poss.
„ Vixit annos LIII. menses II. dies IX.
„ Decessit XII. Kl. Octob. MDCC. XXV.
„ Sepultus est Romae ad D. Mariae Animarum Patronae. “

Istic

Ibbic autem hoc accepi exstare Epitaphium Statuae Gentilotto *nostro erectae adpositum, atque ab eodem Bortio dictatum:*

„ Deo Aeterno & Memoriae Sacrum.

„ Jo. Benedictus Gentilott ab Enghelsbrun Ord. Equestris Tridentinus, Salisburgo, ubi Sanctioris Cancellariae & Consiliarii Aulici munia obibat, propagata omnigenae eruditionis ejus, ac idiomatum, quae loquebatur, fama, ad Augustae Bibliothecae Vindobonensis Praefecturam accitus, inde tractandis Neapolitanis negotiis adhibitus, demum vero a Caesare Carolo VI. Sacri Palatii XII. Vir litibus judicandis Romam missus, inibi merens concordibus Suffragiis in Patriae suae Episcopum & Principem electus, cum inter infortunia delatam sibi dignitatem numeraret, atque etiam praeseferret, paucis post ex voto diebus e vivis sublatus, hic sepultus est.

„ Caecilia Mater, Jo. Franciscus, Jo. Bernardinus, Jo. Josephus fratres moestissimi munimentum hoc eidem posuere.

„ Vixit annos LIII. menses II. dies IX. Decessit XII. Kal. Octob. „ MDCCXXV. "

CV. ANTONIUS DOMINICUS.

Ex Comitibus de *Wolckenstein* & *Trosburg*, natus *Gaudentio Fortunato* patre, ac *Margarita* de *Altemps* matre anno 1662. die 29. Januarii. In patrio Gymnasio humanioribus literis, & in Anglipolitano (sive Ingolstadiensi) Athenaeo severioribus disciplinis studuit, in Patavina autem Universitate supremam lauream emeruit. Jam per 45. annos Tridentinus Canonicus, tum Summus Scholasticus, ac Senior, nec non Consiliarius, Comitis *Gasparis* Urbis Tridentinae Praefecti seu Capitanei, de Patria optime meriti, germanus frater, & verus Pater Pauperum, electus fuit Episcopus noster anno 1725. die 26. Novembris, confirmatus autem a *Benedicto XIII.* Papa an. 1726. die 8. Aprilis. Possessionem adiit eodem anno 1726. die 25. Aprilis, & die 2. Junii consecratus a *Petro Maria de Marchionibus Suarez Trevisano*, Episcopo Feltrensi, adsistentibus *Jo. Michaële Wenceslao Comite de Spaur* Episcopo Rhosseno ac Suffraganeo Tridentino, necnon *Valerio Bellato* Episcopo Nasionensi Praelato Domestico.

Visitavit Vallem Lagarinam, ac septem Paroecias Judicariarum anno 1728. Ad ejus preces an. 1729. die 9. Aprilis Sacra Rituum Congregatio indulsit Officium Conceptionis B. M. V. in universa Triden-

dentina Dioecesi singulis Sabbatis non impeditis recitandum &c. Se praebuit Episcopum mirae humanitatis & clementiae. Decessit non absque totius Principatus moerore anno 1730. die 5. Aprilis, aetatis anno 69., grandi pompae apparatu in Cathedrali Ecclesia die 8. sepultus, cujus memoria adhuc in benedictione est. Parentalia, sive Laudationem funebrem celebravit P. M. *Josephus Maria Ulmus* Bergomensis, Ordinis Minorum Conventualium.

Sub eo Matres Ursulinae, quae anno 1721. Oeniponto Tridentum venerant, seque ad Palatium dictum *delle Albere* extra Urbem receperant, die 2. Octobris 1727. *Fraljmanum* intra eamdem Urbem, olim ad Fratres Alemanos, ac postea ad Patres Theatinos spectantem, obtinuere, ac inibi mox novi amplique Monasterii fundamenta jecerunt.

CVI. DOMINICUS ANTONIUS.

Ex Comitibus *de Thunn*, patre *Vigilio*, ac matre *Joanna* Comitissa *de Wolckenstein*, sorore jam laudati Episcopi *Antonii Dominici*, natus Tridenti anno 1686. Calendis Martiis. Primum Canonicus, tum Episcopus ac Princeps Tridentinus electus anno 1730. die 19. Junii, confirmatus eodem anno, die 22. Novembris, a *Clemente XII.* Summo Pontifice. Possessionem accepit ipsomet anno 1730. die 18. Decembris, applaudente communi laetitiae panegyrica Oratione supra memorato P. *Ulmo*; consecratusque anno 1731. die 4. Februarii a *Jo. Michaële Wenceslao Comite de Spaur* Suffraganeo, adsistentibus *Valerio Bellato* Episcopo Nasionensi, & *Rudolpho Fortunato Comite Troyero* Canonico Tridentino, & Ecclesiae Collegiatae Bulsanensis Praeposito Infulato.

Magno Etruriae Duci *Francisco II.* ac *Mariae Teresiae* ejus Conjugi, modo ad Sacri Romani Imperii clavum auspicato sedentibus, magnifice ac splendide ornavit hospitium, atque convivium, ac aliis quoque Principibus hinc transeuntibus se oppido hospitalem exhibuit, necnon in omnes maxime liberalem, atque beneficum. Multa incommoda passus est occasione Belli inter Augustissimam Domum Austriacam, & Reges Galliae, ac Hispaniarum, pro quibus aurea pectorali Cruce, pretiosis gemmis ornata, ab Imperatore *Carolo VI.* donari meruit.

Plura ab eodem Antistite salutaria Edicta manarunt die 1. Febr. 1734. ac die 14. Maji ejusdem anni; die 10. Jan. 1737., die 20. Aug. 1741., die 23. Decemb. 1744. &c. Ipso mandante exterminatus est abusus, qui nonnullis in locis invaluerat, indulgendi Baptisma abortivis illis, qui nescio quae vitae indicia coram Sanctorum Imaginibus per miraculum edere credebantur. Id quod jam pridem vetitum legebatur in Synodalibus Statutis *Guidonis* Episcopi Lingonensis an. 1479.

Ea

Ea *Dominicus Antonius* ferebatur erga Divini Verbi Praecones devotione, ut non nisi gravissimis distentus curis, ac infirma admodum valetudine impeditus, ab eorumdem sermonibus, vel in aetate jam senescente constitutus, abesse consueverit; eoque erga Regulares Ordines amore, ut ipsis favere nusquam destiterit. In minoribus coluisse Musas plura ejus Poëmata comprobant. Pie defunctus est Tridenti in Castro B. C. anno 1758. ingruente die Jovis 7. Septembris, ac in summo Templo solita pompa sepultus die 10.; cujus praeconia recitavit P. D. *Josephus Zucchius* Cl. Reg. Somaschensis in Episcopali Seminario Rhetorices Professor.

Sub ejusdem Praesulis regimine in memorato Tridentinae urbis templo, diruta antiquae Cryptae forma, erectum est Altare Majus multo splendidum ac magnificum, quatuor columnis ornatum, in quarum basibus haec insculpta leguntur:

D. O. M.
In honorem BB. MM.
Vigilii & Adelpreti
Epp. Trid.
ob Urbem contra Gallos servatam
Anno MDCCIII.
Votum Pub. solvit lubens merito
S. P. Q. Trident.
Anno MDCCXLIII.

In proximiori eidem Altari columna, qua templi fornix suffulcitur ad Cornu Epistolae, adspectabilis est haec lapidea Inscriptio:

D. O. M.
Ut totius Aedificii Symmetria
illustrata pateret, Tholo
altius elevato, Fornicibus
Pictura excultis, & depressa
Crypta, in qua Sanctae Maxentiae
Ossa condita erant, Pavimentum
hoc Altari Majori ac Odeo
substratum, marmoreisque
Septis & Gradibus terminatum
fuit Anno MDCCXL.

In alia autem columna e regione posita, ad supplementum antiquae Inscriptionis, quae in fronte memoratae Cryptae olim cernebatur, sequens itidem lapidea suffecta est:

D. O. M.
Quod Paulo III. Pont. Max. priores
octo Concilii Tridentini
Sessiones: sedente vero Julio
III. aliae sex in hac Aede habitae;
quodque hic itidem ejusdem
Concilii, in Templo quidem
Sanctae Mariae Majoris
absoluti, Decreta omnia ante
Crucifixi Christi Simulacrum,
in conjuncto Sacello modo
positum, promulgata fuerint,
posteritati monimentum.

Sub laudato hactenus Episcopo floruit *Laurentius Vigilius de Nicollis* Tridentinus, J. U. D. Protonotarius Apostolicus, Caroli VI. Familiaris Aulicus, Consiliarius Ecclesiasticus Electoratus Moguntini, Canonicus B. M. V. ad Nives, & Consiliarius Salisburgensis, tandemque Abbas Infulatus perpetuus *S. Mariae Zöll* in Carinthia, plurium Canonicorum Operum eruditus Scriptor, inter quae vidi *Praxim Canonicam*, in fol., quam nuncupavit an. 1729. *Leopoldo Antonio Eleutherio* ex Baronibus de Firmian Archiepiscopo Salisburgensi &c. Claruerunt quoque *Bartholomaeus Antonius Dusinus* Clesiensis, Protonotarius Apostolicus, Metropolitanae Viennensis Ecclesiae Canonicus, & auctor libri cui tit. *Pastor Bonus*; nec non *Antonius de Clusolis* Roboretanus J. U. D. Geographicus, Geometricus, ac etiam Genealogicus Scriptor.

LEOPOLDUS ERNESTUS ex Baronibus, dein Comitibus *in Firmian*, natus Tridenti anno 1708. die 22. Septembris, *Francisco Alphonso Georgio* patre, ac *Barbara Elisabetha* Comitissa *de Thunn* matre. Anno 1723. fuit Canonicus Tridentinus, ac Passaviensis: anno 1728. Canonicus Salisburgensis: anno aetatis suae 21. completo ex Apostolica dispensatione primam suam Missam celebravit. Anno 1730. fit Salisburgensis Consistorii Praeses; eodemque anno Tridentinus Praepositus. Anno 1733. die 23. Septembris electus Decanus Salisburgensis:

gensis: anno 1739. die 13. Febr. Episcopus Princepsque Seccoviensis in Stiria: & postremo a Tridentino Capitulo Coadjutor cum futura successione, & Administrator Plenipotentiarius anno 1748. die 29. Maji. Cum autem Viennam mox sese contulisset, ejus nomine *Antonius Felix Cinrlettus* Tridentinus, Episcopus Tejensis, possessionem Dominii temporalis capessivit.

Anno 1749. pro suo vere pastorali zelo totam Dioecesim visitare coepit, saluberrimisque legibus, a civitate exorsus, temperavit. Eumdem zelum, praesertim pro Clero rite formando, perspicue demonstrant plures illius Encyclicae Literae, atque Sanctiones, quae collectae videri possunt in *Appendice nonnullarum Constitutionum perquam utilium* adjecta ad calcem Constitutionum *Card. Ludovici Madrutii* novissimae Editionis Monaunianae. Castrum Cornu Lagarinae Vallis, aliaque Tridentinae Ecclesiae jura feliciter recuperavit. Ad ipsius preces *Benedictus XIV.* indulsit toti Tridentinae Dioecesi *Officium B. Mariae de Socòs*, *dictae de Cervellon Virginis Ordinis B. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum*, necnon *Officium S. Camilli de Lellis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis Fundatoris*, utrumque sub ritu duplici. Fuit vitae integerrimae Praesul, Disciplinae Ecclesiasticae studiosissimus, Christianarum Institutionum promotor egregius, erga Christi pauperes effusus, Sanctioris morum doctrinae zelator optimus, adeo ut Libellum Anonymum, qui *Christianarum Institutionum* titulo opiniones quasdam ac sententias laxae Morali nimium faventes invexerat, omnino prohibitum exterminatumque voluerit.

Sed cum omnia rite administrarentur, inopinato, mense Septembri an. 1755. in eum, quem Capitulum Tridentinum elegisset, se renunciaturum adseruit, habito ad id efficiendum Apostolico consensu, prout reapse renunciavit in sequentem. Vivit adhuc, translatus Calendis Septembris 1763. ad Ecclesiam Passaviensem, cui adhuc majora exoptamus.

Eodem vix Tridentinam Ecclesiam regente, mors immatura (quod adhuc dolentes dicimus) sustulit *Pantaleonem Bortium* Canonicum, ac Vicarium in spiritualibus Generalem, virum cum Latina, tum Etrusca lingua exercitatissimum, ac in priori quidem potissimum, usu Graecae peritum, & in Hebraea satis doctum, in pangendis Carminibus haud absque aureae aetatis lepore (a quo etiam habemus inter alia plura elegantissimos Hymnos cum pari Officio Trium Sanctorum Martyrum Anauniensium) atque ut verbo dicam, virum oppido literatum; necnon de novo erigendo Seminario una cum germano fratre *Laurentio* Presbytero, viro itidem integerrimo, optime meritum: cui utpote meis laudibus longe superiori, adposuerim illud Ecclesiastici c. 42. 8. elogium: *eruditus*

tus in omnibus, & probabilis in conspectu omnium virorum.

Neque praetereundi absque merita laude noster P. *Antonius Maturius de Mezzana* Vallis Solis, primo Missionarius, tum Vicarius Apostolicus Smirnensis, postea Episcopus Scyrensis, demum Archiepiscopus Naxiensis, ac totius Maris Aeggaei Primas, defunctus Scyrae 16. Apr. 1751.; nec non P. *Josephus Musochius* Vicentinus, primum B. *Gregorii Barbadici* Familiaris, tum Oratorii Tridentini S. Philippi Nerii praecipuus Fundator, ejusdemque ad mortem usque Praepositus, in Dominica hujus Dioecesis Tridentinae Vinea, per quadraginta & amplius annos indefessus Operarius, multorumque Opusculorum Asceticorum Scriptor, qui ad Dominum migravit Tridenti die 23. Julii 1754., aetatis vero suae an. 86. men. 5. d. 11. ipsum funebri oratione commendante nostro P. Petro Marcellino Armano Tennensi. His accensendus *Joan. Baptista Partinus* Roboretanus, Abbas Regalis Abbatiae S. Petri de Laureto in Aprutio, ac dein Primicerius Ducalis Ecclesiae S. Andreae in urbe Mantuana, qui diem suum obiit Roboreti an. 1758.

CVII. FRANCISCUS FELIX.

Ex Comitibus *de Albertis de Enno*, natus Tridenti *Gervasio* patre, *Barbara* Comitissa *de Bortolatiis* matre, anno 1701. die 4. Octobris. In Patria humanioribus literis, Romae autem gravioribus studiis, ac praecipue Theologicis Disciplinis excultus. Anno 1724. Canonicus Tridentinus, atque ob rerum gerendarum peritiam modo suis Praedecessoribus a Consiliis; modo Delegatus in condendis auctoritate Apostolica Processibus super Causis Beatificationis septem BB. Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V., nec non Venerabilis Servae Dei *Joannae Mariae a Cruce* Roboretanae; modo in obeundis pastoralibus Visitationibus adhibitus: ac tandem posteaquam in pluribus Tridentinae Ecclesiae arduis negotiis honorificum sui periculum fecisset, nec pauperum pro ratione redituum Ecclesiasticorum fuisset oblitus, unanimi Canonicorum voto, ac tota plaudente Civitate, electus Coadjutor cum futura successione, & Administrator Plenipotentiarius anno 1756. die 6. Martii: designatusque Episcopus Antinoopolitanus, atque a Sacris Majestatibus Regio-Imperialibus Consiliarius intimus actualis factus, possessionem adiit eodem anno 1756. die 25. Octobris. Consecratur Episcopus Miletopolitanus anno ipsomet die 14. Novembris in Cathedrali Ecclesia S. Vigilii a *Bartholomaeo Antonio Passio* Episcopo Pellensi & Suffraganeo, adsistentibus *Edmundo Leonardo* Comite *de Kuen* Canonico Brixinensi, atque Bulsanensis Collegiatae Praeposito Infulato, nec non *Ignatio Kranabitero* Canonicorum Regularium Lateranensium S. Augustini ad S. Michaëlem Mitrato Praeposito.

Mor-

Mortuo Coadjuto Tridentinus evasit Episcopus, Regalibus acceptis ab Augustissimo *Francisco* Romanorum Imperatore an. 1759. die 27. Septembris Viennae, per Procuratorem Comitem *Gervasium* suum ex fratre *Bartholomaeo* nepotem.

Anno 1760. die 18. ejusdem mensis Septembris *Isabellae Mariae*, Philippi Parmensis Ducis praestantissimae filiae, per Procuratorem *Josephum Wenceslaum* Principem *de Liechtenstein* matrimonio junctae cum *Josepho* Austriae Archiduce, nunc autem Romanorum Rege, summis Viris, ac nobilissimis Feminis stipatae, Parma Viennam properanti, dapes & hospitium ingenti adparatu exhibuit.

In sua ad sacra Limina Relatione data Tridenti die 10 Decembris ejusdem anni 1760. atque per suum ex sorore *Archangela* nepotem Canonicum *Sigismundum Antonium Mancium* Romam delata, perhonorificum illud sibi, & *Sancto Adelpreto* etiam gloriosum, accepit Responsum, cujus Fragmentum adtexuimus ad calcem Praeviae Dissertationis Voluminis secundi, datum Romae 30. Maji 1761.

Ad ejusdem preces die 16. Junii 1762. *Clemens XIII.* P. M. concessit Dioecesi Tridentinae universae *Officium cum Missa BB. septem Fundatorum Ordinis Servorum B. M. V.* Publica Exercitia spiritualia pro rite comparandis Ordinandorum animis instituit. A sui Episcopatus exordio ad finem usque constantissime studuit Gregem sibi commissum optimis Parochis providere. Cuidam Libro absurdis laxisque propositionibus referto nigrum thetta praefixit; absonas quoque de Probabilismo Theses proscripsit. Mensam Episcopalem aere alieno gravatam pro viribus sublevandam, necnon plura, eaque non levia ornamenta Castro Boni Consilii adjicienda curavit. Zelo nusquam satis laudando pleraque ad novi Seminarii erectionem necessaria comparare studuit, hoc ipsum praestantissimum opus urgente *Angelo Antonio Rosmino* ejusdem Generali in Spiritualibus Vicario, illudque grandi largitate promoventibus Urbis Consulibus.

Ejus mandato iterum prodiere Constitutiones Synodales *Cardinalis Ludovici Madrutii*, una cum Forma constituendi Census ad instar Bullae Pianae, atque cum nonnullarum Constitutionum perquam utilium Appendice. Ipsius etiam jussu novam lucem adspexit *Manuale Sacrificantium*, ejusdemmet Pastorali munitum, ac aliud optimum Opusculum inscriptum: *Bilancia del Chiericato*, jam antea editum mandante *Benedicto XIII.* pro Ecclesia Beneventana, ac jubente Cardinali *Angelo Maria Quirino* pro Ecclesia Brixiensi, pariter ipsius Pastorali illustratum, ubique spirante sensa Patrum Augustini & Bernardi, Concilii Lateranensis sub Innocentio III., ac Tridentini, necnon S. Caroli Borromaei.

Sicut

Sicut suae Ecclesiae Jurium se se peritissimum praebuit, ita eorumdem pariter longe invictissimum vindicem. Tanta fuit Praesul noster erga subditos humanitate, ut audiendis omnibus se perquam facilem, pronumque praebuerit; tanto erga Patriam amore, ut maluerit aerarii dispendium pati, quam id, quod publicum commercium, quietemque turbabat; tantoque labore, ut nullum tempus praeterlabi fineret absque scriptione (tametsi fere semper infirma valetudine) ita ut nil mirum si VII. grandia Volumina ad illustranda suae Ecclesiae Jura, conquisitis undique Documentis, compegerit, praeter amplum satque accuratum Repertorium Capitularis Archivi.

Eumdem adhuc majora ad ipsius Ecclesiae bonum, & ornamentum assidue meditantem praefestina mors, proh dolor! nobis eripuit die ultimo anni 1762. de mane, quo die itidem e vivis abierat *Joseph Victorius* ejus Propatruus ac Praedecessor, in cujus sepulcro die 4. Januarii 1763. grandi pompa, & frequentissimo populo tumulatus est, Orationem funebrem in ejus laudem recitante *Francisco Antonio Rodulphio* Examinatore Prosynodali, nunc in Spiritualibus Provicario. Solemnia quoque Parentalia celebrata sunt in oppido Perginensi, una cum Oratione funebri Presbyteri *Joannis Antonii Valdagni*.

Eadem mors nobis praeripuit quoque, laudato *Francisco* adhuc vivente, alios duos praeclaros viros, qui patriam nostram perquisitis diligentissime monumentis illustrare studuerunt, nempe *Paridem Fuithenium*, qui fuit a Secretis Cardinali Vallemano, Comiti Harrachio Proregi Neapolitano, & Antonio Dominico Wolckensteinio Episcopo ac Principi nostro, quive plura in hanc rem manuscripta Collectanea reliquit; nec non *Hieronymum Sardaneam de Meanperg*, cujus inter cetera vidi *Vitam & Gesta Hugonis Candidi Cardinalis Tridentini ex diversis Auctoribus excerpta*; in qua Vita, quae incipit: *Infelicissimo Ecclesiae, & rei Christianae statu*, eo pacto vindicat patriae nostrae praefatum *Hugonem*, ut sicut ipsum censet Tirolensem Scriptorem, ita eumdem autumat insignem suae tempestatis Schismaticum. Accedit alius Scriptor de morum disciplina optime meritus, ac libris editis, manuscriptisque in eamdem rem clarus, videlicet *Antonius Guardus* ex Valle Solis, Parochus Vicensis in Anaunia.

CVIII. CHRISTOPHORUS II.

Ex nobili *Sitiorum* Genere Tridenti natus die 19. Augusti an. 1706., patre *Alberto*, matre vero *Barbara* ex itidem nobili *Trentiniorum* Familia. Gravioribus studiis in Germania, & Italia cum laude absolutis, inter Canonicos Tridentinos (resignante *Petro Xaverio Equite Trentinio*, ejus avunculo) cooptatur

tur die 10. Julii 1750. Tandem raro admodum exemplo devoluta ad Sedem Apostolicam electione, ac Deo singulariter disponente, a Sanctissimo Ecclesiae Catholicae Hierarcha *Clemente XIII.*, ob perspectas ejus virtutes, die 2. Julii 1763. renunciatus fuit Tridentinus Episcopus. Hujusmodi perquam fausta electio, civitate plaudente, ipso autem ad onus Angelicis humeris formidandum inopinato sibi imposition lacrymante, die 12. sequenti, divis *Hermagorae* & *Fortunato* sacra, fuit solemniter publicata. Possessionem nactus est die 19. Dec., consecratus die 21. ejusdem mensis & anni, in Ecclesia Majori, a Suffraganeo *Passio*, adsistentibus Praepositis Infulatis Bulsanensi, & Sancti Michaëlis sub Praedecessore memoratis; nec non Regalibus ornatus ab Augustissimo Romanorum Imperatore *Francisco* die ult. Junii 1764. Viennae, procurante Comite *Joanne Carolo Herbersteinio*, Canonico & Consiliario Aulico Tridentino. Praeclara ejus gesta posteris relinquimus percensenda, ut illud Eccli XI. 30. *Ante mortem ne laudes hominem quemquam*, impleamus: ei unice apprecantes, quod boni omnes exoptant, ut sicut ille, *qui est caput omnis Principatus & Potestatis* (ad Coloss. II. 10.) *statuit ei Principatum Sacerdotii* (1. Mach. XI. 27.) ita praestet, ut instar Salomonis pacifici, *firmatum sit regnum ejus nimis*. 3. Reg. II. 12.

Series Antistitum Tridentinorum explicit.





CATALOGUS

Decanorum & Canonicorum Cathedralis Ecclesiae Tridentinae, quorum notitia haberi potuit.



Ndreas Archidiaconus, qui pro *Heimberto* Episcopo suo interfuit Synodo Mantuanae an. 827. Vivebat quoque ad an. 845.

Ardingus Archidiaconus, qui primus occurrit sub Ordine Diaconorum in Diptycho Udalriciano To. 2. vulgato.

Waltpertus Archidiaconus, ultimo loco memoratus sub eodem Diaconorum Ordine prima manu exarato. Devixit die 18. Febr. ex Calendario Udalriciano diversis manibus aucto cit. To. 2.

I. ISPERRO Decanus, cujus memoriam servant praefati Diptychi auctaria sub Ordine Presbyterorum.

II. WALTOLFUS Decanus, post Isperronem eo loci relatus, atque etiam in Calendario Udalriciano die 17. Maji, quo animam efflasse perhibetur.

Jechonias Archidiaconus an. 1160. Obiit die 24. Martii, teste Cal. Udalr., sed anno incerto.

Adoiricus (*an* Odolricus?) Canonicus 1160. In Cal. Udalr. die 26. Martii legitur: *Obitus Odalrici Sacerdotis & Canonici.*

Oldericus Scholasticus 1161.

Magister Romanus Canonicus 1163. & 1190. Memoratur in Additionibus ad Diptychum Udalricianum sub Ord. Diac., & in Cal. Udalr. ad diem 22. Junii, quo vita functus dicitur.

Dominicus Presbyter & Canonicus 1163.

Conradus Canonicus 1163. Cujusdam *Conradi Canonici* obitus notatur in Cal. Udalr. die 15. Apr.

III. SALOMON Decanus an. 1166. tandemque Episcopus Trid. an. 1177. ante Cal. Aug.

Canonici.

Albertinus de Campo 1166.

Odelricus Capitaneus 1166. In Cal. Udalr. 20. Jan. habetur: *Anniversarium Domini Odelrici Capitanei & Sacerdotis.* Si cui volupe fuerit a me intelligere, quid per ly *Capitaneus* significetur, dicere ausim quod sentio, videlicet non familiam, sed militare officium, quod idem *Odelricus* obivit priusquam ad Ecclesiae castra transiret, fore accipiendum, illique vel Sacerdoti nomenclaturam hujusmodi, ceu honoris titulum, adhaesisse. Haud secus evenisse novimus proximiore nobis aetate *Christophoro Fuchsio*, quem supra pag. 188. audivimus nuncupatum *Militem, & Decanum Ecclesiae Brixinensis*; quem quidem *Militis* titulum Inscriptio a nostro *Christophoro Madrutio* eidem erecta ita declarat:

D. O. M.
Christophoro Fuchs
Militaria Munia per manus sibi a nobilissimis
parentibus tradita diu strenue functo,
ac demum sacris addicto
ad Episcopatum Brixinensem unanimi Canonicorum consensu vocato,
eodemque egregie per triennium, una cum Austriae Superioris
Ditione (cui praeerat) gubernato
Christophorus
ex Baronibus Madrutii, Avii, & Brentonici,
Cardinalis & Episcopus Tridentinus ac Administrator Brixinensis
benemerito de se Praedecessori
Posuit.
Vixit Annis LVII. Mensibus II. Diebus XXIII.
Obiit vero Anno Dñi M.D.XLII.
IX. Decembris.

Adhui-

Adhuinus 1172. & 1224.

Federicus 1172. & 1177. An iste fuerit *Federicus* electus Tridentinus Episcopus an. 1207. ratio est suspicandi.

IV. ALBERTUS de Madrutio Decanus an. 1178. die 21. Martii, simulque Vicedominus, ac demum circa Martium an. 1184. Episcopus Tridentinus.

Canonici.

Turcus, dictus quoque Turketus, & Turco, de Cremona, Jurisperitus, 1178. ac 1193. tandem Decanus.

Moscardus 1178. & 1185.

Martinus 1178. Archidiaconus 1180. & 1183.

Repretus, seu Rampretus, vel Reimpertus 1178. & 1195. Fuit Diaconus tantum.

Otto de Pao 1178. & 1214. Fuit Presbyter. Obiit 6. Febr. ex Cal. Udalr.

Arnoldus Domini Adoini 1180. & 1195.

Gualo, seu Wala 1180. & 1191. Fuit Presbyter.

Pessatus 1180.

Gisloldus Adelardi de Cavechano 1181. & 1222.

Echenus filius Comitis Federici de Piano 1181. *Comes Egeno*, vel *Egino de Piano* inter Canonicos Trid. comparet quoque ad annos 1185. 1189. 1194. 1233. ac 1235. Iste an. 1241. & 1242. erat Electus & confirmatus Episcopus Brixinensis. Vide supra pag. 63.

Perro 1183. & 1214.

Adelpretus de Porta Auriola, dictus etiam Albertus de Porta 1183. ac 1198.

Conradus 1184.

V. CONRADUS de Beseno Decanus an. 1185., simul etiam Vicedominus, deinde an. 1188. Episcopus Tridentinus, tandemque Monachus Sangeorgianus. Vivebat an. 1210. die 18. Dec.

Canonici.

Tiatmarus 1185.

Albertus de Fabris 1185.

Zuco 1185. & 1214.

VI. VULDERICUS Decanus, qui ex Calendario Udalriciano decessisse constat die 20. Julii. Quo autem anno, plane nos latet; imo an sedes isthaec sit ei adsignanda haeremus dubii, quum praeter Necrologicam praedicti Calendarii, nulla alia ejus nobis occurrerit memoria.

Cano-

Canonici.

Cornelius 1191. & 1195.
Federicus Pantarana 1191. & 1214.
Litoldus, sive Liutoldus, vel Itoldus 1192.

VII. TURCO de Cremona, erat tantummodo Canonicus anno 1193., Decanus autem an. 1194. die 10. Maji. Fatis cessit an. 1213. die 23. Aprilis. Ejus meminit Calendarium Udalricianum, atque Diptychi pariter Udalriciani auctarium sub Ordine Presbyterorum.

Canonici.

Conradus Capellanus 1195. & 1234. Ad hunc Canonicum spectare videtur Canon *Cum super*, in Decret. Greg. IX. lib. 3. tit. 8. *de Concess. Praeb.* Siquidem pluribus in editionibus titulum hunc praefert: *Innocentius III. C. Canonico Tridentino*. De eodem Canone agit Lud. Thomassinus *Vet. & No. Eccl. Discip. de Benef.* part. 1. lib. 3. c. 10. n. 14.
Otto Caratius, sive Carasius 1195. & 1197.
Udalricus Grilus Presbyter 1195.
Burchardus, sive Porcardus 1195. ac 1199. Quidam *Porcardus* ad an. 1192. erat *Scribanus* Episcopi Trid.
Martinellus Diaconus 1195.
Amelricus de Beseno, Peregrini filius, 1195. & 1210.
Pellegrinus Archidiaconus 1196.
Martinus Niger 1197. & 1217. Hujus nomen claudit Ordinem Presbyterorum Diptychi Udalriciani additionibus aucti.
Federicus de Folandro, seu Follandres, & Villanders 1197. & 1204.
Magister Vivianus 1198. & 1208.
Martinus Longus Archipresbyter Lagarensis 1198. & 1217. Memoratur in additionibus Diptychi Udalriciani sub Ord. Presb.
Joannes Presbyter & Capellanus 1204.
Maximianus 1208. & 1235. Presb. Praedicto an. 1208. constitutus est Archipresbyter Avolani.
Magister Armanus 1208. & 1235.
Zanebellus, sive Joannes Bellus 1208. & 1229. Archidiaconus 1234. Presbyter. Sub Episcopo *Friderico* fuit Archipresbyter Arci, ac sub Episcopo *Adelpreto III.* Clesii, Arcensi Plebe dimissa.
Ulricus de Porta 1208. Denique Decanus.
Gerardus 1209. & 1211. Archidiac. 1212. & 1222. dein Episc. Trid.
Henricus de Cronpach 1210. & 1221.

Odol-

Odolricus de Sellano, sive Sejano, 1210. & 1225. Ab an. 1208. hunc reperi Archipresbyterum Nomassi.

Warimbertus de Cagnò 1210. & 1217. Claudit Ord. Diacon. Auctar. Dipt. Udal. Alius hujus nominis Canonicus absque patriae indicio recensebitur inferius ad an. 1241.

Federicus Praepositus & Canonicus 1211. & 1215. Heic monitum volo lectorem, mihi binas Chartas occurrisse an. 1214. & 1218., in quibus memorantur *Gerardus Archidiaconus*, *Henricus de Krompacho*, *Federicus Praepositus de Pruckenbergo &c.*

Aldrigetus de Campo, Friderici filius, 1211. & 1232. dein Episc. Trid.

Marcus 1211.

Abelinus 1212. & 1234. Ejus mater obiit an. 1212. die 28. Aprilis, teste Calendario Udalriciano additamentis Necrologicis locupletato.

VIII. HENRICUS Decanus an. 1214. ac 1222.

Canonici.

Martinus de Pedibus 1214. & 1217.

Trintinus Rubeus 1214.

Bertoldus Rubeus 1214. & 1229. Vide inferius ad an. 1234.

Gisloldinus 1214. & 1229. Alius omnino est a *Gisloldo* supra relato ad an. 1181., uterque enim recensetur in uno eodemque monumento.

Odelricus filius Peregrini Adhuini 1214.

Adelpretus filius Wicomarii 1214.

Ancius filius Taranti 1214. & 1231.

Magister Odolricus Scholasticus 1220. & 1286. Hunc Episcopus *Egno* an. 1272. die 4. Aug. constituit suum Vicarium quoad omnes Ecclesias ac Paroecias a *S. Michaële*, & *Mezo* usque ad Dioecesis fines versus meridiem, & occidentem. Episcopalis Vicarii munere fungebatur quoque ad praefatum an. 1286.

Rodulphus Archidiaconus 1224. & 1229.

Magister Nicolaus de Cremona 1224.

Trintinus de Amico, vel Amichi 1227. & 1259.

Adelpretus de Dño Perio 1227.

Joannes de Parma 1228.

Federicus de Clesio 1228. demum Decanus.

IX. ODELRICUS Decanus an. 1229. & 1237. Varie nomen istud literis consignatum reperitur, videlicet *Odolricus*, *Oldericus*, *Odoricus*, *Udalricus*, *Vodalricus*, *Voldaricus*, *Ulricus*, *Olricus &c.*

Cano-

Canonici.

Conradus Thesaurarius Presbyter 1229. & 1235. Dubium suboriri potest an idem sit ac supra relatus Conradus Capellanus ad an. 1189.

Trentinus Petrenellae Presb. 1229.

Azillus Presbyter 1229.

Omnebonum 1229. & 1259.

Bonfadus Legum Doctor 1233. ac 1244. Quidam *Bonfadus* an. 1232. erat Archipresbyter Randenae.

Bonifacius de Castrobarco natus patre Azone, filio Abriani, filii Aldrigeti, Canonicus ad an. 1233. Archidiaconus, cum jurisdictione animarum, & causarum matrimonialium deputatus an. 1236. Excessit e vivis an. 1238. die 5. Octob. Vidi ejus Epitaphium vivo parieti exteriori Chori Ecclesiae Cathedralis Tridentinae Burgum novum versus insculptum atque ita sonans;

Anno Domini MCCXXXVIII.
Indict. XI. die Martis
V. intrante Octobri obiit
Bonifacius de Castrobarco
Archidiaconus Tridenti,
qui est hic sepultus.

Aicardus 1234. & 1235.

Bertoldus Liebus 1234. & 1235. An legendum *Rubeus* pro *Liebus*?

Pelegrinus Domini Adhuini 1234. & 1260.

Ancius nepos Magistri Oldorici Scholastici 1234. & 1241.

Jacobus 1234. & 1246.

Conradus Usius, vel Uso, aut Huso, 1235. & 1263. In Cal. Udal. Idib. Octob. legitur: *Corradus de Uso obiit.*

Fridericus Plebanus Cimbriae 1237.

Ulricus de Furmiano, Prantochi filius, 1237. & 1242.

X. FRIDERICUS de Clesio, Arpi filius, Decanus an. 1241.; & anno 1246.

Canonici.

Oldericus Pexatus Archidiaconus 1241. & 1259.

Magister Bonomus 1241. & 1269. Anno 1275. inter vivos non recensebatur.

Warimbertus 1241.

Petrus

Petrus 1241. & 1269. Alius a *Petro Cremonensi*; de quo infra ad an. 1255.

Henricus Decanus Brixinensis Ecclesiae 1242.

Guilielmus de Clesio 1246.

XI. GOTSCHALCHUS, sive Gotsalchus, Gozalchus, Goxalchus &c. Decanus an. 1248.

Canonici.

Olricus Curiensis 1248. & 1269.

Henricus Paparotus 1248.

Adelpretus de Cunedo 1248. & 1288.

Henricus de Cagnò 1251. & 1257.

XII. ODELRICUS de Porta an. 1208. erat Canonicus; desiitque praeesse Banalensi Paroeciae, succedente sibi Presbytero *Stephano*. Anno 1252. *Episcopus Tridentinus electus*, seu verius intrusus, habebatur. Decanus tandem occurrit ad an. 1255. die 10. Junii, ac 1257. die 17. Januarii.

Canonici.

Aldrigetus de Castrobarco 1255.

Federicus ejus frater 1255. & 1259.

Magister Petrus de Cremona 1255. & 1267.

Bonifacius filius Matthaei Notarii 1255. & 1259.

Gotscalchus 1256. Postea Decanus.

Aldebrandus nepos Tridentini Amechi Canonici 1256. & 1280.

Gabriel 1256.

Olricus nepos Olrici Scholastici 1256.

Tridentinus de Dosso 1257.

XIII. GOTSCALCHUS, sive Gozalcus, Comes de Piano, ac frater *Egnonis* Episcopi Tridentini, Decanus an. 1258. Anno 1272. die 29. Martii Bolzani coram D. *Jacobo* Plebano Mezi, *Oliverio* & *Montanario* fratribus de *Zovo*, cessit *Egnoni* praefato jus quod habebat in Beneficio ac Fraternitate Ecclesiae seu Capellae S. Petri de Eppiano. Anno 1287. (quo agebat etiam Vicarium *Henrici* Episcopi Trid.) pretio 50. flor. emit Hortum Decanali domui proximum. Anno 1291. Altari in Ecclesia Cathedrali a memorato *Egnone* erecto, donavit causa mortis quemdam Hortum in Burgonovo situm. Anno 1296. in eadem Ecclesia instituit Beneficium illud, quod in Charta anno 1309. die 13. Maji scripta nuncupatur *Beneficium Altaris quondam Domini Gozalchi Decani Tridentini*.

Canonici.

Odolricus de Campo 1259. & 1295.

Henricus de Campo 1259. ac 1265. & ultra.

Thomasius nepos Conradi Husi Canonici 1259.

Oluradinus de Enno 1259.

Odolricus de Sejano Archidiac. 1260. & 1280. Hic ille Archidiaconus Tridentinus videtur, quo instante S. *Thomas* Aquinas exposuit Decretalem primam *de summa Trinit. & Fide Cath.*, nec non secundam *de errore Ab. Joachim*.

Ezelinus de Campo 1261. & 1295.

Jacobus dictus Comes 1269. & 1295.

Bonincontrus 1271. & 1275. *Bonincontrum* Civem, atque Episcopum Veronensem an. 1295. electum, alium non fuisse ab hoc Tridentino Canonico licet arguere ex ejus testamento, in quo *nonnulla ad extruendam Tridenti beati Vigilii Basilicam legavit*.

Bertoldus de Romeno Rector Ecclesiae S. Thomae apud Romenum 1272. Nedum hoc ipso anno, sed etiam ad an. 1265. reperi hunc appellatum Plebanum Romeni.

Albertus de Castrobarco 1275. Vivebat Canonicus Veronensis 1278. Vide supra pag. 77. col. 1.

Gislembertus de Campo 1276. & 1288. tandem Decanus.

Odolricus Juvenis de Burgonovo 1276. & 1302. Iste in Ecclesia Cathedrali instituit Beneficium, teste supra indicata Charta anni 1309., in ea enim memoratur *Beneficium Altaris quondam Domini Odorici Juvenis*.

Federicus de Monte Albano, Praepositus Frisingensis, 1276. postea ejusdem Frisingensis Ecclesiae Episcopus.

Jacobus Plebani Mezi 1277. & 1279. De eo supra.

Jacobus nepos Decani Gotsalchi 1277. & 1315. Distinguitur a *Jacobo dicto Comite*.

Franciscus 1279. & 1280.

Magister Rudolphus de Mixina 1280. & 1295. Postea Decanus.

Joannes Scriba Episcopi 1280. Hunc puto illum ipsum, qui mox dicitur Archidiaconus.

Magister Joannes de Mantua Archidiac. 1281. & 1314. Ad ann. 1301. & 1302. agebat quoque Vicarium Episcopi Trid., & ad an. 1314. dicebatur Capellanus Papae.

Berne-

Bernerius Plebanus de Tayo 1281. & 1284. Huic F. Henricus Episcopus Trid. praedicto anno 1284. subjecit Plebes Arsi, Clouzi, Castelfundi & Fundi, S. Laurentii, S. Sisinii, Coredi, Ambli, & Smarani.

Gislembertus de Brentonico Bartholomaei filius 1288. & 1307.

Albertus de Arco, filius Friderici, ac frater Odorici Panzerae, fuit Canonicus Tridentinus haec circa tempora, teste Ambrosio Franco.

XIV. RODULPHUS de Mixina Decanus die 18. Nov. an. 1300 Obiit ante diem 5. Aprilis anni 1303., nam eo die Magister *Henricus* dictus *Agnellus* filius Valeriani de Tridento, praesentatus a Fr. *Philippo* Episcopo Tridentino, approbatus atque institutus fuit Rector Ecclesiae Parochialis S. Petri *in Laz* Curiensis Dioecesis, ob ejusdem *Rodulphi* mortem vacantis, a *Sifrido* Curiensi Episcopo; possessionem nactus eodem anno ac mense die 9.

Canonici.

Thadaeus de Monte Alto Vicarius Episcopi 1302.

Magister Bonus Joannes Bonandreae Civis Bononiensis, Apostolica & Imperiali auctoritate Notarius, ac Episcopi Scriba 1302. & 1320. Fuit quoque Clericus & Confrater Ecclesiae S. Floriani prope Salurnum.

XV. GISLEMBERTUS de Campo Judicariensis, patre Armano, alterius Armani filio, natus, Decanus an. 1303. die 8. Octob. Testamentum suum condidit anno 1321., in quo legavit omnia bona immobilia, quae possidebat in pertinentiis Pahi, ut de eorum reditibus fieret quotidiana distributio inter frequentantes Chorum Ecclesiae Cathedralis. Ex eodem Testamento habetur insuper, Altare SS. Sisinnii & Sociorum praefatae Ecclesiae fuisse dotatum a gentilibus ipsius Decani. Ejus jussu anno 1309. die 13. Maji, Episcopali Sede vacante, confectus est, manuque Magistri *Bonjoannis de Bononia*, Canonici Tridentini, Apostolica & Imperiali auctoritate Notarii exaratus, Elenchus quamplurium Ecclesiarum Dioecesis Tridentinae, quem nec luce publica indignum, nec lectoribus ingratum reputans, heic integrum subjicio. Hujusmodi est:

„ *In Agro Urbi adjacente.*

„ Ecclesia S. Laurentii, cum Monasterio.
„ Ecclesia S. Georgii.
„ Ecclesia S. Crucis.
„ Ecclesia S. Michaëlis cum Monasterio Sororum.

Haec illa videtur Ecclesia, quam Joanne Aventino fol. 552 testante, Saec. XI. Albertus de Iring, & ejus conjux Berta in Agro Tridentino Divo Michaëli condiderunt, & de suis adjectis fundis ac proventibus dotaverunt. *Profecto exstabat ante an.* 1183.

„ Ecclesia S. Bartholomaei.
„ Ecclesia S. Petri de Pàu.
„ Ecclesia S. Mariae de Civezano.
„ Ecclesia S. Mauri de Pineto.
„ Ecclesia S. Mariae de Mejano.
„ Ecclesia S. Mariae de Supramonte.
„ Ecclesia S. Andraeae de Terlaco.
„ Ecclesia S. Annae.

„ *In Valle Lagari.*

„ Ecclesia S. Mariae de Avolano.
„ Ecclesia S. Floriani de Lizana.
„ Ecclesia S. Stephani de Murio.
„ Ecclesia Ss. Felicis & Fortunati de Garduno.
„ Ecclesia S. Vincentii de Isera.
„ Ecclesia S. Mariae de Lagaro.
„ Ecclesia S. Christophori de Pomarolo.
„ Ecclesia S. Martini de Trasandario.
„ Ecclesia S. Antonii, cum Hospitali.
„ Ecclesia S. Hilarii.
„ Ecclesia S. Margarethae inter Marcum & Alam.
„ Ecclesia S. Nicolai de Aqua Sacra.
„ Ecclesia S. Zenonis de Numio.

„ *In*

„ *In Judicariis.*

„ Ecclesia S. Vigilii de Naeu.
„ Ecclesia S. Mariae de Ripa.
„ Ecclesia S. Mariae de Leudro.
„ Ecclesia S. Mariae de Tignali.
„ Capella S. Joannis de Vestino.
„ Ecclesia S. Mariae de Condino.
„ Capella S. Georgii de Bagolino.
„ Ecclesia S. Justinae de Bono.
„ Ecclesia S. Mariae de Teyono.
„ Ecclesia S. Vigilii de Randena.
„ Ecclesia S. Mariae de Campejo.
„ Ecclesia S. Eleutherii de Blezo.
„ Ecclesia S. Laurentii de Nomasso.
„ Ecclesia S. Mariae de Banali.
„ Ecclesia S. Mariae de Thenno.
„ Ecclesia S. Mariae de Arco.
„ Ecclesia S. Mariae de Cavedeno.
„ Ecclesia S. Mariae de Calavino.
„ Ecclesia S. Petri de Arco.
„ Ecclesia S. Silvestri de Arco.

„ *In Vallibus Annaniae, & Solis.*

„ Ecclesia de Sancto Laurentio.
„ Ecclesia S. Mariae de Castrofondo.
„ Ecclesia S. Mariae de Senali.
„ Ecclesia S. Stephani de Clouzo.
„ Ecclesia S. Mariae de Revò.
„ Ecclesia S. Mariae de Livò.
„ Ecclesia S. Mariae de Maleto.
„ Ecclesia S. Thomae de Romeno.
„ Ecclesia S. Floriani de Arso.
„ Ecclesia S. Vigilii de Valsana.
„ Ecclesia S. Mariae de Cleso.
„ Ecclesia S. Mariae de Tassullo.
„ Ecclesia S. Joannis de Flaono.
„ Ecclesia Ss. Gervasii & Prothasii de Heno.

„ Ec-

„ Ecclesia S. Vigilii de Spuro.
„ Ecclesia S. Bartholomaei de Tonali, cum Hospitali.
„ Ecclesia S. Mariae de Mez.
„ Ecclesia S. Mariae de Thono.
„ Ecclesia de Sancto Eusebio.
„ Ecclesia S. Mariae de Amblo.
„ Ecclesia S. Victoris de Tayo.
„ Ecclesia S. Mariae de Smarano.
„ Ecclesia de Sancto Remedio.
„ Ecclesia de Sancto Sisino.
„ Ecclesia S. Mariae de Romeno.
„ Ecclesia S. Martini de Fundo.
„ Ecclesia S. Mariae de Coredo.
„ Ecclesia S. Christophori de Ponte Alpino, cum Hospitali.
„ Ecclesia S. Mariae Coronatae.
„ Capella S. Blasii Vallis Solis.

In Longo Athesi.

„ Ecclesia S. Mariae de Caldario.

Hanc Ecclesiam, una cum alia Parochiali S. Mariae Majoris Tridenti concessit Capitulo Tridentino Episcopus Altemannus an. 1147., *id quod indicant coaeva auctaria Diptychi Udalriciani, ubi de eodem Episcopo legitur:* Praebendam Confratrum duabus Parochiis ditavit.

„ Ecclesia S. Pauli de Piano.
„ Ecclesia S. Mariae de Tisina.
„ Ecclesia S. Blasii de Furmiano.
„ Ecclesia S. Mariae de Lugugnano.
„ Ecclesia de Sancto Georgio.
„ Ecclesia S. Martini de Gurlano.
„ Ecclesia S. Jacobi de Grisano.
„ Ecclesia S. Panchratii de Ultimis.
„ Ecclesia S. Mariae de Marniga.
„ Ecclesia S. Stephani de Villanders.
„ Ecclesia S. Petri de Vanga.
„ Ecclesia S. Mariae de Sarentina.
„ Ecclesia de Sancto Zenesio.
„ Ecclesia S. Mariae de Milten.
„ Ecclesia S. Mariae de Sinan.
„ Ecclesia S. Vigilii de Mays.

„ Ec-

„ Ecclesia S. Mariae de Keler.
„ Ecclesia S. Mariae de Bozano.
„ Ecclesia S. Benedicti de Nova.
„ Ecclesia S. Mariae de Augea.
„ Ecclesia S. Petri de Egna.
„ Ecclesia, seu Capella S. Bartholomaei de Egna.
„ Ecclesia S. Floriani.
„ Ecclesia S. Andreae de Salurno.
„ Ecclesia de S. Michaële, cum Monasterio.
„ Ecclesia S. Mariae de Zovo.
„ Ecclesia S. Mariae de Flemis.
„ Ecclesia S. Mariae de Cymbra.
„ Capella S. Blasii de Albiano.
„ Ecclesia S. Petri de Piano.
„ Ecclesia S. Leonardi de Passira.
„ Ecclesia S. Margaretae de S. Zenesio.
„ Ecclesia S. Mariae de Lengemos.
„ Ecclesia S. Spiritus de Bozano, cum Hospitali.
„ Ecclesia Hospitalis de Rithena."

Canonici sub eodem Decano praeter alios supra memoratos fuerunt:

Ubertus de Parma 1306. & 1331.

Emmanuel de Brentonico 1306. & 1314.

Thealdus de Ivano, Joannis filius, 1306. & 1315.

Magister Pax de Mantua 1306. & 1314. Anno 1311. ceu Procurator Episcopi Tridentini interfuit Concilio Aquilejensi. Ab an. 1304. Plebanus Bozani appellatur.

Petrus de Rallo, cui possessio Canonicatus data fuit an. 1306. mense Junio, a *Matthaeo Venerio* Primicerio S. Marci, & a *Nicolao Quirino* Plebano S. Basii, Castellanae Dioecesis, Delegatis *Bartholomaei Quirini* Veneti, Episcopi Tridentini, in Francofurti agentis. Vivebat quoque an. 1344. fuitque Archipresbyter Lagarensis ad an. 1306. & 1339.

Conradus de Mixina 1307. & 1321.

Odoricus de Mixina 1307. & 1315.

Giselbertus, seu Gislembertus filius Contii 1307.

Fulcerius de Coneglano 1307. & 1348.

Magister Fridericus Civis Mantuanus 1310. & 1344. Ab an. 1328. dicitur quoque Praepositus & Canonicus Mantuanus.

Gua-

Gualengus de Mantua 1312. & 1321. Vicarius Generalis ad an. 1303. & 1323. Plebanus Marnigae ad an. 1308. & 1321.

Aldrigetus de Parma 1314.

Leo filius Valeriani Civis Trid. 1314.

Riprandus 1314.

Ubertus filius Bonomi Judicis Civis Trid. 1314.

Dolfinus Mansionarius Majoris Eccl. Veronensis 1314. Ibidem Mansionarium agebat quoque ad an. 1278.

Alexander de Leudro Civis Trid., Antonii Judicis filius, 1315. & 1336.

Ottobellus de Campo Tridentino, Boni civis Tridentini filius, 1315. & 1336.

Parmesanus Veronensis 1317. Iste erat Canonicus Veronensis an. 1295.

Magister Henricus de Clusa Scholasticus 1317.

XVI. HENRICUS de Campo, praedecessoris frater, Canonicus ante an. 1311. Decanus electus an. 1321. post diem 7. Januarii, perseverabatque etiam an. 1328.

Canonici.

Magister Nicolaus de Michsina, dictus quoque de Misina, Canonici Juris Peritus, 1321. Scholasticus 1324. 1328. 1334. 1336. 1339. & 1341. Constat egisse Judicem in spiritualibus, & Vicarium Generalem Tridentini Episcopi ab an. 1323. usque ad an. 1341.

Henricus dictus Magister Agnellus de Tridento, Plebanus S. Petri in Laz Curiensis Dioecesis, 1321. & 1332. quo suum condidit Testamentum. Ipse erexit Altare SS. Trinitatis in Ecclesia Cathedrali. Recolantur dicta in Decano Rodulpho.

Bertholinus de Buenio, Archidiaconus Brixiensis, 1322.

Gerardus de Roma 1325.

Franciscus de Banchis de Placentia, dictus quoque Francischinus, 1326. & 1348. Anno 1332., Magistro *Agnello* vita functo, eidem *Francisco* tradita fuit Investitura Ecclesiae Parochialis S. Petri *in Laz* a praefato *Henrico* Decano, Subdelegato *Jacobi* Archidiaconi Placentini Delegati Apostolici; quam Investituram confirmavit an. 1334. die 3. Aprilis *Ulricus* Episcopus Curiensis.

Gerardus de Surburch Archidiaconus 1328. & 1340., quo per suum testamentum dotavit Altare S. Antonii in Ecclesia Cathedrali.

Joannes de Castris, nepos Henrici de Metis Episc. Trid. 1328. & 1336.

Joannes de Azano vel Azana de Brixia 1328. & 1347.

XVII.

XVII. HENRICUS de Rallo, Decanus anno 1331. & 1344. die 26. Augusti.

Canonici.

Philippus de Bechadellis de Bononia 1331.

Rolandinus de Rangonibus de Parma 1331. & 1343.

Franciscus de Clesio 1336. & 1343.

Bartholomaeus de Vallesella de Cadubrio Aquilejensis Dioecesis anno 1336. & 1357.

Antonius dictus Carnali de Mediolano 1336. & 1343. Anno 1307. erat Tridenti, dicebaturque Notarius.

Laurentius de Brixia Plebanus in Pinedo 1336. & 1355.

Jacobus Munich de Brixina 1336. & 1349. Canonicus etiam Brixinensis, & Parochus in Rodank Dioecesis Brixin.

Andreas de Rubeis de Parma 1336.

Dominicus de Bononia Archipresbyter Randenae 1336. & 1339.

Nicolaus de Veletro de Roma 1336.

Hendricus, sive Henricus de Landesperch 1336. & 1339. Fuit Scriba Episcopi Trid.

Otto de Eppiano 1336. & 1341. Archidiaconus 1341. & 1348. nec non Vicarius Generalis ad an. 1339. & 1348. Antea fuerat Vicarius Plebis S. Pauli de Eppiano ad an. 1332.

Guilielmus de Brixia 1336. & 1343.

Franciscus Ulipsis de Roma 1336.

Nicolaus de Tajo 1336.

Jacobus dictus Franciscus de Tajo 1336. & 1343.

Michaël de Castronovo 1338. & 1343. Fuit Vicarius Generalis, & Plebanus Bozani.

Dietricus de Halla 1339.

Placentius de Mercadentis de Tridento 1348.

Fontesius de Florentia 1348.

Joannes de Parma 1348. & 1382. Anno 1377. Vicedecanus appellabatur.

Venturinus de Pergamo 1348.

Jacobus Bonsenus de Pistoria, Archidiaconus, & Vicarius Generalis Joannis de Pistoria Episcopi Trid. 1349.

Guilielmus de Castrobarco, in Jure Canonico Licentiatus, natus patre Azone Aldrigeti filio, 1363.

XVIII. UDALRICUS de Popfingen, seu Boffingen, Augustensis Dioecesis, Decanus an. 1365. mense Nov., ac 1378. die 10. Febr.

Tempore hujus Decani, nempe an. 1366. in Ecclesia S. Vigilii in pago Vallissellae Agri Cadubriensis, Dioecesisque Aquilejensis, erecta est Praebenda Sacerdotalis ita, ut Praebendati designatio ad ejusdem loci incolas, confirmatio autem, seu institutio ad Tridentinum Capitulum spectaret.

Canonici.

Martinus de Bohemia Scholasticus.

Henricus Westfal, Clericus Hildesemensis, Scholasticus 1367. De hoc, & praecedenti vide supra pag. 110. Cujusdam Anonymi Scholastici mentionem reperi ad an. 1394.

Franciscus de Parma 1367. & 1385.

Nicolaus de Venetiis, dictus etiam Nicoletus, 1368. & 1382.

Nicolaus de Rochabruna 1368. & 1391. Fuit simul Plebanus in Paho.

Nicolaus de Melango (*in Plebe Castrofundana*) 1368. & 1372.

Federicus de Scharosteten 1368. Prior S. Martini 1388. & 1391.

Xicho de Burgonovo de Tridento 1368. & 1407.

Joannes Digni 1368. antea V.c. Gen.

Conradus de Augusta 1368.

Petrus de Brixia 1368. obiit 1392.

Henricus, Canonicus etiam Brixinensis, & Plebanus in Radmansdorf Aquilejensis Dioec. 1369. & 1372. Erat Can. Brixin. & Pleb. Rad. etiam an. 1368.

Jacobus de Stermol, Capellanus Episcopi, & Plebanus in Leunano anno 1372. ac 1386. Ad an. 1381. erat quoque Sigillifer Episc.

Morandus de Tridento, Simeonis filius, 1376. & 1396. Dictus etiam junior Morandinus.

Melchior de Tridento 1376. & 1407.

Hartvvicus de Carinthia 1377. & 1407.

Petrus de Arco 1377. & 1390.

Aldrigetus de Castrobarco 1377. & 1385.

Delaitus de Tridento 1377. & 1385.

Antonius de Burgo Manerio de Novaria 1377. & 1405.

Jacobus de Soncino 1378. & 1396.

Guilielmus de Murio 1378. Archipresb. Murii 1391.

Nicolaus de Fundo 1378. & 1390.

Loysius de Feltro 1378.

XIX. RAMBALDUS de Tridento, Murlini filius, Presbyter, Canonicus, & Decanus an. 1381. die 17. Febr. & an. 1415. nec non 1420. Sub hoc Decano facta est restrictio Praebendarum Canonicalium ad num. 18. Vide To. 3. part. 1. pag. 235. & seqq. ac supra pag. 118. & 134.

Ca-

Canonici.

Bartholomaeus Quintafoya 1382. & 1385. postea Cath. Eccl. Veronensis Archipresbyter.

Joannes de Poden 1382. & 1390.

Jacobinus, dein Jacobus de Novaria 1385. & 1419.

Antonius de Civedado 1385.

Maphaeus de Bernardigis, vel Bernardigio, Mediolanensis Dioecesis, Archidiaconus 1388. & 1405.

Ancius de Levigo 1388. & 1390.

Vigilius de Tridento 1390. & 1407.

Gerardus de Valle Pulicella Presbyter & Capellanus Ecclesiae Cathedralis 1377. Canon. 1390.

Florius de Enno 1390. & 1407. Plebanus Condini 1391. In Charta an. 1440. fit mentio *heredum quondam D. Florii de Enno Canonici Trid.*

Joannes de Fundo 1390. & 1429. Plebanus Fundi ad an. 1405.

Antonius de Arco 1390.

Joannes Reutter, Decretorum Doctor, & Protonotarius, sive Cancellarius Episcopi Trid. 1392. & 1394. Fuit Canonicus etiam Ratisponensis ad an. 1393.

Joannes Pont Decretorum Doctor 1396.

Michaël de Paho Civis Trid. 1396. & 1408.

Nicolaus de Tridento filius Hengelfredi 1396.

Joannes de Austria 1396.

Joannes de Stemesdorff, Capellanus Episcopi, 1399. & 1407.

Joannes Einbach Plebanus in Leunano 1399. & 1428.

Franciscus de Murlinis de Tridento 1405. & 1407.

Lazarus de Acerbis de Tridento, filius Nicolai, 1405. & 1412.

Zambonus, sive Joannes Bonus de Tridento 1405. & 1431. Patrem habuit *Paulum* Notarium filium Martini de Tridento, fratrem vero *Joannem Reüter*.

Conradus Fripli de Tridento 1407. & 1447.

Henricus Millauner de Merano Archidiaconus 1408. & 1420.; tandem Praepositus Canonicorum Reg. S. Aug. Monasterii Neocellensis prope Brixinam. Quidam Anonymus erat Archidiaconus an. 1423.

Joannes de Isnina 1411. postea Decanus.

Hilprandus an. 1413. nominatur Canonicus Trid., incertum tamen an ad possessionem pervenerit; siquidem pro ea obtinenda litigabat contra *Lucam de Florentia* ad annum quoque 1423.

Marquardus Vicarius Generalis circa an. 1418.

Jacobus, eodem tempore.

Joannes Parochus in Tisens, Secretarius Friderici Ducis Austriae 1419.

Ante *Joannem de Isnina* fortasse locandus foret, ceu Decanus, *Simon de Teramo;* reperi enim memoriae proditum, quod *Martinus V.* Papa in praeceptis dederit Capitulo Tridentino, ut *inducat Simonem de Teramo, Consistorii Advocatum, in possessionem Decanatus Trid. a Joanne de Isnina praetensi.* Verum cum praeter hoc nullum aliud invenerim monumentum, *Simonem* spe frustratum puto. Difficillimis hisce temporibus res Ecclesiae nostrae nimis erant turbatae. Hinc mirum non est si idem *Joannes de Isnina* in Charta coram ipso publicata an. 1414. Indict. 7. die Martis 1. Maji Tridenti appelletur nedum *Vicarius in spiritualibus Generalis Rmi Dni Georgii Episc. Trid.*, sed etiam *Decanus & Canonicus Trident.*, quamquam *Rambaldus* certo perseveraverit in Decanatu ad annos quoque 1415. & 1420.

XX. JOANNES de Isnina, Suevus, Baccalaureus in Decretis, Canonicus & Vicarius Generalis an. 1411. die 11. Aprilis, ac die 20. Julii 1424., Decanus autem, ac Vicarius itidem Generalis eodem anno 1424. die 1. Augusti, & an. 1426. die 26. Junii. Recolantur dicta in *Serie Antist.* pag. 126. col. 2.

Canonici.

Stanislaus de Polonia 1425. Postea Praepositus.

Nicolaus Savvr 1425.

Joannes Ottenhaym Summus Scholasticus 1425. & 1447.

Gotfridus Fryling de Brixina, Baccalaureus in Decretis, 1425. Vicarius quoque Generalis Tridenti, & Canonicus Brixinae 1427. & 1431.

Joannes Anhaym, dictus quoque Anhang, de Bopphingen, in Jure Canonico Peritus, 1425. & 1447. Vicarius Generalis ab an. 1431. Cessit Parochialem Ecclesiam Caldarii anno 1436.

Joannes Zeiss de Bopphingen 1425. & 1431. Anno 1411. obtinuerat Ecclesiam Parochialem Cimbriae.

Guillelmus Glabet de Titnan 1426.

Joannes de Caballis 1427. & 1428. Eodem tempore fuit Rector Ecclesiae Parochialis Cavalesensis.

Joannes de Canellis de Venetiis 1427.

Isidorus de Mediolano 1427. & 1431. Fuit ipsomet tempore Plebanus S. Mariae Tassulli.

Hartvvicus de Patavia 1427. obiit an. 1463.

Joannes de Karinthia 1427. & 1428.

Udal-

Udalricus Putschius, Suevus, electus Episcopus Brixinensis an. 1427., defunctus an. 1437.

Ernestus de Austria Archidiaconus 1428.

Aeneas Silvius de Piccolominibus Senensis 1431. & 1439., tandem Summus Pontifex *Pius II.*

Antonius de Tosabechis, vel Tosabecis, de Papia, Decretorum Doctor, Canonicus, simulque Archidiaconus renunciatus an. 1433. Vivebat an. 1452. In Charta an. 1432. die 12. Septembris scripta nuncupatur *Decretorum Doctor, Juris Civilis Professor, & Tridenti pro Domino Episcopo in temporalibus Vicarius.*

Joannes de Cometavv Plebanus Maleti 1428. Canon. Trid. 1431. & 1436. Forte idem est ac *Joannes Gotbardi Custos Ecclesiae Plocensis, & Canonicus Trid.* ad an. 1434.

Joannes de Comitatu de Parma 1434. Hic scripsit *Chronicam Trid circa annum* 1477. teste Innocentio de Prato.

XXI. FRANCISCUS de Bossis de Mediolano, J. U. D., Canonicus & Decanus, nec non Vicarius Generalis an. 1445. & 1447. die 5. Julii. Ejus mentionem facit laudatus *Aeneas Silvius* in Epistola ad *Nicolaum Venetum* Canonicum Tridentinum, de quo mox, scripta, quae in Editione Basileensi est 59. Lib. 1. Sub eo post Concilii Basileensis dissolutionem, videlicet anno 1447. Capitulum Tridentinum promisit Obedientiam Eugenio IV. ac etiam Nicolao V.

Canonici.

Theobaldus de Wolckenstain, Decretorum Doctor, etiam Canonicus Brixinensis, 1446. Hoc eodem anno die 8. Junii ad Schisma tollendum renunciavit Episcopatum Tridentinum, ad quem fuerat promotus post obitum Episcopi *Alexandri*. Vide supra pag. 137. & seq.

Andreas Prenberger admissus an. 1446.

Joannes de Paho 1447. & 1484.

Joannes Strelitz de Theno 1447. & 1463. Iste, qui an. 1471. jam obierat, erexit in Ecclesia Cathedrali Altare SS. Eustachii & Christophori.

Petrus de Smarano 1447.

Nicolaus de Venetiis 1447. & 1455. Ad an. 1414. quidam *Nicolaus de Venetiis* erat Vicarius in Plebe de Paho, & Capellanus in Ecclesia Cathedrali. Capellanus perseverabat quoque ad an. 1427. Ex supra indicata *Silvii* Epistola licet arguere, *Nicolaum* illum fuisse in Canonicorum numerum relatum ante praedictum an. 1447.

XXII.

XXII. JOANNES Bertellus de Sulzbach Ratisponensis Dioecesis, in Decretis Licentiatus, Canonicus, & Decanus, atque Vicarius Generalis an. 1447. Ipse an. 1452. die 14. Januarii, dimissa Ecclesia Parochiali S. Mariae Magdalenae Tridenti, cum ejusdem filiali S. *Osswualdi Carnigae*, ab Episcopo *Georgio* investitus fuit de alia pinguiori Ecclesia Parochiali Randenae: & anno 1458. die 14. Nov. de alia similiter Parochiali B. M. V. *in Tisins*, quae per *Udalrici Gemisleri* mortem vacaverat. Anno 1464., quo mortalitatis tributum solvit, testamentum condidit, legatisque suis libris Ecclesiae Cathedrali, atque uno *Vineali* Altari S. Gothardi, unoque *Agro* ad S. Bartholomaeum Altari S. Andreae in eadem Ecclesia erectis, quoad reliqua heredes suos esse voluit Pauperes Christi

Canonici.

Joannes Costede, dictus quoque pluries Custode, in Medicinis Doctor, Scholasticus 1450. Cum esset quoque Plebanus in Tisens, obiit an. 1471.

Conradus Bachman, vel de Bachmon 1450. Decessit an. 1469. die 26. Maji. Hic anno 1468. die 9. Dec. resignavit Parochialem Ecclesiam S. Laurentii in Lomasso, quam *Joannes* Episcopus eodem die contulit *Joanni Kentsch* Presbytero Merseburgensis Dioecesis.

Jacobus Lur de Ulma, permutatione mediante obtinet Canonicatum an. 1454. Vivebat an. 1475.

Joannes Hinderbach nominatur Can. & Praepositus an. 1455. De quo vide supra pag. 145. & seqq.

Anonymus de Capranica 1457.

Ambrosius Schlaspech, vel Sleysperch, Clericus Salisburgensis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, & Episcopi Georgii Cancellarius, fit Canonicus an. 1457. Anno 1461. a *Friderico* Imperatore fuit privilegio Familiaritatis honestatus. Anno 1470. ab Episcopo *Joanne* obtinuit Altare S. Vigilii in Bolzano. Eodem anno Paroeciae Vulsanensi praeerat; necdumque e vivis excesserat an. 1480. Fuit etiam Parochus Caldarii.

Michaël de Venetiis 1459.

Conradus Wachinham de Alemania 1459. & 1468.

Gaspar de Theramo 1459. dein Praepositus.

Georgius Ganawizer, seu Ganobicer de Alemania, Capellanus Episcopi *Georgii*, & Archipresbyter Lizanae 1454. Canonicus 1461., quo eidem Episcopo libere cessit *Ecclesiam seu Capellam S. Blasii sitam in Castro Tridenti*, de qua investitus fuit die 26. Dec. *Tobias Thenner* Capellanus praedicti Episcopi. *Georgius* vivebat quoque ad an. 1463.

Geor-

Georgius Morspergar 1462. & 1463. Vitam hanc deseruerat an. 1471.

Theodorus de Theramo, ante Cal. Julias an. 1462. promotus ad Episcopatum Feltrensem. Fuit cognomento de Lellis, natione Aprutinus.

Franciscus Barocius Venetus, frater Joannis Episcopi Bergomensis, an. 1462. a Papa obtinuit Canonicatum, quem *Theodorus* dimisit, cui etiam an. 1466. in Tarvisino Episcopatu successit.

Leo de Castro Spori, Decretorum Doctor, 1463. De eo dictum supra pag. 161., & part. 1. hujus Vol. pag. 58. Vidi ejusdem vetustam effigiem in Castro Medii Sancti Petri Comitum Spaurensium, cum Inscriptione:

Leone Barone di Spaur ec.
eletto e confirmato Vescovo di Bressanone, primo Vescovo di Vienna,
conferitogli da Federigo 3. Imperadore,
di cui fu prima intimo
Consigliere.

XXIII. GOTHARDUS de Calapinis de Tridento, Canonicus & Decanus an. 1465. die 10. Maji. Ad vitam alteram transiit an. 1467. post diem 15. Aprilis, qua in lecto jacebat infirmus.

XXIV. GREGORIUS Andreae de Mulhausen, Decretorum Licentiatus ad an. 1455., deinde Doctor appellatus (quo titulo ipsusmet *Gregorius* se se ornavit) Generalis in Spiritualibus Vicarius ad an. 1458. & 1465. simulque ab anno saltem 1461. Rector Parochialis Ecclesiae S. Stephani *in Villanders*: Canonicus, & Decanus an. 1467. die 9. Octob. & an. 1469.

Canonici.

Anonymus Archidiaconus 1467.

Georgius Nothafft 1468. Fit Plebanus in Tisens an. 1472. die 15. Sept. Decessit an. 1490. die 14. Febr. sepultus Tridenti im medio Ecclesiae Cathedralis, sub lapide, in cujus orbe sculptum est:

Anno Domini
MCCCCLXXXX. die XIIII. mensis Februarii obiit
Venerabilis & Egregius Vir
Dominus Georgius Nothaft Canonicus Trident.
ac Plebanus in Tisina.
Cujus anima requiescat in pace.
Amen.

In

In praefata Paroecia ei successor datus fuit eodem an. 1490. die 29. Febr. *Joannes Pentelinus*, Dioecesis Constantiensis, Sigismundi Comitis Tirolensis Capellanus.

Vigilius de Nigrellis de Tridento, Augustini filius, 1461. & 1462. Altarista SS. Petri & Pauli in Ecclesia Cathedrali: Canonicus 1469. & 1493.

XXV. STEPHANUS Approbinus, seu de Approvinis, designatus Decanus an. 1469. ante Cal. Jun., ad cujus dignitatis possessionem necdum pervenerat an. 1470. contranitente *Georgio Notbafft* pariter electo Decano, qui tandem causa cecidit. Vivebat *Stephanus* an. 1471., ipsoque deficiente *Sixtus* Papa IV. an. 1472. Decanatum Tridentinum in Commendam tribuit nepoti suo *Antonio Mariae Perentucello* Episcopo Lunensi & Sarzanensi, tametsi Ughellus eum fato functum *anno* 1465. adfirmet.

Canonici.

Joannes Foglar, seu Vogler, in Decretis Licentiatus, 1470. Vicarius Gen. 1475. Scholasticus 1488. Senior 1492. & 1493. Devixit eodem an. 1493. die 5. Septemb. tumulatusque est Tridenti in medio summi templi, cum Inscriptione circa lapidem sepulcralem:

Hoc sub marmore jacet
Venerabilis, & Egregius Vir
Dominus Johannes Vogler
in Decretis Licentiatus ac Canonicus Tridenti,
qui obiit anno Domini
MCCCCLXXXXIII. die V. Septembris.
Requiescat in pace.

Conradus Hinderbach, frater germanus Episcopi *Joannis*, anno 1459. in Sab. 4. Temp. Quadrag. cum esset Rector Parochialis Ecclesiae *in Kirchperg* Pataviensis Dioecesis, *Diethmari Hinderbachii* Canonici Pataviensis, Artium & Medicinae Doctoris successor, ordinatus fuit Diaconus ab *Udalrico* Episcopo Gurcensi, ac Generali Vicario Salisburgensi; namque an. 1440. Calendis Jan. *Theodoricus* Moguntinus Archiepiscopus eidem *Conrado Hinderpach* tunc *Scholari Dioecesis suae* literas dimissoriales dedit, ut ad omnes sacros Ordines tam minores quam majores promoveri valeret. Inter Canonicos Tridentinos comparet ad an. 1470. & 1488. Praepositura Ecclesiae S. Victoris extra Muros Moguntinos auctus

auctus ad an. 1479. Distinguendus certe est ab illo *Conrado Hinderbach* itidem laudati Episcopi Hinderbachii fratre, quem *Andreas* Victricensis Episcopus anno 1421. Subdiaconatus, & anno 1422. Diaconatus Ordinibus initiavit; notante enim ipsomet Episcopo Hinderbachio iste denatus est anno 1452. die 8. Aprilis.

Fantinus de Valle J. V. D. Sacri Pal. Apost. Caus. Auditor, fit Canonicus an. 1471.

Udalricus de Liechtenstein 1471. Anno 1493. in favorem *Clementis de Clesio* filii Magistri Viti Fabri, resignavit Parochialem Ecclesiam Clesiensem; eodemque anno promotus fuit ad Episcopatum Trid. Vide supra pag. 163.

Martinus Marquardi, Secretarius Sigismundi Comitis Tirolensis, 1471. Eodem anno instituitur Rector Parochialis Ecclesiae in Tisens, ob mortem *Joannis Costede* vacantis.

Albertus Feller, seu de Gffell, 1473. & 1499.

Thomas de Vincentiis 1473.

Jacobus Sceba de Cypro, mediante resignatione praefati *Thomae*, Canonicus renunciatus a Papa an. 1473. Fuit primum Gymnasii Patavini Pro-Rector an. 1434. Obiit Tridenti an. 1486. die 17. Martii, sui testamenti (in quo plura ad pias causas disposuit) institutis Exsecutoribus Decano & Canonicis Tridentinis. De cultu B. Simonis pueri Tridentini apud Venetos benemeritus habetur.

Vincentius de Montfort 1474. & 1486. quo anno Ecclesiae atque Capitulo Tridenti dono dedit Spinam Coronae D. N. J. C. Ab oculato teste accepi, ejus sepulcrum in Cathedrali Aede Coenotaphio ornari, quod tamen exscribere mihi non licuit, ob impedimentum Sedilium, quibus ita operitur, ut a me nequiverint amoveri.

Bartholomaeus Caresinus, vel Ceresinus, de Massa, Decretorum Doctor, Auditor & Capellanus *Marci* Cardinalis tit. S. Marci, Canonicis Tridentinis adnumeratus an. 1476. Vivebat an. 1478. Benemeritus hic quoque de Causa B. Simonis in Judaeos.

Andreas de Facinis de Padua Civis Trid. 1477. Ad an. 1489. per *Michaëlem de Placentia* regebat Parochialem Ecclesiam SS. Felicis & Fortunati de Garduno. Vivebat an. 1505. Capituli Senior. Vivere autem desierat anno 1509. die ult. Martii; tunc enim facta fuit mentio *Domus Heredum quondam Reverendi Domini Andreae de Facinis olim Canonici Tridentini in Burgonovo Tridenti.*

Joannes de Palido (sic reperi) 1478.

XXVI. GEORGIUS de Fatis de Trilacu, Antonii filius, Decretorum Doctor, Canonicus, resignante memorato *Perentucello* Decanus a Papa delectus est an. 1478. die 19. Januarii. Tridentina Sede per obitum Episcopi *Udalrici III.* vacante, egit Vicarium in Spiritualibus Generalem; hincque an. 1494. die 23. Aug. *Alexandri* Papae Sexti Decreto inhaerens, mandavit, ut deinceps in civitate ac universa Tridentina Dioecesi festum *S. Augustini* celebraretur *tamquam festum Apostolorum & Evangelistarum*. Ad an. 1495. erat quoque Archipresbyter Vallis Flemmarum. Vitae suae cursum complevit an. 1500. Quo anno Summus Pontifex Tridentinum Decanatum in Commendam quidem contulit *Oliverio Caraffae*, Cardinali Neapolitano, & Episcopo Sabinensi; ast hic eo ipsomet anno ante diem 26. Aug. (regressu sibi reservato) illum in favorem sequentis *Hieronymi de Balzanis*, qui tunc Romae moram trahebat, & residentiae legibus se se pariturum spoponderat, dimisit.

Canonici.

Paulus de Crottis de Cremona, Decretorum Peritus, dictus quoque Jurisconsultus, Magister Domus *Christophori de la Ruvere* Card. & Archiepiscopi Tarantasiensis, Archidiaconus Trid., & Rector Ecclesiae Parochialis Calavini 1478. Senior 1507. Jacet sepultus Tridenti in Majori Ecclesia sub Ambone, cum Coenotaphio hujusmodi:

Paulo Crotto Juris Perito,
Sedis Apostolicae Acolyto, Tridenti
Archidiacono, Cremonae, Regii,
ac Tridenti Canonico, Sacerdoti optimo,
Qui XXII. die Jan. obiit
MDXII.

Franciscus de Mazonatis de Verona 1481.

Udalricus Kneussel 1482. Vide seq. Catal. Praepos.

Benedictus Kneussel 1483. Mortuus est anno 1494. die 10. Januarii, sepultusque in Ecclesia Cathedrali cum Epitaphio:

Hic Benedicte jaces Kneisel cognomine dicte,
Canonicus, Legum quique Peritus eras.
Ingenio praestans, qui Doctor in Artibus olim.
Vixisti, sed nunc spiritus astra colit.
.....CCCCLXXXXIIII.
quarto Idus Januarii.

Vi-

Vitus de Niderthor 1484. Canonicus quoque Augustanus & Brixinensis 1493.

Gabriel de Gabrielibus nominatus Calendis Nov. 1486.

Anonymus Mayr ante an. 1490.

Conradus de Hyrnheim, sive Hurnheim 1490. & 1493.

Joannes Riepper J. U. D. 1491. & 1529. Vicarius Generalis 1501. Plebanus Cimbriae 1503. Decanus Brixinensis 1514. & 1529. Hoc anno in favorem *Andreae de Ticklis* resignavit Prioratum S. Romedii in Anaunia.

Georgius de Neydeck 1491. Reperi huic a Capitulo collatum fuisse Canonicatum ceu Supernumerario. Fuit etiam Canonicus Brixinensis, tandemque Episcopus Trid. Vide sup. pag. 166. 169. ac 171.

Petrus Paulus de Angelis 1492.

Jacobus de Viarolis de Placentia Mansionarius Ecclesiae Cath. & Massarius Mensae Capitularis 1486. & 1488. Canonicus 1492. & 1493.

Anonymus Harnisn Vicarius Generalis 1492.

Christophorus de Schroffenstain Doctor 1493. Vide seq. Catal. Praep.

Nicolaus de Neuhaus 1497. & 1531. Cancellarius Episc. 1501. Scholasticus 1502. Vicarius Generalis 1510. Canonicus Brixinensis 1515. Parochus Vulsanensis 1528. vicariam illi operam praestante Presbytero *Camillo Bononiensi*. Ei Papa *Julius II.* commisit dirimendam litem, quae Praepositum Neocellensem inter, & Communitatem Rasensem in Valle Pustrissa, ratione Jurispatronatus tunc vertebatur.

Joannes Groin, vel Gorin, 1497. & 1507. Anno 1498. die ult. Junii ab *Udalrico* Episcopo Trid. collata fuit ipsi Ecclesia Parochialis S. Mariae Magdalenae Tridenti, quae vacavit per translationem *Petri Jani de Septem Castris de Insula ex Histria* ad Ecclesias *in Meltina & Terlano*.

Antonius de Leudro, Decretorum Doctor, Presbyter, ac Substitutus, ut ajunt, Altaris S. Dorotheae in Ecclesia Cathedrali 1484. Canonicus 1498. Vicarius Generalis 1514. & 1525. Anno 1511. cessit Plebem S. Eusebii *de Thuro Vallis Annaniae* in gratiam *Michaëlis Hess de Sterzingen* Clerici Brixinensis Dioecesis, ac Secretarii Episcopi Trid. a quo idem *Hessius* fuit investitus die 24. Aprilis. Anno 1524. die 27. Febr. dotem constituit Altari Omnium Sanctorum Ecclesiae Cathedralis, eodem anno ab Altari S. Blasii sejuncto.

Michaël Briosius de Mantua 1499. Anno 1506. die 27. Junii, resignante in ejus favorem *Philippo de Cremona*, factus Plebanus Thaji. An. 1513. Senior, imo & Decanus, ut infra dicam in Decano Jacobo. Denatus 13. Aug. 1514. ac sepultus Tridenti in abside media Ecclesiae Cathedralis, sub lapide hanc caelaturam habente:

Ann. Virginei Partus M. D. XIII.
Michaël Briosius Galatheus
Hujus Basilicae Canon. Senior
Venturam Resurrec. dicens
Vivens sibi locum mo.... ivit.

(Heic Stemma Gentilitium)

Sum & transire paratus.
Obiit aut. die XIII. Aug. M. D. XIIII.
Vixit an. LXXII. men. X. dies
vero XIIII.

XXVII. HIERONYMUS de Balzanis Civis & Canonicus Tridentinus, praefata Card. *Oliverii* resignatione intercedente, Decanus an. 1500. Infanda nece e vivis sublatus dum Cathedrale Templum ingreditur an. 1504. ante diem 17. Decembris. Siquidem hoc ipso die & anno praefatus *Michaël Hess* ab *Udalrico* Episcopo Tridentino, cui erat a Secretis, investitus fuit de Parochiali Ecclesia S. Mariae *in Smarano Vallis Annaniae*, vacante *per obitum D. Hieronymi de Balzanis olim Ecclesiae Tridentinae Decani & Canonici*.

Canonici.

Joannes Ortvvein Capellanus *Joannis* Episcopi Trid. 1476. Canonicus 1501. Decessit an. 1518. die 21. Aug., tumulatus in Ecclesia Cathedrali haud longe a Porta Septemtrionali, cum Coenotaphio:

Sepulcrum Rev. Dñi
Jo. Ortbein Canonici. Obiit XII. Kal.
Septembris MDXVIII.

Felix Gabatt 1501.

Joannes Hausen, vel de Hausen, Artium Liberalium Magister, qui an. 1490. die 27. Octob. in gratiam *Jacobi Aschenburgeri* Clerici Frisingensis Dioecesis *Udalrico* Episcopo Trid. resignavit Ecclesiam Parochialem Thenni, erat Canonicus Trid. an. 1501. & 1503.

Joannes Staifler 1502. & 1507.

XXVIII.

XXVIII. ANTONIUS de Fatis de Trilacu, dictus quoque Tabarellus, Thomae filius, in Canonicorum numerum, posthabito *Simone de Nigrellis*, relatus an. 1504. Decanus post diem 21. Nov. anni 1505. & ante diem 8. Maji anni 1506. Obiit Tridenti an. 1511. die 23. Nov., cujus ossa in summo Templo recondita fuerunt prope Januam Septemtrionalem, ubi in hodiernum diem prostat Tabula Deiparae Virginis, S. Vigilii, S. Emerentianae, atque ipsiusmet Decani imagines repraesentans, cum Inscriptione his verbis concepta:

Est Fatus Trilacus Tabarellus
Antonius Decanus & Canonicus
Fatorum ac Cleri Patriaeque Decus
Hic pie sepultus IX. Kal. Dec.
Anno Domini MDXI.

Canonici.

Ludovicus de Balzanis de Tridento 1506. Senior 1540. & 1544.

Simon de Philippinis de Thono, Georgii filius, Beneficiatus S. Vigilii Plebis Vigi, ac Plebanus Tassuli 1492. & 1494. Canonicus 1506. & 1548.

Joannes Mosaur 1509. & 1515.

Stephanus Harder, sive Arder, 1509. Anno 1528. die 4. Febr. collata fuit ipsi Parochialis Ecclesia S. Laurentii in Anaunia, quae per *Sebastiani Stamleri* Canonici Brixinensis obitum vacaverat. Devixit *Stephanus* noster an. 1532. mense Septembri, eique in Paroecia *Bernardus* Episcopus Trid. sub datum Lincii die 19. ejusdem mensis & anni designavit Successorem *Dominicum a Palude* Capellanum suum, qui a duobus annis Capellania S. Desiderii potiebatur.

Donatus de Fatis de Trilacu, Tabarellus quoque cognominatus, germanus *Antonii* Decani frater, 1510. Anno 1520. successit *Francisco Cadalorae* in regimine Parochialis Ecclesiae S. Andreae Trilaci, quam reliquit morte abreptus an. 1530. Fuerat quoque an. 1528. die ult. Febr. nominatus Rector Parochialis Ecclesiae Avolani, vacantis per obitum Presbyteri *Bonomini* die 18. ejusdem mensis sequutum; sed mihi non constat, num ad possessionem pervenerit; e contrario autem me non latent, quae designationi hujusmodi fuere opposita.

XXIX. JACOBUS de Bannissis, Dalmata, Protonotarius Apostolicus, *Maximiliano* I., & *Carolo* V. a Consiliis & Secretis, Decanus Antuerpiensis, ac simul Decanus Tridentinus delectus anno 1512. mense Janua-

Januario. Hujusmodi deputatio minime placuit Capitulo Tridentino; unde evenit, ut Canonicus *Michaël Briosius* de Mantua ad an. 1513. pro Decano haberetur, Capitulumque in suspensionis & interdicti poenam instante *Bannissio* a Summo Pontifice latam incurrerit. Graves quoque difficultates idem *Bannissius* offendit propter suam a Tridentina urbe absentiam. Nihilo tamen minus, patrocinante laudato *Maximiliano*, fuit tandem admissus. Anno 1514. necdum erat in Sacris constitutus, neque in Canonicorum Collegium cooptatus. Anno 1515. mense Decembri eidem collata est possessio *Plebis in Rovereto*. Anno 1517. die 4. Septembris praesentatus fuit ad Ecclesiam Parochialem Eppiani. Anno 1526. Canonicus etiam dicebatur. Anno 1529. die 16. Nov. sub datum Bononiae *Clemens* Papa Septimus constituit quidem praefati *Jacobi* Coadjutorem cum futura successione tam in Canonicatu, quam in Decanatu Tridentino, *Jacobum Radicbii de Bannissis*, ejus ex fratre nepotem, & Curzulensis Dioecesis Clericum; ast num literae hujusmodi suum obtinuerint effectum, mihi hactenus incompertum. Vitae cursum complevit Tridenti anno 1532. die 19. Nov. tumulatus in abside media Ecclesiae Majoris, cum Coenotaphio hujusmodi:

D. O. M.
Jacobo Banissio Dalmatae S. R. E. Prot.
Decano Tridenti & Antuerpiae, Maximiliani
& Caroli V. Imp. a Secretis & Consiliis,
religione, pietate, hospitalitate, divinarum
humanarumque rerum prudentia insigni,
cujus singularis apud privatos omnes, &
Pont. Ro., Christianosque Reges, ac
Franciscum II. Mediolani Ducem gratia
& autoritas semper fuit.
Patruo dilectissimo . . . .
Jacobus Nepotes cum Fratribus Pos.
Vixit An. LXVI. men. I. dies IIII.
Obiit Anno salutis MDXXXII.
Die XIX. Novembris.

Inter Epistolas a *Petro Bembo* nomine *Leonis* Papae Decimi scriptas, una est Lib. 12. n. 1. edit. Venet., in qua noster *Jacobus* ab eodem Pontifice commendatur ceu *vir prudens, sibi maxime charus, & probatus*. Vidi plures *Erasmi* Epistolas ad eum datas cum Inscriptione: *Benefactori suo observandissimo &c.*

Ca-

Canonici.

Bernardus de Castro Clesii fit Canonicus & Archidiaconus 1512., tandem Episcopus Trid. & Cardinalis.

Sigismundus de Valdenstain 1512. & 1514.

Gastelus Linck 1512. In Cathedrali Ecclesia sub Ambone vidi lapidem in haec verba loquentem:

Sepultura Reverendi Domini
Gastuli Linck de Augusta
Canonici Tridenti. M. D. XXVII.

Dominicus Gelphus 1514. & 1516. Ad an. 1515. Generalis in Spiritualibus Vicarius Episcopi Veronensis appellabatur, eratque tantummodo Subdiaconus ad praedictum an. 1514.

Michaël de Castronovo 1514. & 1515.

Sigismundus de Thono 1514. & 1519. Fuit quoque Canonicus Salisburgensis, uti legere est apud PP. Mezgeros in *Hist. Salisburg.*

Joannes Baptista de Thono, filius Stephanini, 1514. Anno 1530. die 14. Februarii fuit investitus de Ecclesia Parochiali Trilaci, cui defuncto successisse fertur die 3. Octob. 1572. *Josephus de Rubeis* de Banco Plebis SS. Sisinnii, Martyrii, & Alexandri. Ejusdem *Jo. Baptistae* nullam aliam reperi memoriam posteriorem an. 1530. praeter emortualem modo indicatam. Hinc, praesertim cum ejus nomen in Serie integra Canonicorum infra sub Decano *Ottone* referenda desideretur, puto vel Canonicatum suum resignasse, vel in praefatum an. 1572. irrepsisse errorem.

Vinciguerra Comes de Arco 1514. Ad an. 1521. vivebat Anonymus Comes de Arco Can. Trid.; incertum autem mihi num memoria hujusmodi ad hunc *Vinciguerram*, vel potius ad *Franciscum*, de quo inferius ad an. 1528. pertineat.

Anno 1515. *Antonius de Murrianellis*, *Leander de Perusio*, & *Simon de Nigrellis* pro Tridentino Canonicatu consequendo inter se litigabant.

Joannes de Guillelmis de Judicaria 1517. obiit an. 1531., eique substitui petiit *Joannes de Thisis* Justino-Randenensis, Presbyter, Capellanus & Caudatarius Domini Cardinalis SS. Quatuor Coronatorum. Vide infra ad an. 1520. & 1532., ac supra pag. 196. & seq.

Anno 1518. a *Paulo Oberstein* Praeposito Viennensi, & Imperatoris Maximiliani Consiliario, porrectae fuerunt preces pro primo Canonicatu Tridentino vacante.

Alber-

Albertus de Albertis, dictus quoque Albertus de Enno, Friderici filius, 1520. Vicarius Generalis 1534. & 1537. Renunciatus Prior S. Hilarii in Valle Lagarina eodem anno 1537. Vivebat an. 1544. Collata ipsi fuerat an. 1527. Parochialis Ecclesia Bletiensis, quae ob mortem *Odorici Costede* vacaverat; sed eam mox resignavit in gratiam praefati *Joannis de Thisis*. Tumulum obtinuit Tridenti in summo templo. Vide infra ad an. 1548.

Joannes Lucas 1521.

Paulus Somentius Cremonensis, Clericus Familiaris Clementis VII. Rector Prioratus Ecclesiae Castrinovi Plebis S. Mariae de Villa in Valle Lagarina, & Prioratus S. Thomae inter Arcum & Ripam 1513. & 1514., tum post Banalensis Plebis renunciationem, Parochus Medii S. Petri 1517. & 1519. vices ejus agente Presbytero *Joanne de Monaunis* de Clesio: denique Archidiaconus 1524. & 1528.

Franciscus Comes de Arco, Odorici filius, 1528. Obiit an. 1561. Cui succedere in votis habuit *Antonius Comes Lodroni* Salisburgensis Canonicus ad an. 1559. ac dein Praepositus, vita functus an. 1616.

Bonaventura Fanzinus 1528.

Leopoldus de Trautmansdorf 1528. Resignavit an. 1594. An. 1541. erat quoque Canonicus Brixinensis, an. 1561. Decanus, & an. 1570. ac 1586. Praepositus ejusdem Ecclesiae.

Thomas Marschaner, seu Marsaner, Presbyter Dioecesis Trid., Plebanus Clesii 1512. Plebanus *in Ulten* nominatus an. 1525. Canonicus Trid. 1528. Canonicus item Brixinensis 1530., quo anno, die 2. Dec. resignavit Ecclesiam Parochialem SS. Felicis & Fortunati Garduni in favorem Clerici *Nicolai Baroni*. Vivebat an. 1548. Diu egit Magistrum Domus Episcopalis Tridenti, fuitque pluries, & a diversis Romam ablegatus Orator. Ex ejus Coenotaphio in Tridentina Ecclesia Cathedrali posito, infra Sacellum SS. Crucifixi, utpote satis corroso, haec dumtaxat tuto deprehendere potui, videlicet vixisse an. 70., vitamque clausisse mense Novembri.

Erasmus Strenberger de Wels, Archipresbyter Lizanensis 1518. Canonicus Trid. 1529. Obiit an. 1558. die 19. Septembris, in tumulum Decani Bannissii relatus, addita Inscriptione:

Erasmi

Erasmi Strenbergeri Canonici Trident. Jacobi Bannissii
Decani item Trident. intimi Familiaris, ossa hic sita
sunt, Sepulchri a Bannissiis heredibus communione
antequam decederet impetrata.
Communis domus in vita commune Sepulcrum
Post mortem ambobus fecit ut esset amor.
Obiit die XIX. mensis Sept. Anno M. D. LVIII.
Vixit Ann. LXXV.

Nicolaus de Madrutio, qui anno 1529. die 29. Aprilis sub datum *Spirae in Domo habitationis Reverendissimi in Christo Patris & D. D. Bernardi D. G. Episcopi Trid., & Serenissimi Ungariae & Bohemiae Regis Supremi Cancellarii*, Capitulo Tridentino resignavit Canonicatum suum in favorem *Magnifici D. Christophori de Madrutio sui fratris Clerici Trid.*

Stephanus Rosinus Augustanus, Canonicus etiam Pataviensis 1530. & 1532. Necdum erat Canonicus sive Tridentinus, sive Pataviensis an. 1524. Inter vivos non computabatur an. 1549.

Martinus de Neydeck Archidiaconus 1530. & 1544.

Joannes de Thisis, de quo supra, nominatur Canonicus an. 1532. die 19. Septemb. (successor *Stephani Harderi*) a Card. *Bernardo Clesio*, ob longa & fidelia servitia eidem & Ecclesiae Tridentinae praestita. Obiit an. 1544. die 22. Augusti: cujus Ossa quiescunt Tridenti in abside media Ecclesiae Cathedralis, ubi legi sculptum:

Reverendo D. Joanni de Thisis
Canonico Tridentino, Clementis PP.
Septimi, ac Reverendissimorum Triden. Cardinalium, & Illustrissimorum Principum &c.
Bernardi de Clesii, & Christophori
de Madrutz Familiari fidelissimo
Fratres maestissimi
P.
Obiit die XXII. Aug. Anno
M. D. XXXXIIII.

Joannes Christophorus Naglbeck, Presbyter ac Plebanus Cimbriae 1521. Canonicus Trid. 1533. Extrema clausit an. 1544. die 29. Febr., tumulumque accepit in meridiana curvatura Ecclesiae Cathedralis Tridentinae, ubi Coenotaphium hujus tenoris reperi:

 D. O. M.

D. O. M.
Reverendus & Nobilis D. Joan. Christophorus Nagelpeckh a Perndorf, DD. Doctor, Rmi in Christo Patris & Dñi D. Bernardi a Clesio Card. & Episcopi Triden. &c. Camerarius, hujus insignis Ecclesiae Canonicus, obiit anno sal. M. D. XLIIII. die ult. mensis Februarii.

XXX. CHRISTOPHORUS de Madrutio, Baro, qui literis operam dabat in Lyceo Patavino cum esset Canonicus Trid. an. 1531. & 1533. Decanus nobis innotuit ad an. 1535., licet Subdiaconus tantum. Anno 1536. die 30. Dec. admissus fuit inter Metropolitanae Salisburgensis Ecclesiae Canonicos. Anno 1539. promotus ad Episcopatum Trid., retentis nihilominus ex Apostolica dispensatione Canonicatu & Decanatu ad sex menses & ultra; nam Decanum agebat quoque die 6. Junii 1540. Redeatur, si lubet, ad *Seriem Antist. Trid.* pag. 195. Bullam vero Pauli III. ipsomet *Christophoro* adhuc Decano emissam, atque ad Capitulum Tridentinum spectantem, vide sis infra ad finem *Quindenae*.

Canonici.

Felix de Thono 1537.
Lucius Romulus Pincius Mantuanus, patre *Jano Pyrrho Pincio* Tridentinorum Historiographo natus, J. V. D. ac Secretarius Episcopi & Card. *Bernardi Clesii*, a quo nominari meruit Parochus Levicensium an. 1532. mense Decembri ad finem vergente; deindeque ab eodem *Bernardo* Tridentinis Canonicis aggregari, quo Canonici titulo insignitus comparet ad an. 1538. Ab an. 1564. eum reperi appellatum Vice-Seniorem. Fato raptus an. 1574. die 3. Januarii, sepultus fuit in medio Cathedralis Ecclesiae Tridentinae, cum Inscriptione:

L. Ro-

L. Romulus Pincius Mant.
Jur. Utr. Doctor, Prot. Aplicus
ac Canonicus Tridentinus,
pluribus honoribus sub Ferdinando sep. Rom. Imp.
& sub Ill. ac R. D. Bernardo Clesio Cardinale
& Episcopo Triden. functus,
Quicquid a terra accepit, huic Sepulcro commendat;
Quod vero e caelo, spe plenus ac gaudens, Deo reddit.
Vixit An. LXX. men. Jan. III. obiit
M. D. LXXIIII.

Jacobus de Mossis 1539.

XXXI. OTTO Truchsessius, Augustanus, Baro, *Christophori Madrutii* Paduae ac Bononiae condiscipulus, patriaeque suae Canonicus, Tridentini Decani titulo auctus reperitur ad an. 1542. die 3. Nov. Idem nuncupatur *electus & confirmatus Episcopus Augustanus* in Charta scripta an. 1543. die 17. Junii, per quam *Camillo Zanello* Rectori Plebis Volsanae locavit reditus Plebis Randenae. Postea Cardinalis a *Paulo III.* creatus, viam universae carnis ingressus est Romae an. 1573. mense Aprili, sepultus in S. Maria, ut ajunt, de Anima, cum Epitaphio. Ejus integerrimam vitam, excelsas animi dotes, ac virtutes, clementiam, affabilitatem, ingenii morumque praestantiam, catholicae religionis studium, ac gesta praeclara, summis laudibus effert, praeter alios, Ughellus in Episcopis Praenestinis To. 1. *Ital. Sac.* col. 221. edit. Ven., ubi tamen corrigendum typographicum sphalma *an.* 1553. quo Cathedram Augustanam adscendisse narratur, ejusque loco substituendus annus 1543.

Canonici.

Osbaldus Entstrasser, sive Endstrasser, J. V. D. & Vicarius Generalis 1541. & 1545. quo anno decessit. Priusquam Canonicus fieret, impense coluit *Bernardum Clesium*, quod ex Epigrammate atque Epistola, quibus Cardinalitiam dignitatem eidem *Bernardo* recens collatam gratulatus est, eruimus. Ex iisdem praeterea licet arguere, ipsum *Endstrasserum* nedum Latini, sed & Graeci sermonis non ignarum exstitisse. Ejus corpus resurrectionem suam exspectat Tridenti in media summi templi abside, ubi tegitur lapide cum hac Inscriptione:

 D. O. M.

D. O. M.
Osbaldo Endstrassero
Viro integerrimo, J. V. D. Canonico Tridentino & Brixinensi
Christophorus ex Baronibus Madrutii, Avii, & Brentonici, Cardinalis & Episcopus Tridentinus & Brixinensis &c. &c.
Familiari benemerito f. f. Anno Domini M. D. XXXXV.

Albertus Parochus de Turri Vallis Annaniae defunctus an. 1548. mense Febr.

Franciscus de Cazuffis de Tridento, Canonicorum numero adscriptus die 28. Febr. 1548. Vitam hanc dereliquit die 14. Nov. an. 1552., teste Coenotaphio in medio praedictae Ecclesiae Cathedralis, quod est tenoris hujusmodi:

Francisco ex nobili Cazuforum familia, Juris Perito, ac Canonico Tridentino, qui dum annorum LVI. aetatem ageret, obiit die XIIII. Novembris Anno Domini M. D. LII. Frater & Nepotes moestissimi Posuere.

Heic referre placet illam Canonicorum Seriem, quam una cum gentilitio uniuscujusque Stemmate in exteriori pariete Cellae Vinariae Capitularis haud longe a Cathedrali Ecclesia constructae deprehendi. Aptiorem enim locum, quem ei tribuerem, non inveni. Haec est ordine desumpto a legentium laeva, ubi antiquiores Canonici reperiuntur, absque tamen Decano:

Thomas Marschaner ....
Franciscus Comes Arci Can. Trid.
Leopoldus de Trautmansdorf Can. Trid. & Brixinen.
Erasmus Strenberger Can. Trid.
Lucius Romulus Pincius Mant. Can. Trid.
Bartholomaeus Botes Can. Trid. & Brixin.
Antonius de Piccolis de Leudro J. V. D. Can. Trid.

Jaco-

Jacobus Kuen Can. Trid. Decanus Brixin. & Consiliarius Caesareus.
Mathias de Castro Clesii Can. Trid. & Brixin.
Joannes Betta Can. Trid. Abbas S. Gothardi, ac Physicus Regius.
Hieronymus Rochabruna Can. & Summus Scholasticus Trid.
Franciscus de Cazuffis Can. Trid. J. V. D.
Nicolaus Fieger Can. Trid. & Brixinensis.
Julius de Gallis Can. Trid.
Gaspar Josius de Enno Can. Trid.
Antonius Grotta Can. Trid. Artium & Medicinae Doctor.
Christophorus ex Baronibus de Sporo ....
Adamus de Arsio V. J. D. Can. Trid. & Brixin. ac Apostolicus Referendarius.

Antonius de Piccolis de Leudro J. V. D. an. 1539. die 11. Dec. appellabatur *Clericus Trid. Dioec. pro Ven. Capitulo Eccl. Trid. Sede vacante in Spiritualibus Vicarius Generalis.* In aliis tabulis ab an. 1555. usque ad an. 1560. Canonicus.

Joan. Jacobus Kuen a Bellasiis J. V. D. Canonicus Brixinensis an. 1539. Anno 1546. nominatus fuit Parochus Eppiani, mediante resignatione *Ambrosii a Lamberg*, qui eodem anno Plebem illam per obitum *Ambrosii Ipphoferi* vacantem, obtinuerat. Idem *Jacobus* fuit quoque Canonicus, tandemque Archiepiscopus Salisburgensis electus an. 1560. die 26. Nov. Vitae huic valedixit an. 1586.

Mathias de Castro Clesii occurrit ceu Can. Trid. ad an. 1557. Literas vidi anno 1523. scriptas; in quibus *Bernardus Clesius* Episcopus Trid. agit de nepote suo Canonicis Tridentinis adnumerando.

Joannes Betta de Revodio Anauniensis, Artium & Medicinae Doctor ad an. 1540. ac deinde *Maximiliani* Bohemiae Regis Physicus, anno 1551. die 15. Jan. nominatus fuit ad simplex Beneficium sive Capellaniam Sacelli in Castro Sigmundtsfcron, olim Formian, vacantem per mortem Doctoris *Joannis Reyching* Canonici Brixinensis. Postea evasit Parochus Medio-Coronae, seu Medii S. Gothardi, atque Canonicus Tridentinus, attenta resignatione in ejus favorem facta a *Joanne Friderico Madrutio*, tandemque an. 1560. die 5. Aprilis Episcopus Tergestinus, quam Ecclesiam regebat quoque ad an. 1572. Porro supra indicata Abbatia S. Gothardi est in Hungariae regno.

Hieronymus Rochabruna, sive de Rochabruna, natus 21. Julii 1425., inter Canonicos Trid. comparet ad an. 1551., inter Brixinenses ad an. 1567., Archidiaconus Trid. ad an. 1571. A Mariano in *Trento* pag.

pag. 67. breviſſimo elogio viri inſignis meriti ac pietatis decoratur. Principibus noſtris *Chriſtophoro*, & *Ludovico* adſtitit a conſiliis. Suum condidit teſtamentum an. 1593. Immortalitatem vero adeptus eſt die 13. Junii an. 1599. fidem faciente lapide in Septemtrionali Eccleſiae Cathedralis Tridentinae parte erecto, atque ita loquente:

D. O. M.
Hieronymus a Roccabruna
Archidiaconus & Summus
Scholaſticus Eccleſiae Triden.
atque ejuſdem & Brixinen.
Canonicus, mortis memor
ſibi Monum. hoc paravit,
necnon avitum longo
ſenio limatum reſtituit.
Obiit die XIII. menſis Junii
Anno ſalutis humanae
M. D. IC.
aetatis vero ſuae LXXIII.
men. X. di. XXIII.

Franciſcus de Cazuffis alter erat Can. ad an. 1554. Poſtea Decanus.

Julius de Gallis de Tridento, Can. ad an. 1555. & 1568.

Gaſpar Joſius an. 1554. erat Plebanus Enni & Civezani, ac Familiaris Chriſtophori Madrutii Card. & Epiſcopi Trid.

Antonius Grotta Doctor, erat Can. ad an. 1565. Denatus an. 1585. die 26. Febr., ſepultuſque Tridenti in ſummi templi medio, cum Inſcriptione hac brevi:

Antonio Crottae
Canonico Trident.
Obiit die XXVI. Febr.
M. D. LXXXV.
Vixit Ann. LX.

Chriſtophorus Andreas Baro de Sporo, patrem habuit *Udalricum* Baronem *de Sporo*, matrem vero *Catharinam* Sororem Card. *Chriſtophori Madrutii*. Fuit Decanus Brixinenſis ad an. 1570., tum Princeps & Epiſcopus Gurcenſis uſque ad an. 1603. quo Eccleſiam illam reſignavit evocatus ad Brixinenſem.

Ada-

Adamus de Arsio erat Can. Trid. ad annum quoque 1570. Quidam *Adamus ab Artz*, sive *Arsio*, an. 1580. die 13. Julii nominatus fuit ad Beneficium S. Udalrici in Arce Sigmundscron vacans per obitum *Friderici Heydenreich*.

XXXII. SIMON de Thono Canonicus & Decanus primum invenitur ad an. 1555. Canonicis Salisburgensibus aggregatus fuit an. 1562. Restauravit Aedes Parochiales Randenae an. 1570. Vitam hanc amisit leto raptus circa an. 1585., sepultusque est Tridenti in Cathedrali Ecclesia non longe ab Urna Episcopi Udalrici Liechtensteinii absque Epitaphio. Quinam sub eo fuerint Canonici accipe ex sequenti Catalogo manu Praesulis *Christophori Madrutii* exarato in Epistola notis chronologicis destituta. Lubet integrum exhibere:

Simon de Thono Decanus.
Franciscus Comes Archi.
Leopoldus de Trautmenstorf.
Lucius Romulus Pincius Mantuanus a Reverendissimo Bernardo promotus ad Canonicatum, cum eidem Reverendissimo Cardinali per plures annos fidelem operam praestitisset.
Bartholomaeus Botes.
Antonius de Picolis Doctor.
Jacobus Kuen.
Mathias de Cles.
Joannes Betta Doctor.
Hieronymus a Rocabruna, cujus mater fuit a Caldes familia nobili & antiquissima.
Franciscus Cazzusius Doctor.
Nicolaus Fieger.
Julius Gallus.
Gaspar Josius ex Valle Anania.
Antonius Grotta, qui à patre & matre est Civis Ripensis, & bonas facultates possidet maxima parte in Districtu Opidi Ripae, in quo & ipse est ortus.
Christophorus Baro in Sporo.
Adamus de Arzt.
Ludovicus Madrutius. De hoc vide in Serie Antist. Trid. pag. 211.

His

His accesserunt:

Aliprandus Madrutius 1562. postea Decanus.

Franciscus Alexandrinus J. V. D. Canonicus & Consiliarius 1563. Vicarius Generalis 1565. & 1572.

Anonymus Archidiaconus 1566. An supra relatus *Hieronymus Rochabruna?*

Gabriel de Bassis de Tridento Jurium Doctor 1567. Erat inter vivos an. 1580. Reperi ejus Sepulcrum Tridenti in summo templo sub fornice ingredientium dextero, cum hac Inscriptione:

D. O. M.
Gabrieli Basso a Margono
J. V. D. hujusceque Ecclesiae
Canonico
Nepotes gratitudinis ergo
Posuere
Die XX. mensis Octobris
Anno MDLXXXVIII.

Joannes Jacobus Malanottus de Caldesio J. V. D. Vicarius Generalis 1550. Canonicus 1568. Extinctus an. 1581. Calendis Majis, sepultus est Tridenti in meridiana Ecclesiae Majoris abside, Coenotaphio hujusmodi honestatus:

Reverendo & Clarissimo J. V. Doctori
D. Joanni Jacobo Malanoto
Canonico, pietatis, omniumque
virtutum cultori eximio,
qui in Spiritualibus diu Vicarium
gessit
Excell. J. V. Doctor Bernardinus
fratri carissimo posuit.
Vixit annos 70. obiit Calendis
Majis 1581.

Sil-

Silvius de Prato, Dominus Segunzani, Tridentinus, 1568. Vicarius Generalis 1583. Consiliarius 1604. Necdum induerat immortalitatem an. 1608. Vitam S. Maxentiae in compendium redegit. Vid. To. 2. pag. 346.

Georgius de Albertis ex Enno J. V. D. Canonicus & Consiliarius 1570. & 1578. Ejus mortales exuviae jacent in praefata Ecclesia Cathedrali. Laudatur a Vigilio de Vescovis ceu *vir multa doctrina, & prudentia praeditus*, nec non a Michaële Angelo Mariano in *Trento* pag. 68., de eo enim refert, quod *Inviato dal Cardinal Lodovico Madrutio per la Chiesa di Trento alla Corte Imperiale, colà in dieci anni continui, li più ardui, diede tali prove di fede, valor, e destrità, che a nomina di Rodolfo II. venne intavolato in Roma Auditor di Rota, e n' hebbe anco vivi impulsi dallo stesso Cardinal Lodovico, di cui fu Consiglier, e Cancellier di Stato.*

Joannes Cavalerius 1579. Vide seq. Catal. Praeposit.

Joannes Alexandrinus, Julii filius, J. V. D. Consiliarius Caesareus, Canonicus Brixinensis, necnon Can. & Generalis in Spiritualibus Locumtenens Trid. 1580. & 1590.

Andreas Cardinalis ab Austria an. 1584. a Capitulo obtinet Canonicatum, quem resignavit *Leopoldus de Trautmandorf*. De eo in seq. Catal. Praeposit.

Engelardus Baro a Wolckenstain die ult. anni 1587. resignavit suum Canonicatum Trid. Reperi quemdam *Engardum Wolckensteinium* fuisse Can. & Archidiaconum Trid.

Hippolytus Baro a Wolckenstain Canonicatum ab *Engelardo* dimissum impetrat die 11. Apr. 1588. Moritur an. 1632.

Carolus Baro de Madrutio, tandem Episcopus Trid. & Card. Vide supra pag. 221.

XXXIII. FRANCISCUS de Cazuffis. Hunc Canonici titulo insignitum reperi quidem ad an. 1554. 1555. & 1565., numquam vero Decani. Solus est Marianus, qui in suo *Trento* pag. 8. Sepulcra in Cathedrali templo posita enumerans, inquit: „ Vicino alla Porta laterale „ verso Aquilone stà la Lapide d' Arma Cazzuffi con Epitafio consun- „ to da calpestio; nè s' è perdonato al nome del *Canonico Francesco* „ *Cazzuffi, che vi si tiene col titolo di DECANO di Duomo, e di Vica-* „ *rio Generale*, honor, e carico sostenuti egregiamente. “ Porro nos aliis inquirendum relinquimus, quinam locus in hac Serie sit ei tribuendus.

XXXIV. ALIPRANDUS Madrutius, ex Barone *Nicolao*, & *Dina* Alexandri Comitis Arcensis filia natus, Cardinalis *Ludovici* frater, anno 1560. à patruo Cardinali *Christophoro* constitutus Rector Hospitalis S. Mariae de Campilio *in montanis Randenae;* ac die 3. Julii ejusdem anni Prior S. Hilarii in Valle Lagarina (vacante hoc Prioratu per obitum *Antonii Tabarelli de Fatis*): anno 1562. inter Canonicos Salisburgenses cooptatus; quo anno, die 14. Junii erat quoque Canonicus Tridentinus & Brixinensis. Tandem Decanus Tridentinus habetur ad an. 1588. die 19. Dec., atque ad an. 1599. die 20. Martii Prior etiam S. Thomae inter Arcum & Ripam. Humanis rebus valedixit an. 1606. Anno autem mox sequenti 1607. Calendis Aprilis *Carolus Madrutius* Episcopus Tridentinus in Ecclesia Cathedrali, inque S. Maxentiae Sacello Beneficium erexit plurium Missarum in unaquaque hebdomada pro ejusdem *Aliprandi* Decani, atque *Ludovici* Cardinalis animabus celebrandarum.

Canonici.

Josephus Roboretus 1592. & 1596. Priusquam Canonicis adnumeraretur, in variis Italiae locis Praetorem egerat. Vide seq. Catal. Praepos.

Bertramus, dictus etiam Bartholomaeus, Pezzanus, patria (Vigilio de Vescovis testante) Vermiliensis, Protonotarius Apostolicus, & S. T. D. Vicarius Generalis ad an. 1595. usque ad an. 1600. Canonicus ad an. 1596. Curante Lud. Card. Madrutio sublimioribus studiis operam dedit Romae in Collegio Germanico. Quievit in Domino die 28. mensis Aprilis 1615. Vidi ejus sepulcrum Tridenti in Ecclesia Cathedrali ante Aram S. Romedii in cornu Evangelii Altaris majoris, cum Coenotaphio sequenti:

In sublimi Quies.
Bertrami Pezzani Vallis Solis
hujus Ecclesiae Cathed. Canonici,
Theologi, Sac. Canonum Doctoris,
Protbonotarii Apostolici
& in hoc Episcopatu diu Vicarii
in Spiritualibus, Visitatoris
Generalis officio laudabiliter
perfuncti Monumentum quod
sibi moriens elegit. Omnibus sui
desiderium relinquens obiit XXVIII.
Aprilis MDCXV. aetatis suae
Anno XXXXVIII.

Joan-

Joannes Baptista Melchiorius 1598. Senior 1603. Archidiaconus 1617. Summus Scholasticus 1623. Immortalitatem adeptus an. 1639. Passionis Dominicae diebus recurrentibus, humatus fuit in Ecclesia Cathedrali, ubi ad ingredientium dexteram erectus postea fuit lapis auratis literis insculptus, atque sic inquiens:

D. O. M.
Joanni Baptistae Melchiorio
hujus Cathedralis Seniori, Archidiacono, Summo Scolastico,
& multis Legationibus in Comitiis
Tirolensibus pro publicis negotiis
Episcopatus, & Capituli feliciter
perfuncto, hic sepulto anno
M. DCXXXIX.
Obiit post annos aetatis suae LXXV.
illis diebus, quibus Vita in mortem
ivit, & moriendo occidit, ut hinc
colligeres, illum cum Christo
vixisse, quo cum mori contigit.
Monumentum hoc posuere
moestissimi Fratres benemerito
die XX. Martii anno
M. D. C. XXXX.

Mathias Stettner possessionem Canonicatus, cum onere Poenitentiariae, accepit an. 1602. die 6. Septemb. Vivebat quoque an. 1623.

Mathias Comes a Turri 1603. De eo in Catal. Praeposit.

Joannes Baptista a Coredo, Canonicus etiam Brixinensis 1604. & 1612. Patrem habuit nomine *Antonium*, fratrem vero *Nicolaum* illum, qui ex Parocho Fulgaridae evasit Episcopus Tergestinus. Istam Ecclesiam regebat an. 1579. die 13. Octob., teste Epistola ab eodem scripta ex *Praepositura Soliensi* ad Episcopum Tridentinum; perseverabatque in hujusmodi munere ad annum quoque 1588. *Joannes Baptista* erat a consiliis Principis Tridentini *Ludovici* etiam an. 1580. Utrumque Marianus in *Trento* pag. 342. recenset inter illustres patriae nostrae viros, dicens: „ *Nicolò*, & *Gio: Battista a Cored* ambi soggetti di virtù, & „ estimatione. Il primo, come benemerito in Corte dell' Imperator „ *Massimigliano II.* pasò ad esser Vescovo di Trieste. Il secondo pri„ ma Marito di *Giulia Grotta*, Dama di non minor pudicitia, che gran

„ beltà; e poi fatto Huomo di Chiesa, meritò esser Canonico di Duo-
„ mo, Vicario, e Consiglier del Cardinal *Lodovico* Madrutio, con altri
„ Honori, e Carichi da lui sostenuti sempre co'l medemo suo gran va-
„ lore in fortuna varia ".

XXXV. ERNESTUS de Wolckenstain, Baro, patre *Joanne*, ac matre *Isabella* sorore Decani *Aliprandi Madrutii*, femina commendatissima, natus, Canonicus Salisburgensis ab an. 1583. Decanus Brixinensis ad an. 1587., denique Decanus Tridentinus ante diem 14. Aprilis anni 1608. Extremum diem obiit an. 1616. sepultusque manet Tridenti in Ecclesia principe non longe ab Urna S. Adelpreti, ubi tegitur lapide in haec verba loquente:

Obiit Perillustris Admodum Rev. Dominus
Ernestus Baro a Wolchenstain
Decanus hujus Ecclesiae, necnon Canonicus Salisburgen. Brixin. & Augustanus, ibidemque Praepositus
S. Mauritii, die XVI. Aprilis Anno
M DC XVI.
aetatis suae anno 64.

Alius ibidem niger lapis erectus cernitur, hocce Decani ejusdem servans Elogium:

D. O. M.
Ernesto a Wolkenstain
Hujus Ecclesiae Decano
Benemerito
Eadem Ecc. Heres ab ipso
Instituta
Posuit

Canonici:

Hieronymus Roccabruna Can. & Archidiaconus 1607. postea Decanus.
Petrus Bellus de Condino Suffr. & Vicarius Generalis 1611. de quo infra in Catal. Suffr.
Nicolaus de Morenberg 1611. Resignavit an. 1618. die 15. Junii.

Caro-

Carolus Emmanuel Madrutius, Canonicus etiam Brixinensis, & Abbas Commendatarius S. Christophori Niciae *della Paglia* 1616. Postea Episcopus Trid. Vide sup. pag. 226.

XXXVI. HIERONYMUS de Roccabruna primum Canonicus & Archidiaconus, Decanus autem an. 1617. Vitam hanc deseruit anno 1630. mense Septembri. Elogium quod ei texuit Marianus in suo *Trento* pag. 341. meretur heic describi ipsissimis verbis. Ait igitur Decanum hunc fuisse *Huomo d' egregie qualità d' animo, e di corpo. Con una solida pietà, c' hebbe innata, menò vita ingenua, & essemplare; e come Decano di Duomo di Trento, che vuol dir Capo del Choro, lo resse, qual Cielo, l' Intelligenza, nè mai mancò d' assistervi indefesso. Lo fe conoscere singolarmente l' anno 1630. all' hor che per il morbo contagioso quasi tutti ritirandosi al Suburbano, egli per non lasciar di risiedere alla Catedrale, amò meglio soccombere al ferro di morte, come seguì con gran perdita della Patria, ma vittoria per lui, che sarà perenne.* Ipsum tumulatum fuisse in avito Sepulcro, de quo sup. pag. 302. nullus dubito. Eodem anno 1630., ante diem 24. Dec., Episcopo *Carolo Emmanuele* curante, a Summo Pontifice nominatus fuit nostri *Hieronymi* Successor tam in Canonicatu, quam in Decanatu, *Joannes Todeschinus*, Protonotarius Apostolicus, & Archipresbyter Perginensis, qui tunc temporis pro eodem Tridentino Episcopo Romae versabatur: sed obsistente Capitulo, ac licet (Synchrono Vigilio de Vescovis testante) per septemdecim annos caussam suam egerit, numquam tamen sive Canonicatus, sive Decanatus pacificam possessionem adivit. Eidem Todeschino Marianus in *Trento* pag. 445. attribuit erectionem magnifici Altaris S. Jo. Baptistae in Ecclesia Parochiali S. Vigilii Randenae.

Canonici.

Paris Comes Lodroni, electus Archiepiscopus Salisburgensis anno 1619. ac defunctus an. 1653. die 15. Dec.

Jacobus Antonius Rigottus Protonotarius Apostolicus 1621. & 1622. Praedicto an. 1621. fuit Conclavista *Caroli Madrutii* Cardinalis S. Caesarei, & Episcopi Trid. in electione Papae Gregorii XV.

Nicolaus Baro de Wolckenstain Canonicus Salisburgensis ab an. 1604. Episcopus Chiemensis electus an. 1619. Canonicus Trid. ad an. 1622. Item Canonicus Ratisponensis, vita functus an. 1624.

Joannes Paulus Ciurlettus, natus die 5. Jan. 1580., Episcopus Bibliensis & Suffraganeus Salisburgensis 1619. Can. Trid. 1622. Postea Poenitentiarius. Hic an. 1623. a fundamentis excitavit sat venustum Sacel-

Sacellum Beatae Virginis Lauretanae in loco dicto *la Grotta* supra Villazanum, ut lapis inibi erectus, atque a me visus, testatur. Ipsum laudat Marianus in *Trento* pag. 341. tamquam *Soggetto per ingegno, lettere, e prudenza commendatissimo; e che co 'l nome d' esser in fatti un profondo Teologo, tenne posto di sublime virtù, e rettitudine intiera*. Vitae suae finem imposuit an. 1640. die 30. Martii, sepulturamque accepit Tridenti prope januam orientalem Ecclesiae Majoris, ubi niger lapis in pariete proximo exstat, cum Elogio hujusmodi:

D. O. M.
Perillustri & R̃mo Domino
Joanni Paulo Ciurletto
Episcopo Biblienfi, Suffraganeo
& Visitatori Gen̄li Salisburgensi,
hujus Ecclesiae Canonico, moribus, scientia, & in arduis
negotiis experientia probatissimo &c.
Fratres maestiss. benemerito
P. F
Obiit die 30. Martii Anno
M. DC. XXXX.
Vixit aetatis suae annos LX.
Men. duos, dies vero XXV.

Ernestus Trappius Baro Biseni & Caldonatii *1622.* & *1629*. Ejus pariter cum laude mentionem facit Marianus ibidem adseverans, ipsum se se praebuisse *Cavaglier religiosissimo, e di segnalato essempio sì per la morigeratezza del vivere, come per il zelo c' hebbe della Chiesa. Fu quello, che per sostener le ragioni e privilegi del Trentino Capitolo si mostrò efficace e intrepido nella Corte di Roma appresso il Sommo Pontefice Urbano VIII. Che se per tale causa incontrò duri colpi, se ne schermì a forza di schiettezza d' animo, et innocenza*. Mortalitatem jam expleverat an. *1661.*, reperi enim ad hunc annum memoratos *heredes D. Canonici a Trapp*.

Horatius Guarischettus J. U. D. & Eques Auratus 1622. & 1630.

Constantinus Comes de Liechtenstain, & Baro Castri Cornu 1622. Vide infra ad an *1662*.

Antonius Crosina, seu Crosinus, natus Tridenti an. 1581. die 10. Maji, post studia in Dilingano Seminario, deindeque in Collegio Germanico & Hungarico Romae absoluta, Canonicis Brixinensibus an. 1610. accen-

accenfetur. Poftea evafit Generalis in fpiritualibus Vicarius, tum Decanus, ac deinde Summus Praepofitus ejufdem Ecclefiae. Anno autem 1625. Epifcopus Bellinenfis, Suffraganeus Brixinenfis, & Canonicus Tridentinus. Anno 1647. die 16. Julii uno omnium Suffragio, nulloque praemiffo Scrutinio, proclamatus Epifcopus Princepfque Brixinenfis. Anno 1655. Canonicatum Tridentinum in favorem alterius *Antonii Crofinae* refignavit; ac tandem quievit in Domino die 13. Maji an. 1663. De quo coaevus Marianus in *Trento* pag 341. inquit: *Antonio Crocino co 'l pregio d' una folida virtù, e vita effemplare di Canonico, che fu della Catedrale di Trento, paſsò ad effer Vefcovo, e Prencipe di Brefcianon: huomo veramente d' antica probità, e molto benemerito della fua Chiefa.* Addit Anonymus Fuithenianus, five Auctor Elogii, quod reperi inter MSS. Collectanea Paridis Fuithenii Tridentini: *Fuit infignis Benefactor Pauperum & Hofpitalium, potiffimus reftaurator fuae Ecclefiae, pro cujus Juribus defendendis ftrenue decertavit. Diverfas fundavit Congregationes. Praemia infuper, quae quot annis diftribuuntur Studiofis in Hallenfi Gymnafio. Plura erexit Beneficia tum Brixinae, tum Balbidi* (Judicariarum vico) *in Ecclefia S. Juftinae. Plurima fcripfit de fuae Ecclefiae Juribus, quae adhuc manu fcripta in Archivio Brixinenfi affervantur, & in veneratione habentur. Scripfit etiam inter caetera de Vita S. Caffiani. Poft obitum vigilantiffimi & integerrimi Principis elogium emeruit.* Tridenti apud Illuft. Virum Simonem Felicem Carolum L. B. de Crofina vidi antiquam ejufdem Praefulis Effigiem, cum Epigraphe, in qua dubio procul aliter ac retuli ex laudato Anonymo dies natalis, diefque ac menfis emortualis notantur. Neque enim ofcitanter eam defcripfi, cum vel poft repertum Fuithenianum Elogium ipfam adierim, atque attente perlegerim. Hujus tenoris eft:

Antonius Crofinus
natus 20. *Maji* 1581. *Decanus*
& Canonicus Ecclefiae Brixinenfis.
An. 1620. *Orator Romam miffus ad*
Paulum V. a Sereniffimo Archiduce Carolo.
An. 1625. *factus Epifcopus Bellinenfis*
& Canonicus Tridentinus. 16. *Julii* 1647.
electus in Epifcopum, & S. R. I.
Principem Brixinenfem.
Obiit 14. *Martii* 1663.

Jaco-

Jacobus Migatius Doctor, Canonicus Brixinensis 1611. Canonicus item & Consiliarius Trid. 1626.

Joannes Franciscus Gentilottus, Joannis Benedicti, de quo supra pag. 251., Propatruus, Praepositus Infulatus in Wolchenmarch, & Archidiaconus Carinthiae 1622., fit Canonicus Trid. an. 1631. Fuit Consiliarius, ac Visitator Generalis Archiepiscopi Salisburgensis, virque Mariano teste in *Trento* pag. 70. *d'antica probità, e virtù*; ideoque in suo gentilitio Stemmate praeferens illud:

Malo mori, quam foedari.

Testamentum suum condidit an. 1622. cui postea Codicillos addidit. Vitam hanc deseruit anno 1640. Calendis Martii, humatusque jacet Tridenti in media Ecclesiae Cathedralis abside versus Chorum hoc decoratus Coenotaphio:

IO. FRAN. GENTILOTTUS J. U. D.
PRÆPOSIT. IN VOLCHENMARCH
AC ARCHIDIAC. CARINTHIÆ
CAN.S PATRIZIUS TRIDENTI
ANN. LXVI. OBIIT KAL. MARTII

VIr sane MortI neganDVs
sI post aCerba fVnera
VIrtVs non VIVeret.

Raymundus Comes a Turri die 19. Dec. 1631. obtinet Canonicatum, quem eodem die resignavit *Mathias Comes a Turri*. Vide paulo infra.

Liduinus Piccolomineus, Comes, Canonicis Tridentinis adscribitur an. 1632. intercedente morte Canonici *Hippolyti a Wolckenstein*. De eo in Catal. Praepos.

Nicolaus Comes Lodroni, dispensatus a Papa super aetate, in defuncti Comitis *Raymundi a Turri* locum subrogatur an. 1634. Anno mox sequenti 1635. auctus fuit Canonicatu Salisburgensi. Denatus an. 1637.

Hieronymus Comes a Wolckenstain Canon. & Consiliarius 1638. Archidiaconus ab an. 1639. Obiit an. 1652. suorum bonorum instituta herede Ecclesia.

Josephus Gelphus, seu Ghelfus, Can. & Consiliarius 1638. Scholasticus 1639. demum Decanus.

Christophorus Richardus Comes de Thunn, qui resignavit an. 1641. nepoti suo mox sequenti.

Si-

Sigismundus Alphonsus Comes de Thunn fit Canonicus an. 1641., cumque esset quoque Canonicus Brixinensis, obtinuit Archidiaconatum Trid. an. 1652. die 5. Aug., quem dimisit an. 1663., quo electus fuit Episcopus ac Princeps Brixinensis. Tandem Episcopus etiam Tridentinus. Vide supra pag. 241.

Lucas Maccanius S. T. D. Vicarius Generalis 1630. & 1641. Canonicus ab eodem anno 1641.

XXXVII. JOSEPHUS Gelphus primum Canonicus, Consiliarius, & Scholasticus, dignitate Decanali auctus an. 1646. Eidem, totique Capitulo Tridenti an. 1662. Patriarcha Aquilejensis binis Epistolis significavit obitum Episcoporum Tergestini, ac Polensis. Vivebat adhuc an. 1669. Fr. Bonaventura Conorus Hibernus in Bulsanensi Franciscanorum Coenobio S. T. L. Generalis & Professor an. 1660. die 19. Martii huic Decano inscripsit suum *Elenchum Encomiorum de Joanne Scoto*, cumque appellavit nedum *Ecclesiae Cathedralis Tridentinae meritissimum Decanum*, sed etiam *Imperialis Principatus Tridentini* (Sede vacante) *Administratorem prudentissimum*, *virum sanguine praenobilem*, *&* *meritis nobilissimum*. In eo insuper commendavit *Litteraturae sapientiam*, *vitae innocentiam*, *fidelitatis erga Principes praestantiam*, *singularem erga Religionem Seraphicam benevolentiam*, *specialem & quotidianam in Provinciam Tridentinam S. Vigilii beneficentiam*, *charitatis abundantiam &c.*

Canonici.

Dominicus Gianettinus 1646. Devixit an. 1647.

Balthassar Vintler a Plotsch, qui an. 1646. resignavit *Wilhelmo* sequenti.

Wilhelmus Vintler a Plotsch 1646. & 1665., quo anno erat insuper Canonicus & Scholasticus Brixinensis.

Bernardinus Malanottus Canonicis adjungitur anno 1646. Erat Senior an. 1677. Testamentum suum condidit an. 1689., quo etiam universae carnis viam ingressus est, humatusque non longe a *Jo. Jacobo Malanotto*, de quo supra pag. 304., cum Coenotaphio nunc frequentissima supergredientium conculcatione imminuto. Distinguitur tamen a memorato *Bernardino* Jacobi fratre.

Franciscus de Albertis an. 1647. obtinuit Canonicatum per obitum *Dominici Gianettini* vacantem, eodemque tempore fuit quoque Scholasticus renunciatus. Anno 1670. Archidiaconus. Ipsum reperi Vicarium in spiritualibus Generalem ab an. 1644. usque ad an. 1654. Tandem evasit Episcopus Trid. Vide supra pag. 243.

Franciscus Comes Lodroni Episcopus Gurcensis, resignat Can. an. 1650. moriturque Tridenti an. 1652.

Jo. Baptista Comes Lodroni obtinet Canonicatum, quem *Franciscus* resignavit, an. 1650. Fuit Salisburgensis Canonicus ab an. 1638. Decanus ab an. 1670. & Praepositus ab an. 1675. usque ad an. 1681. quo obiit.

Antonius Crosina alter, fit Canonicus an. 1655. In vivis erat an. 1677. tuncque *Baro* appellabatur.

Sigismundus Franciscus Archidux Austriae 1658. Plura de eo supra pag. 233. & infra in Catal. Praep.

Josephus Victorius de Albertis Can. & Vicarius Generalis 1658. Archidiaconus 1663. Decanus 1670., tandemque Episcopus Trid. Vide supra pag. 247. & seqq., ubi addendum ab eo consecratum fuisse an. 1693. die Dom. 3. Maji Sacellum SS. Crucifixi Ecclesiae Cathedrali recens adjunctum, eodemque die, hora 2. noctis, illuc Crucifixum ipsum fuisse translatum.

Franciscus Bertoldus substituitur defuncto *Constantino Comiti de Liechtenstain* an. 1662. Erat Plebanus Coredi an. 1671. necdumque vitam cum morte commutaverat an. 1677.

Carolus Emmanuel Voltolinus 1663. Archidiaconus, demumque Decanus.

Joannes Baptista *junior* Comes Lodroni 1665. Capituli Senior ab an. 1689. Defunctus anno 1700. die 25. Dec. tumulum accepit in nostra hac S. Bernardini Ecclesia, honestatusque fuit lapideo simulacro cum Inscriptione:

D. O. M.
Jo. Baptistae Comiti Lodroni
& Castri Romani Laterano
Canonico Seniori Tridenti.
Obiit XXV. Decembris MDCC.
aetatis LXX.
Carolus Ferdinandus Agnatus
Praepositus & Haeres moerens
MDCCXXI.

P.

Jaco-

Jacobus Roboretus de Freiberg 1665. Summus Scholasticus 1691. atque etiam Archidiaconus 1697. Ad an. 1700. non pervenit.

Joannes Michaël Comes a Spaur & Valer 1665. tandem Episcopus Trid. Vide supra pag. 249. Heic autem nota circa diem, & annum nativitatis, nos reperisse quoque ortum die 13. Julii 1639. Attamen annus 1638. supra indicatus, ad annum 88. emortualem magis accedit. Adde insuper plenis votis ejus electionem fuisse peractam, eodemque anno 1696. die 3. Junii possessionem iniisse, ac die 9. praedicti mensis consecratum fuisse a Suffraganeo Sinnerspergio, adsistentibus Praepositis Infulatis Monasteriorum S. Michaëlis ad Athesim, & S. Mariae in Gries. Obiit an. 1725. die 22. Apr. circa horam 7. matutinam.

Jacobus Abrahamus Kraus 1665.

Ernestus Adalbertus Comes ab Harrach Cardinalis & Archiepiscopus Pragensis, nec non Canonicus Trid. 1665. Hoc ipso anno postulatus Episcopus Trid. Recolantur dicta pag. 235. & seqq.

Guidobaldus Comes de Thunn, Cardinalis, Archiepiscopus Salisburgensis, & Episcopus Ratisponensis, atque Can. Trid. Obiit an. 1668. Calendis Juniis. Vide supra pag. 241.

Fridericus Cardinalis de Hassia, Episcopus Uratislaviensis circa an. 1672. electus.

XXXVIII. JOSEPHUS VICTORIUS de Albertis, Canonicus, & Generalis in spiritualibus Vicarius ad an. 1658. Archidiaconus ab an. 1663. usque ad an. 1670. Decanus autem eodem anno post diem 5. Jan. & ante diem ult. Martii, simulque Vicarius Generalis, Prior S. Thomae Arcensis, & Vigilianae Provinciae supra memoratae Conservator, ac tandem an. 1689. die 28. Apr. Tridentinus Episcopus renunciatus. Vide supra pag. 247. Ipso Decanatum obtinente an. 1684. Capitulum Tridentinum tradidit Patribus Societatis Jesu, in Senensi urbe commorantibus, *Officulum e sacro corpore S. Vigilii Episcopi Trid. extractum*. Hujus etiam Sancti nomine Ecclesia eorumdem Patrum dedicata est.

Rudolphus Josephus Comes a Thunn 1676. & 1677. Hic cum esset quoque Canonicus Salisburgensis, & Passaviensis, promotus fuit ad Seccoviensem Episcopatum an. 1690., quem morte abreptus reliquit an. 1702.

Antonius Comes Piccolomineus fit Canonicus & Praepositus 1676. De quo in sequenti Catalogo Praepositorum.

Antonius Barbi de Grumesio 1677.

Hieronymus Maximilianus Comes Lodroni 1677.

Franciscus Comes de Pötting in prima residentia an. 1678.

Wolfgangus Princeps Neoburgi 1679. Notatum reperi, actum fuisse de hoc Canonico in Coadjutorem Tridentini Episcopi constituendo.

Antonius Dominicus Comes de Wolckenstain ab an. 1680., Summus Scholasticus 1700., Consiliarius 1723., tandem an. 1725. Epus Trid.

Carolus Baro, dein Comes de Castrobarco, Salisburgensis Canonicus ab an. 1644. Praepositus a die 22. Febr. 1681. Canonicus Tridentinus ad an. 1684., quo sub 17. Nov. Cathedrali Ecclesiae Trid. dono dedit sex Candelabra argentea, cum Cruce: anno autem 1687. die 4. Julii quatuor Vasa pariter argentea. Ad Dominum migravit an. 1689.

Franciscus Antonius Sardanea de Meanperg 1687. & 1700.

Bonaventura de Albertis Comes de Colico 1687. Obiit an. 1712. cum tunc esset quoque Prior Hospitalis Campiliensis.

XXXIX. CAROLUS EMMANUEL Voltolinus, *Ludovici* Consiliarii Aulici Tridentini filius, Canonicus ad an. 1663. Vicarius in spiritualibus Generalis Capitularis Sede vacante an. 1677., moxque Archidiaconus, ac tandem an. 1689. Decanus. Verum quemadmodum laudatus *Josephus Victorius* ad annum usque 1691. distulit Episcopatus possessionem inire; ita *Voltolinus* Decanatus. Hincque est, quod in Charta scripta die 4. Nov. praedicti anni 1691. *Archidiaconus* tantummodo nuncupetur. Quonam anno ad patres abierit, nondum inveni. Hoc unum accepi, haud diu vacasse Decanatum post ejusdem Voltolini obitum. In sacra Aede S. Michaëlis Clarissarum Virginum extra Portam Veronensem vidi, ac legi:

Carolus Emanuel Voltolinus
Decanus Tridentinus Sacrarum
Virginum piis precibus se
commendatum cupiens hoc
sibi Monumentum vivens
elegit Anno MDCCII.

Canonici.

Georgius Sigismundus de Sinnersperg 1692. De quo redibit sermo in Catalogo Suffrag.

Carolus Ferdinandus Comes Lodroni 1692. Vide Catal. Praeposit.

Franciscus Comes de Wolckenstain frater Antonii Dominici 1692. & 1700. Obierat an. 1726.

Franciscus Eustachius Franzinus 1692. Instituitur Parochus Caldariensis, *Gasparis Todae* mortui Successor, die 4. Jan. 1702., in possessionem

sionem missus die 29. ejusdem mensis, & anni. Obiisse videtur an. 1721. hoc enim anno, eadem Parochialis Ecclesia fuit collata *Josepho Antonio de Coreth*, possessionem ei dante die 29. Septembris *Hieronymo de Lebmansegg* Episcopi Tridentini Delegato.

Adulphus Augustinus Comes ab Althann 1692.

Joannes Michaël Wenceslaus Comes a Spaur & Valer 1696. dein Archidiaconus, & Suffrag. Vide seq. Catal. Suffr.

Hieronymus Comes Bucelleni, Dominus Musloni & Castri Ruth; natus Brixiae 2. Sept. 1680. Canonicatus possessionem adeptus est die 28. Nov. 1697., dein Senior 1729., Summus Scholasticus 1744. Animam exhalavit Tridenti die 17. Martii 1756. Fuit Tridentini Sodalitii *del Suffragio* nuncupati membrum atque Protector. Ejus memoriam servat Odeum Ecclesiae Cathedralis, ubi legere est:

Hieronymus Comes Bucelleni
Canonicus Senior
Sedilia cum ligneo
Odei cultu fecit 1741.

Franciscus Sigismundus Comes ab Arsio & Vasio 1700.

Constantinus Caldonatius Sacrae Theol. ac J. U. D. 1700. & 1710. Fuit Vicarius Generalis.

Joannes Baptista Comes ab Arco, Canonicus Salisburgensis ab an. 1691. Canonicus & Archidiaconus Trid. 1700. Sui desiderium cunctis fecit Salisburgi an. 1722. die ult. Dec.; cujus cadaver in patriam translatum, in Ecclesia S. Mariae Gratiarum cum Fratribus Minoribus strictioris Observantiae humatum fuit, funebrem Orationem recitante nostro P. Valentino de Mauris Perginensi. In Presbyterio ejusdem Ecclesiae vidi ejus Imaginem, cum Inscriptione hujus tenoris:

Joannes Baptista Antonius S. R. I. Comes ab Arcu,
Poene, Drenae, Spin. Rest. Castellini Dñs,
Metropolitanae Salisburg. Canonicus, Custos,
Summus Scholasticus, & Cathedralis Tridentinae
Canonicus, Archidiaconus,
Hujus Capellae Majoris aere suo Extructor
Munificus.

Obiit

Obiit Salisburgi pro immarcescibili intemeratae suae vitae fructu in coelum migraturus:
Abiit Salisburgo pro inexplebili sua pietate in sanctam Mariam Gratiarum Arci perventurus,
cum Fratribus Minoribus, quos plurimum in vita sua dilexit, etiam in morte moraturus,
in medio hujus Capellae Majoris cum eisdem requiescit in pace sepultus a die XI. mensis Januarii Anni ab Immaculatae Mariae Partu MDCCXXIII.

Christophorus Voltolinus Canonicus ante an. 1701. Obiit an. 1738. die 11. Septemb. In Parochiali Ecclesia Tridentina SS. Petri & Pauli, inque S. Hieronymi Sacello ad ingredientium laevam sito, inspexi lapidem cum Elogio sequenti:

D. O. M.
Viro cordato & gravi
Christophoro Voltolino
Patricio Tridentino
Ecclesiae Cathedralis
Presb. Canonico
Qui sobrie vixit annos LXXIX.
menses X. dies XXVIII.
Pie obiit III. Idus Septembris
M. D. CC. XXXVIII.
In dicta Cathedrali sepulto
Hieronymus Cajetanus
Et Ludovicus Christophorus
Fratrum Filii
Haeredes ab ipso instituti
Hoc grati animi monimentum
Poss.

Dominicus Antonius Comes de Thunn Can. 1701., ad Episcopatum Trid. promotus an. 1730.

Rodulphus Fortunatus Comes Troyer, Oenipontanus, natus 13. Feb. 1681. Canonicus a die (acceptae scilicet possessionis, id quod semel notatum volo) 30. Sept. 1701. Obiit an. 1746. Fuit simul Ecclesiae Collegiatae Bulsanensis Praepositus an. 1723. Infulatus.

Caro-

Carolus Constantius Comes a Trapp 1708. Postea Decanus.

Franciscus Philippus Sigismundus Baro de Balthassaris in Levvenfeld, Flemmensis, natus 28. Maji 1664. Canonicus a die 28. Nov. 1709. Vivebat an. 1748. Fuit quoque Decanus Caes. Collegiatae Inticensis SS. Candidi & Corbiniani.

Ernestus Baro ab Halden 1709.

XL. CAROLUS CONSTANTIUS Comes de Trapp, Baro Biseni, & Caldonatii, Dñs in Churburg, & Camp, Oenipontanus, primum Canonicus, tum Decanus electus an. 1716. Ipsi primum *Benedictus XIII.* an. 1727. indulsit Habitus Praelatitii, & Canonicis Cappae Magnae usum. Devixit an. 1741. die 15. Novembris, ejusque ossa in sepulcro *Familiae Comitum de Trapp* in Ecclesia Cathedrali paulo supra SS. Crucifixi Sacellum sito, condita sunt, albo, aurato que lapide ibidem erecto, qui ejusdem merita recenset in hunc modum:

D. O. M.
Carolo Constantio Trappio
Insignis hujus Cathed. Canonico ac Decano
Pio, Justo, Sapienti,
Qui variis muneribus domi forisque acriter expletis,
Successorum Aedibus, magnis sumptibus
splendidius a fundamentis erectis,
de Collegio suo, omnique ordine optime meritus
Annum agens LXI. diem obiit
XVII. Kal. Decembres MDCCXLI.
Gratitudinis ergo moestissimi Frater & Nepotes PP.

In Atrio quoque Palatii Decanalis vidi alium lapidem ejusdem Decani memoriam his verbis recolentem:

D. O. M.
Carolo Comiti Trappio
Decano Tridentino
ob hanc Domum
sibi & successoribus suis
multo aere fabricatam
Leopoldus Baro Pilatus
Decanus Tridentinus
pro auspicato ingressu gratus
H. L. P.

Cano-

Canonici.

Josephus Andreas Bartholomaeus Eques de Malfattis, Dñs in Thiesfeld, Tridentinus, natus 20. Dec. 1690. Canonicus a die 20. Martii 1716. Denatus an. 1756.

Franciscus de Martinis Tridentinus, SS. Th. Doctor, Canonicis adnumeratus an. 1717. Erat Vicarius Generalis ad annum 1729. & 1734.

Joannes Baptista Lorengo de Sulzperg, Parochus Medio-Coronae, inter Canonicos relatus est an. 1718. Vivebat etiam an. 1730.

Joannes Gasparus Comes a Wolckenstain & Trosburg ab an. 1721. Summus Scolast. 1726. Vide Catal. Suffr.

Joannes Michaël Antonius Hieronymus Comes a Spaur, & Valer, natus in Castro Valerio 2. Jan. 1699. Canonicus a die 25. Apr. 1721. Vivit.

Joannes Benedictus Gentilottus ab Engelsbrunn anno 1725. electus Episcopus Trid. Vide supra pag. 251.

Leopoldus Ernestus Mauritius Josephus Baro ac Dñs in Firmian, Canonicus a die 25. Junii 1723. Deinde Praepositus &c. Vide *Seriem Antist. Trid.* pag. 260.

Franciscus Antonius Eques Ceschi de S. Cruce, Canonicus a die 5. Nov. 1723. Nunc Decanus.

Franciscus Felix Comes de Albertis de Enno, Can. a die 19. Maji 1724. Tandem Episcopus. Vide supra pag. 262.

Leopoldus Baro Pilatus de Tassul, Can. a die 20. Dec. 1725. Tum Decanus.

Bartholomaeus Antonius Passius, Can. a die 5. Julii 1726. Postea Decanus, Praepositus, ac Suffraganeus.

Carolus Josephus Sebastianus Comes de Trapp, Baro Biseni & Caldonatii, natus Oeniponti 20. Jan. 1713. Canonicus a die 3. Nov. 1730. Vivit Summus Scholasticus a die 12. Apr. 1756.

Jo. Josephus Gentilottus ab Engelsbrunn, frater Jo. Benedicti, 1734. & 1739.

Petrus Xaverius Eques Trentinius, natus Tridenti 3. Apr. 1686. Canonicus a die 25. Junii 1735. Canonicus item ac Decanus Regiae Collegiatae Ecclesiae Brunensis SS. Petri & Pauli. Canonicatum Tridentinum an 1750. resignavit in favorem sui ex sorore nepotis, nunc Celsissimi Principis & Episcopi nostri, eodemque anno Tridenti ex hac vita migravit.

Petrus Michaël Vigilius Joannes Baptista Victor Comes de Thunn, & He-

& Hochenstein, nepos Episcopi Dominici Antonii, natus Tridenti 13. Dec. 1724. Can. a die 9. Octob. 1739. Vivit Archidiaconus Trid. atque Canonicus Salisburgensis.

Josephus Joannes Michaël Comes Lodroni, Dñs Castrorum Romani, S. Barbarae, S. Joannis, Castrinovi, & Castellani, natus Tridenti 22. Jan. 1708. Canonicus a die 22. Oct. 1739. Vivit.

XLI. BARTHOLOMAEUS ANTONIUS Passius, natus Pressani die 26. Martii 1693., Sacrorum Canonum Doctor, olim Romae Carolo VI. Rom. Imp. a Secretis, primum Canonicus, dein an. 1741. Decanus, cui Dignitati renunciavit anno 1748. Praepositurali adsumpta die 18. Dec. Quid tempore hujus Decani indulserit Benedictus PP. XIV. *super Decanatu, ac decem & octo Canonicatibus, totidemque Praebendis Ecclesiae Cathedralis Tridentinae*, palam faciet ultimum nostrae infra subjiciendae *Quindenae* Documentum.

Canonici.

Bartholomaeus Comes Bortolatius de Vattardorff & Prunnenberg, natus Tridenti 11. Martii 1710. Can. a die 4. Dec. 1741. Vivit Consiliarius Aulicus.

Christophorus Bartholomaeus Comes Migatius de Vall & Sonnenthurn, natus Tridenti 20. Octob. 1714. primum Canonicus Brixinensis, dein etiam Tridentinus a die 2. Martii 1742. Prior insuper S. Leonardi in Valle Lagarina, & S. Aegidii in Ausugana. Postea Romanae Rotae Auditor; Archiepiscopus Carthaginensis, & Coadjutor cum futura successione Archiepiscopi Mechliniensis: Sacrae Caes. Reg. Maj. Consiliarius intimus, & Legatus Plenipotentiarius apud Hispaniarum Regem: tum Episcopus Vaciensis in Hungaria, translatus ad Archiepiscopatum Viennensem an. 1757. die 19. Martii, tandemque an. 1761. die 23. Nov. S. R. E. Presbyter Cardinalis creatus. Vivit Administrator quoque Vaciensis Episcopatus, & regnantium Regio-Imperialium Majestatum Consiliarius intimus, cujus praeclara gesta & scripta celebrent posteri.

Joannes Carolus Comes de Herberstein, Baro de Neuperg, & Guttenach, natus Graecii in Stiria 7. Julii 1719., Can. a die 17. Junii 1743. Vivit Consiliarius Aulicus.

Joannes Georgius Cyriacus Comes de Recordin & Nein, natus Merani 8. Julii 1700. Can. a die 14. Maji 1745. Canonicus quoque Curiensis. Vivit.

Pantaleon Laurentius Antonius Bortius, natus Tridenti 30. Oct. 1697. Graviores, politioresque literas edoctus Salisburgi in Collegio

Mariano, & Romae, Sacerdotioque an. 1723. initiatus, delectus fuit an. 1730. Generalis in spiritualibus Pro-Vicarius, tum an. 1738. in solemnitate S. Vigilii 26. Junii Vicarius Tridenti. Anno 1742. nomine Tridentini Episcopi visitavit Limina Apostolorum, & an. 1744. universam Dioecesim Gurcensem pro illius Antistite *Josepho Maria* ex Comitibus *de Thunn* perlustravit. Anno 1746. die 9. Oct. possessionem adiit Canonicatus Tridentini. Tandem anno 1748. in nocte praecedente diem 31. Oct. spiritum suo reddidit Creatori, humatus Calendis Nov. in sepulcro Canonici Pincii, de quo supra pag. 299. Plura scripsit & prosa & versu, inter quae numerantur Dissertatio Romae ab eodem habita super Concordata Germaniae cum S. Sede: Officium proprium SS. MM. Anauniensium pro Dioecesi Tridentina: Hymni Officii B. Hemmae pro Dioecesi Gurcensi: Praeloquium & Epistola nuncupatoria, quae leguntur in editione Tridentina Praefationum ac Dissertationum Joannis Mabillonii Benedictini: Adnotationes & Additiones Catalogo Episcoporum Tridenti: Epitaphia Gentilotti supra relata pag. 256., & seq. Versus insculpti binis lapidibus domui, in qua B. Simon Tridentinus fuit martyrio coronatus adfixis: Epistolae ad Card. Quirinum, Marchionem Maffejum, Comitem Herculem Dandinum, ad praefatum Gentilottum, Thomam Minorellum O. P., Jacobum Facciolatum, aliosque literatos viros. Haec potissimum delibavimus ex ejus Vita, quam vernacula lingua scripsit eruditus vir Paris Fuithenius, nobisque D. Christophorus ejus germanus frater liberaliter communicavit, una cum sequenti Epitaphio ab eodem *Paride* concinnato:

D. O. M.
Pantaleoni Bortio
Civi & Canonico Tridentino,
Viro Hebraice, Graece, Latine docto,
Jurisperitorum Eruditissimo
& Eruditissimorum Jurisperito
Quem
Vicarii officio . . . annos rite perfunctum;
Dum Ecclesiasticae Disciplinae Instauratorem
Boni omnes expectant
Immatura morte praereptum dolent.
Laurentius Bortius Frater
cum lacrymis P.
Obiit die natalis sui . . . . Vixit annos LI.

De eodem Canonico Bortio, ejusque fratre Laurentio, dictum supra pag. 261.

XLII.

XLII. LEOPOLDUS Baro Pilatus de Taſſul, Dominus in Schlegl &c. natus Viennae 22. Febr. 1705. J. U. D., Canonicus Jaurinenſis, ibidemque Praepoſitus Infulatus S. Adalberti, Canonicatus Tridentini per mortem *Joannis Benedicti Gentilotti* Electi Tridentini vacantis poſſeſſionem nactus die 20. Dec. 1725. Decanatus autem die 16. Dec. 1748. Mortalitatem depoſuit Tridenti die 25. Junii 1755. Scripſit ac edidit Tridenti an. 1739. *Origines Juris Pontificii ad Carolum Sextum Imp. Aug.* in fol., & anno 1754. *La Santità ed il Martirio del beato Adelpreto Veſcovo di Trento Vindicati*, in 4.

Canonici.

Joſephus Thadaeus Franciſcus Joannes Nepomucenus Comes de Welſperg, Dominus in Primer & Langenſtein, natus Oeniponti 18. Oct. 1732. Can. a die 31. Jan. 1749. Vivit.

Franciſcus Antonius Philippus Eques de Albertis de Poja, natus Tridenti 2. Aug. 1714. Canonicus a die 18. Dec. 1748., quem nihilominus praecedit Welſpergius.

Chriſtophorus Sizzo, natus Tridenti 19. Aug. 1706. Can. a die 10. Julii 1750. Nunc Epiſcopus Trid.

Gervaſius Franciſcus Felix Comes de Albertis de Enno, natus Tridenti 29. Aug. 1734. Can. a die 12. Nov. 1751. Reſignavit ſequenti fratri ſuo Vincentio.

Franciſcus Felix Comes de Albertis de Enno, frater Gervaſii, natus Tridenti 26. Oct. 1735. Can. a die 12. Julii 1755. Vivit.

XLIII. FRANCISCUS ANTONIUS Eques Ceſchi de S. Cruce, a Burgo Vallis Auſuganae, natus 25. Jan. 1694. Canonicus, tum Decanus a die 30. Jan. 1756. Vivit.

Canonici.

Joannes Benedictus Baro Gentilottus ab Engelsbrunn, Tridentinus, natus Oeniponti 11. Febr. 1734. Can. a die 12. Aprilis 1756. Vivit.

Vincentius Comes de Albertis de Enno, natus Tridenti 6. Dec. 1741. Can. a die 17. Apr. 1756. Vivit.

Philippus Joſephus Michaël Comes de Thunn, & Hochenſtein, frater Archidiaconi, natus Tridenti 29. Septemb. 1739. Can. a die 17. Maji 1756. Vivit.

Sigismundus Antonius Eques Mancius, natus Tridenti 18. Julii 1734. Can. a die 10. Dec. 1756. Coadjutor Decanalis cum futura ſucceſſione a die 25. Maji 1764. Vivit.

Hieronymus Brochettus, natus Tenni 15. Junii 1727. Prior Boisfonienfis in Comitatu Avinionenfi, Can. a die 23. Sept. 1763. ac Vicarius Generalis. Cui, omnibusque aliis viventibus fausta quaeque precamur.

APPENDIX FUITHENIANA

ID EST

SERIES CANONICORUM EJUSDEM ECCLESIAE

A

PARIDE FUITHENIO PRESBYTERO TRIDENTINO DIGESTA.

1532. D. Joannes de Thifis Clericus Tridentinus fucceffit defuncto D. *Stephano* Nonder (*Harder*) ad nominationem Domini Epifcopi Cardinalis Clefii.

1535. D. Jacobus de Baniffis fucceffit defuncto D. *Jacobo de Baniffis* Seniori, & Decano per collationem Pontificis Clementis VII. de anno 1529. Bononiae.

1535. D. Chriftophorus Madruzzi fucceffit in Decanatu defuncto D. *Jacobo de Baniffis* Seniori, tamquam provifus a Domino Cardinali Clefio, attenta refignatione jurium, & quafi poffeffionis facta per praedictum D. *Jacobum de Baniffis* Juniorem.

1536. D. Romulus Pincius Mantuanus, Secretarius Domini Cardinalis Clefii, fucceffit defuncto D. *Joanni May*, ad nominationem dicti D. Cardinalis.

1539. D. Joannes Obernburger Clericus Moguntinus fucceffit defuncto D. *Nicolao de Neilhaus*, ad nominationem Imperatoris Caroli V., cum effet illius Secretarius, vigore Indulti eidem conceffi de anno 1532. a Clemente VII.

1539. D. Oftvvaldus Enftnoffer (*Entftraffer*) Clericus Tridentinus fucceffit D. *Ruperto Mofcban* Decano & Canonico Patavienfi, ac Canonico Tridentino &c. per provifionem Capituli.

1551. D. Hieronymus de Roccabruna fucceffit per refignationem D. *Joannis Obernburger*; & per collationem Nuncii & Legati a Latere per Germaniam.

1552. D. Francifcus de Cazzuffis Doctor, & Clericus Tridentinus fucceffit D. *Francifco Cazzuffi* ejus Patruo per provifionem Domini Cardinalis Madruzzii.

1552.

1552. D. Nicolaus Fieger successit defuncto D. *Thomae Marschoner* per collationem sibi factam a Card. Madruzzio.

1554. D. Julius de Gallis Tridentinus successit defuncto D. *Ludovico Balzani* ad primarias preces Regales &c.

1558. D. Petrus de Brochis defunctus est, eique successit D. *Antonius Grotta* Doctor provisus a Domino Card. Madruzzio.

1558. D. Christophorus Baro a Spaur successit defuncto D. *Erasmo Strembergher* ad collationem praefati Domini Cardinalis.

1559. D. Adamus de Castro Arsii successit defuncto D. *Martino de Neideck* ad collationem praefati Domini Cardinalis.

1560. D. Aliprandus de Castro Madruzzi successit defuncto D. *Gaspari de Josiis* ad collationem Capituli.

1561. D. Henricus Khuen de Aura Canonicus Brixinensis successit alteri D. *Khuen* electo Archiepiscopo Salisburgensi, per hujus resignationem in manibus Capituli, & per istius collationem.

1561. D. Franciscus Alexandrinus Doctor successit Domino Episcopo Tergestino Cored (*Bettae*) per collationem Domini Card. Christophori.

1561. D. Sigismundus Comes ab Arcu successit defuncto Domino Comiti *Francisco ab Arcu* ad collationem Capituli.

1561. D. Paulus Comes ab Arcu successit per resignationem Domini Card. *Ludovici Madrucii* ad collationem Domini Card. Christophori.

1563. D. Joannes Jacobus Malanotti Doctor successit defuncto D. *Paulo Comiti ab Arcu* ad collationem Domini Cardinalis Episcopi Tridentini, cujus erat Vicarius Generalis.

1564. D. Sylvius a Prato successit defuncto D. *Matthiae Clesio* ad collationem D. Christophori Cardinalis Madrucii.

1566. D. Sigismundus Baro a Wolckenstain Brixinensis successit D. *Antonio de Piccolis* ad collationem Domini Card. Episcopi Tridentini.

1569. D. Ernestus Baro a Wolckenstain tamquam in Canonicatu Germanico successit D. *Francisco Alexandrino* per collationem Capituli. Huic collationi intervenerunt inter alios
D. Gabriel Bassus
D. Enghelhardus de Paymond, & Paysperg, & } Canonici.
D. Joannes Alexandrini

1580. D. Antonius de Thono successit per resignationem ad manus Capituli factam a D. *Sigismundo* Barone *a Wolckenstain*.

1581. D. Joannes Melchiori successit in locum Domini Canonici *Malanotti* defuncti vigore primarum precum Imperatoris.

1584. D. Cardinalis Andreas ab Austria successit per resignationem ad manus Capituli factam a D. *Leopoldo de Trautmansdorf*. Inter alios collationi Capitulari intervenerunt D. Pa-

1602. D. Alphonsus Comes de Lodron successit defuncto D. *Nicolao Fieger* ad collationem Sanctae Sedis.

1603. D. Didacus Khuen successit defuncto D. *Georgio Sigismundo Khuen* ad collationem Capituli.

1603. D. Nicolaus a Mohrnberg de Caldario successit defuncto D. *Antonio de Thono* in mense Capitulari.

1603. D. Matthias Comes a Turri successit defuncto in Curia Domino Cardinali *Andreae ab Austria*, ad praesentationem Serenissimi Tyrolis Comitis, & Sanctae Sedis provisionem intuitu Praepositurae.

1606. D. Carolus Archidux Austriae successit in Canonicatu defuncto D. *Aliprando Madruzzi* per collationem Capituli.

1606. D. Ernestus Baro a Wolckenstain successit eidem in Decanatu per collationem Sanctae Sedis.

1608. D. Philippus Baro de Welsperg successit defuncto D. *Adamo de Arsio* per collationem Domini Cardinalis Caroli Madrucii.

1608. D. Paris Comes Lodroni successit per resignationem ad manus Sanctissimi factam a D. *Alphonso* Comite *Lodroni*.

1610. D. Petrus Belli successit defuncto D. *Sylvio a Prato* per collationem D. Cardinalis Caroli Madrucii.

1613. D. Gulielmus Baro de Welsperg successit defuncto D. *Philippo* Baroni de *Welsperg* per collationem ejusdem D. Cardinalis.

1616. D. Carolus Emmanuel Madruzzi attenta dispensatione Summi Pontificis super quocumque defectu, specialiter cum ejus Mater non esset Germana, successit D. *Ernesto* Baroni de *Wolckenstain* per collationem Capituli.

1616. D. Constantinus Comes a Liechtenstain successit per resignationem ad manus Sanctissimi, ejusque collationem D. *Gulielmo* Baroni de *Welsperg*.

1617. D. Jo. Paulus Ciurletti Tridentinus successit defuncto D. *Beltramo Pezzeno* ad provisionem D. Caroli Cardinalis Madrucii, cum onere publicae Lecturae, fuitque Episcopus Bibliensis (in partibus)

1617. D. Hieronymus Roccabruna successit in Decanatu D. *Ernesto* Baroni *de Wolckenstain* ad collationem Sanctae Sedis.

1618. D. Constantinus Comes a Liechtenstain in Schenna successit per resignationem ad manus Capituli, ejusque collationem D. *Nicolao de Morhnberg*.

1618. D. Georgius Bartholomaeus ab Andrian successit defuncto D. *Joanni Udalrico* Baroni *a Spaur* ad collationem D. Card. Madrucii.

1619. D. Jacobus Antonius Rigotti de Murio dispensatus, sed contradictus praecipue ab *Ernesto Trappio* Seniore, successit defuncto D.

Joan-

Joanni Baptistae a Coredo per provisionem Capituli.
1621. D. Vitus Baro a Wolckenstain per resignationem ad manus Sanctissimi factam, ejusque collationem successit D. *Paridi* Comiti de *Lodrono*.
1623. D. Sebastianus Comes Lodroni Precista Imperatoris Ferdinandi II. successit D. *Carolo Emmanueli Madrucio* electo in Coadjutorem, per collationem Sanctae Sedis.
1623. D. Jacobus Migazzi Civis Tridentinus successit defuncto D. *Jacobo Antonio Rigotti* ad collationem D. Cardinalis Madrucii.
1624. D. Emeramus Notthaft in Werenberg, Precista Imperatoris Matthiae, successit D. *Nicolao* Baroni *a Wolckenstain*.
1625. D. Christophorus Riccardus de Thono successit defuncto D. *Carolo Archiduci Austriae* per collationem Capituli.
1627. D. Hieronymus Baro de Wolckenstain successit defuncto D. *Vito* Baroni *de Wolckenstain* ad collationem Sanctae Sedis.
1630. D. Joannes Todeschini successit defuncto D. *Hieronymo a Roccabruna* per collationem Sanctae Sedis.
1631. D. Franciscus Gentilotti successit defuncto D. *Petro Belli* Episcopo Hieropolitano ad collationem Capituli.
1631. D. Balthassar Vintler successit defuncto D. *Matthiae Stetner* ad collationem Capituli.
1631. D. Franciscus Comes Lodroni successit per resignationem ad manus Pontificis Urbani VIII. ejusque collationem D. *Constantino* Comiti *a Liechtenstain*.
1631 D. Raymundus Phoebus a Turri successit per resignationem ad manus Capituli, ejusque collationem, D. *Matthiae* Comiti *a Turri*.
1632. D. Franciscus Vigilius Baro a Spaur successit defuncto D. *Emeramo Notthaft* ad provisionem Capituli.
1632. D. Lidvvinus Comes Piccolomini dispensatus a Sancta Sede, utpote Senensis, & ab eadem provisus, successit D. *Hippolito* Baroni *de Wolckenstain*.
1634. D. Nicolaus Comes de Lodrono successit defuncto D. *Raymundo Phœbo* Comiti *a Turri*, ad collationem Sanctae Sedis, a qua fuit dispensatus super defectu aetatis.
1635. D. Josephus Ghelf successit D. *Jacobo Migazzi* defuncto per collationem Capitularem.
1636. D. Joannes Sigismundus Comes a Wolckenstain successit defuncto D. *Georgio Bartholomaeo ab Andrian* ad collationem Capituli.
1637. D. Joannes Baptista Comes Lodroni successit defuncto D. *Nicolao* Comiti *Lodroni* ad collationem Sanctae Sedis.

1637.

1637. D. Sigismundus Alphonsus Comes de Thunn successit per resignationem in manibus Sanctissimi D. *Christophoro Riccardo de Thono*, illiusque collationem.

1640. D. Lucas Maccani successit defuncto D. *Francisco Gentilotti* ad collationem sanctae Sedis.

1640. D. Dominicus Gianettini successit defuncto D. *Joanni Paulo Ciurletti* Episcopo Bibliensi ad collationem D. Cardinalis Ginetti Legati a Latere per Germaniam.

1643. D. Bernardinus Malanotti successit D. *Horatio Guarascbetti* defuncto per collationem Summi Pontificis.

1643. D. Gulielmus Baro de Kollovvrat (*Bohemus*) Precista Imperatoris Ferdinandi, successit defuncto D. *Sebastiano* Comiti *Lodrono* ad collationem Capituli.

1644. D. Sigismundus Archidux Austriae successit defuncto D. *Sigismundo* Comiti *de Wolckenstain* ad collationem Capituli.

1644. D. Carolus Pompeati successit defuncto D. *Lucae Maccani* ad collationem Capituli.

1645. D. Christophorus Peutinger Augustanus, S. Rotae Romanae Auditor, successit D. *Francisco Vigilio de Spaur*, assumpto ad Episcopatum Chiemensem, ad collationem Sanctae Sedis.

1646. D. Josephus Ghelf successit in Decanatu D. *Joanni Todeschino* in vim permutationis a Sancta Sede Apostolica approbatae.

1647. D. Franciscus Thomas Visintainer successit defuncto D. *Joanni Todeschino*, in vim Apostolicae collationis.

1647. D. Guidobaldus Comes a Thunn successit defuncto D. *Didaco Khuen* in vim Capitularis provisionis.

1647. D. Franciscus de Albertis Civis Tridenti successit D. *Dominico Gianettini* defuncto, vigore Apostolicae collationis.

1647. D. Gulielmus Vintler successit per resignationem ad manus Summi Pontificis factam a D. *Balthassare Vintler*, & illius collationem.

1650. D. Joannes Baptista Comes Lodroni successit per resignationem D. *Francisci* Comitis *Lodroni* Episcopi & Principis Gurcensis ad manus Sanctissimi, ejusque collationem.

1652. D. Cardinalis ab Harrach Archiepiscopus Pragensis successit D. *Hieronymo* Comiti *a Wolckenstain* defuncto, per collationem Capituli.

1655. D. Cardinalis Fridericus ab Hassia successit per resignationem ad manus Sanctissimi factam a D. *Christophoro Peutinger*, illiusque collationem.

1656. D. Joseph Victorius de Albertis successit defuncto D. *Carolo Pompeati* per collationem Capituli.

1660. D. Jacobus Roveretti Civis Tridenti successit defuncto D. *Francisco Thomae Visintainer* ad collationem Sanctae Sedis.

1662. D. Joannes Michaël Comes a Spaur successit defuncto D. *Ernesto* Baroni *Trappio* per collationem Summi Pontificis.

1662. D. Franciscus Bertholdus Parochus Coredi, qui se asserebat ex Civitate Tridentina oriundum, successit D. *Constantino* Comiti *a Liechtenstain* Canonico Alemano, tametsi in Bullis Pontificiis ab eo obtentis, imo in Litteris Executoriis ad Capitulum directis, habilitas Provisi fuerit posita in conditione, & remissa ad cognitionem ipsius Capituli.

1664. D. Jacobus Adamus (*Abrahamus*) Kraus successit per resignationem ad manus Papae, & ejus collationem, D. *Ottoni Mauritio Kraus*.

1665. D. Maximilianus Ernestus Comes a Scherfenberg successit defuncto D. *Sigismundo Francisco Archiduci Austriae* per collationem Capituli.

1666. D. Guidobaldus Comes a Thunn, Archiepiscopus Salisburgensis, successit D. Cardinali *ab Harrach* assumpto ad Episcopatum Tridentinum, per collationem Sedis Apostolicae.

1666. D. Antonius Barbi Caeremoniarius Caesareus, & Austriacus, successit per resignationem D. *Friderici* Card. *ab Hassia* ad collationem Sanctae Sedis.

1668. D. Franciscus Comes a Thunn successit defuncto D. *Abrahamo Kraus* ad collationem Capituli.

1670. D. Carolus Joseph Comes a Kinigl successit per resignationem D. *Ernesto* Comiti *a Scherphenberg*, & collationem Sanctae Sedis.

1671. D. Joseph Rudolphus Comes a Thunn successit per collationem Summi Pontificis, & per resignationem D. *David Alphonsi Brancolini*, quem tamen non constat possessionem Canonicatus iniisse, aut in cujus locum successerit.

1676. D. Hieronymus Comes Lodroni successit per resignationem ad manus Sanctissimi factam a D. Jo. Baptista Comite Lodroni seniore, & illius collationem.

1676. D. Antonius Comes Piccolomini successit per resignationem D. *Lidovino* Comiti *Piccolomini* Patruo, ad collationem Papae, & dispensationem Capituli, cum non esset Germanus.

1677. D. Wolfgangus Georgius Fridericus Princeps Neoburgicus successit defuncto D. *Antonio Barbi* ad collationem Capituli, ejusque declarationem & praesumptionem de Placito Imperatoris Leopoldi.

1678. D. Bonaventura Alberti Comes de Collico successit defuncto D. *Hieronymo Maximiliano* Comiti *Lodrono* ad collationem Sanctae Sedis: a Capitulo admissus salva ratihabitione S. Caes. Majestatis,

& sub

& sub conditione, ut data prima vacatione Canonicatus Itali, idem impletus habeatur per ipsum D. Provisum, substituto Canonico Germano.

1678. D. Franciscus Antonius Sardagna successit D. *Francisco de Albertis* assumpto in Episcopum Tridentinum, ad collationem Sanctae Sedis.

1679. D. Antonius Dominicus Comes a Wolckenstain successit per resignationem ad manus Pontificis factam, ejusque collationem, D. *Joanni Francisco* Comiti *a Thunn*.

1679. D. Georgius Sigismundus a Sinersperg successit defuncto D. *Carolo Josepho* Comiti *Kinigl*, ad collationem S. Sedis.

1680. D. Carolus Ferdinandus Comes Lodroni successit defuncto D. *Francisco Bertholdi*, per collationem Capituli.

1680. D. Joannes Baptista Comes ab Arcu successit per resignationem D. *Rudolphi Josephi* Comitis *a Thunn* ad manus Sanctissimi, ejusque collationem.

1681. D. Sigismundus Wolfgangus Teod. Baro de Welsperg successit D. *Gulielmo* Baroni *de Vintler* per resignationem ad Papam, ejusque collationem.

1682. D. Sigismundus Comes ab Arsio successit defuncto mox dicto D. *Sigismundo* Baroni *de VVelsperg*, per provisionem Sanctae Sedis.

1683. D. Fridericus Gulielmus Princeps Neoburgicus successit defuncto D. *VVolfgango Georgio Friderico* Principi Neoburgico, per collationem Sanctae Sedis.

1684. D. Franciscus Comes a Wolckenstain successit defuncto D. *Francisco Dominico* Comiti a Pötting, ad collationem Capitularem.

1689. D. Franciscus Eustachius Franzin successit per provisionem Sanctae Sedis D. *Carolo* Comiti de *Castrobarco*.

1689. D. Josephus Melchiori per provisionem Sanctae Sedis successit D. *Bernardino Malanotti*.

1690. D. Augustinus Adolphus Comes ab Althan successit per collationem Sanctae Sedis D. *Friderico Gulielmo* Principi Neoburgico.

1691. D. Franciscus Sigismundus Alberti per collationem Capituli successit D. *Antonio Crosina* Baroni de Manburg.

1692. D. Carolus Princeps Lotharingiae successit D. *Josepho Victorio de Albertis* assumpto ad Episcopatum Tridentinum, in vim collationis Pontificiae, cum protestatione Capitulari de non derogando Bullae Pauli III., ac declaratione de ejus admissione in compensationem Canonicatus Germani a D. *Bonaventura Alberti* Comite *de Collico* adepti.

1697. D. Hieronymus Comes Buccelleni Brixiae natus, successit D. *Joanni Michaëli* Comiti *a Spaur* assumpto in Episcopum Tridentinum, attento assensu Caesareo admissus.

1699. D. Constantinus Caldonazzi successit per collationem Sanctae Sedis D. *Jacobo Roveretti* defuncto.

1700. D. Christophorus Voltolini successit D. *Francisco Antonio Sardagna* defuncto, ad collationem Capituli.

1701. D. Joannes Michaël Wenceslaus Comes a Spaur successit per collationem Capitularem defuncto D. *Joan. Baptistae* Comiti *Lodrono*.

1701. D. Dominicus Antonius Comes a Thunn per resignationem ad manus Sanctissimi factam, ejusque collationem, successit D. *Carolo Adolpho* Comiti *ab Altban*.

1701. D. Rodulphus Fortunatus Comes Troyer successit in vim Capitularis collationis D. Comiti *Sigismundo ab Arsio* defuncto.

1702. D. Carolus Comes Trapp successit per cessionem D. *Caroli* Principis Lotharingiae, admissus a Capitulo de mente Caesarea; & citra praejudicium Bullae Pauli III., imo cum declaratione, ut ipse Canonicatum Germanum, & D. Comes a Collico Italum Canonicatum possidere censeantur.

1709. D. Ernestus Rudolphus Baro de Halden successit defuncto D. *Antonio* Comiti *Piccolomini* in vim primarum precum Caesaris Josephi ad collationem Capituli.

1709. D. Franciscus Philippus Sigismundus Baro de Baldessari successit defuncto D. *Constantino Caldonazzi*, in vim collationis Capitularis habitus pro Subdito Tridentino.

1712. D. Jo. Bernardinus Gentilotti successit defuncto D. *Bonaventurae* Comiti *de Collico* ad collationem Summi Pontificis.

1716. D. Josephus Andreas Malfatti successit per resignationem ad manus Sanctissimi factam a D. *Ernesto Rudolpho* Barone *de Halden*, & collationem Sanctae Sedis, cum pensione ad favorem cedentis, admissus favore Familiaritatis Austriacae, cum successiva declaratione, quamvis sine expresso consensu, aut praesentia D. Provisi, ut Canonicatus ab eo adeptus pro Italo, & e converso alter D. Baldessari pro Germano habeantur.

1716. D. Josephus Comes Trautson successit D. *Carolo Emmanueli Voltolino* defuncto, tamquam Precista Caroli Imperatoris, non obstante quod ageretur de Canonicatu Italo, quia jus primarum precum est antiquius Bulla Pauli III., & cum declaratione, ut hujusmodi Canonicatus pro Italo de numero senario haberi debeat: collatio autem emanavit a Sancta Sede.

1717. D. Franciscus Martini Civis Tridenti successit defuncto D. *Francisco* Comiti *de Wolckenstain* ad provisionem Sanctae Sedis, cum declaratione Capitulari de compensatis Canonicatibus Italo, ac Germano

mano respective intuitu hujus, & praecedentis obtenti a D. Comite Trautson.

1718. D. Joannes Baptista Lorengo Vallis Solis successit defuncto D. *Josepho Melchiori* ad collationem Sanctae Sedis.

1721. D. Jo. Casparus Comes a Wolckenstain successit D. *Georgio Sigismundo a Sinersperg* per collationem Capitularem.

1721. D. Jo. Michaël Antonius Comes a Spaur successit defuncto D. *Francisco Eustachio Franzin* per provisionem Capitularem,

1722. D. Joannes Benedictus Gentilotti successit per resignationem D. *Jo. Bernardini Gentilotti* Patrui, & collationem Sanctae Sedis.

1723. D. Leopoldus Baro de Firmian a Capitulo provisus successit D. *Jo. Baptistae* Comiti *ab Arcu*. Qui *Leopoldus* deinde fuit Praepositus, & demum electus an. 1748. Coadjutor, & Administrator Ecclesiae Tridentinae, cui etiam renunciavit an. 1756.

1723. D. Franciscus Antonius Ceschi successit D. *Josepho* Comiti *de Trautson* ad aliosCanonicatus translato, per collationem Sanctae Sedis.

1724. D. Franciscus Felix Comes de Albertis successit D. *Francisco Sigismundo* Comiti *de Albertis* Patruo per collationem Capitularem.

1725. D. Leopoldus Baro Pilati successit defuncto D. *Joanni Benedicto Gentilotti* electo, seu postulato Episcopo Tridentino, ad collationem Summi Pontificis, cum haberetur pro Subdito Tridentino, & ejus Genitor ex Valle Annaniae oriundus esset, ibique bona adhuc possideret. Idem *Leopoldus* an. 1748. 16. Dec. successit in Decanatu D. *Bartholomaeo Antonio Passi* per ejus translationem ad Praeposituram.

1726. D. Bartholomaeus Antonius Passi successit D. *Antonio Dominico* Comiti *a Wolckenstain* assumpto ad Episcopatum Tridentinum, per collationem Summi Pontificis.

1730. D. Carolus Sebastianus Comes de Trapp successit defuncto D. *Carolo Ferdinando* Comiti *Lodroni* per collationem Capitularem.

1730. D. Joannes Josephus Gentilotti successit D. *Dominico Antonio* Comiti *a Thunn* assumpto ad Episcopatum Tridentinum, ad collationem Sanctae Sedis, admissus vigore Familiaritatis Austriacae.

1735. D. Petrus Xaverius Trentini successit defuncto D. *Jo. Baptistae Lorengo* per collationem Summi Pontificis.

1739. D. Joseph Jo. Michael Comes Lodroni successit defuncto D. *Christophoro Voltolini* a Papa provisus, & admissus tamquam Germanus in locum D. *Malfatti* Germanum Canonicatum possidentis.

1739. D. Petrus Michaël Vigilius Comes a Thunn successit defuncto D. *Jo. Josepho Gentilotti* ad collationem Sanctae Sedis.

1741. D. Bartholomaeus Comes Bortolazzi successit defuncto D. *Carolo* Comiti *Trapp* in vim collationis Pontificiae.

1741. D. Bartholomaeus Antonius Passi successit vigore collationis Pontificiae eidem D. Comiti *Trapp* in Decanatu: qui an. 1748. 18. Dec. relicto Decanatu ad Praepositaram translatus est.

1742. D. Christophorus Comes Migazzi successit defuncto D. *Francisco Martini* ad collationem Summi Pontificis.

1743. D. Joannes Carolus Comes ab Herberstain successit defuncto D. *Jo. Michaëli* Comiti *a Spaur* Suffraganeo, ad collationem Sanctae Sedis.

1744. D. Jo. Georgius Cyriacus Comes de Recordin successit defuncto D. *Jo. Caspari* Comiti *a Wolckenstain* Suffraganeo, vigore primarum precum Caroli VII. Imperatoris; sed possessionem Canonicatus iniit anno sequenti 1745.

1746. D. Pantaleon Bortius Vicarius Generalis D. Episcopi Tridentini, successit defuncto D. *Rodulpho Fortunato* Comiti *Troyer*, in vim Pontificiae collationis.

1748. D. Franciscus Antonius Philippus de Albertis successit defuncto D. *Pantaleoni Bortio*, vigore primarum precum Francisci I. Imperatoris.

1749. D. Josephus Jo. Nepomucenus Comes a Welsperg successit D. *Leopoldo Ernesto* Baroni *a Firmian* assumpto ad Coadjutoriam Ecclesiae Tridentinae cum futura successione, vigore resignationis ad manus Summi Pontificis.

1750. D. Christophorus Sizzo successit D. *Petro Xaverio Trentini*, per resignationem ad manus Sanctissimi, & ejus collationem.

1751. D. Gervasius Franciscus Felix Comes de Albertis successit defuncto D. *Francisco Philippo* Baroni *de Balthassari*, ad collationem Sanctae Sedis Apostolicae.

1755. D. Franciscus Felix Comes de Albertis successit defuncto D. *Leopoldo* Baroni *Pilato* Decano, ad collationem Capituli.

1756. D. Franciscus Antonius Ceschi successit vigore Collationis Pontificiae eidem D. Baroni *Pilati* in Decanatu.

1756. D. Joannes Benedictus Baro Gentilotti successit defuncto D. *Josepho Malfatti*, virtute collationis Summi Pontificis.

1756. Vincentius Comes de Albertis successit D. *Gervasio* Comiti *de Albertis* ejus fratri renuntianti, ad collationem Summi Pontificis.

1756. D. Philippus Joseph Michaël Comes a Thunn successit defuncto D. *Hieronymo* Comiti *Bucelleni*, ad collationem Sanctae Sedis Apostolicae.

1756.

1756. D. Sigismundus Antonius Manci successit D. *Francisco Felici* Comiti *de Albertis* ejus Avunculo, assumpto ad Coadjutoriam Ecclesiae Tridentinae cum futura successione, vigore resignationis ad manus Summi Pontificis.

CATALOGUS PRAEPOSITORUM

ECCLESIAE CATHEDRALIS TRIDENTINAE,

quorum memoria inveniri potuit.

I. STANISLAUS de Polonia, dictus quoque Stanislaus Joannis de Habojajo, Stanislaus Subnovvski, ac de Subnovv, Magister in Artibus, qui ab an. 1424. egit Cancellarium Episcopi Alexandri, cumque ab an. 1425. esset Canonicus Tridentinus, constitutus fuit primus ejusdem Ecclesiae Praepositus a *Martino* V. Papa die 12. Septemb. 1426. Anno 1430. idem Summus Pontifex ad *Stanislaum* nostrum literas dedit super Translatione Monasterii Canonicorum Regularium S. Augustini ex *Augea* in *Villam Gries*. Anno 1434. fuit Basileae cum praefato suo Episcopo Alexandro; testis siquidem comparet cujusdam Instrumenti ea in Urbe exarati *Reverendus Pater Dominus Stanislaus de Polonia S. Apollinaris extra muros Tridenti Praepositus, & Canonicus Tridenti*. Vita functus est ante an. 1450., namque anno 1449. collata fuit Praepositura Tridentina cuidam Anonymo, cujus tamen possessionem capessere non potuit, uti arguitur ex literis *Callixti* Papae tertii datis Romae die 5. Oct. 1455., in quibus eadem Praepositura dicitur *adhuc vacans per obitum Stanislai Joannis de Subnou Canonici Ecclesiae Trid.* Consule si lubet Vol. 2. pag. 7. 390. 529. 537. & 546. Item Vol. 3. part. 1. pag. 244. Vidi ejusdem *Stanislai* effigiem an. 1725. depictam, cum Inscriptione, in qua appellatur *Ordinis S. Benedicti, Abbas SS. Apollinaris & Laurentii Tridenti, ac primus Tyrolis Praelatus*; sed quo fundamento innitantur hujuscemodi tituli, plane ignoro.

II. JOANNES Hinderbachius, Canonicus & Praepositus ab anno 1455., tandemque an. 1465. Episcopus Trid. Vide supra pag. 145.

III. GASPAR de Theramo (*cognomento Laelius*) Decretorum Doctor, Capellanus Pauli II., & Palatii Apostolici Causarum Auditor, fuit Canonicus Trid. ad an. 1459., tum Praepositus ad an. 1468. die 7. Febr., & ad an. 1474. Ejus mentio habetur apud Ughellum in Episcopis Tarvisinis, ubi de *Theodoro Laelio* Episcopo, & apud Nicola-

um Comnenum Papadopoli in Hist. Gymn. Patavini To. 2. L. 1. c. 5. n. 31. Theodoro enim Epitaphium erigi curavit.

IV. UDALRICUS Kneussel, Baccalaureus Theologiae, Archiducalis Vice-Cancellarius, Canonicus & Praepositus Trid. ad an. 1482. & 1500. Anno 1494. die 15. Dec. eidem collata est Capellania S. Sigismundi in Crypta apud Parochialem Ecclesiam Caldariensem. Hunc Praepositum inter, & Archidiaconum *Paulum de Crottis*, lis efferbuit super jure praecedentiae, sed tandem causa cecidit Archidiaconus.

V. BALTASSAR Schrotter Praepositus an. 1506. Ignotum mihi, num iste fuerit etiam Canonicus Tridentinus, tametsi me non lateat, *Udalricum* Episcopum an. 1501. petiisse a Summo Pontifice, ut Praepositus Tridentinus foret ex Capitularibus. Vide supra pag. 169 col. 1.

VI. JOANNES Curtius, Decretorum Doctor Consiliarius Episcopi Trid. an. 1500. Praepositus an. 1507. Hunc nullatenus distinxerim a *Joanne Curtio Eberspachio*, qui an. 1511. typis Augustanis edi curavit *Ubertini Tusculi* Brixiani Poëtae *duos Libros Simonidos*, seu de B. Simone puero Tridentino.

VII. CHRISTOPHORUS de Schroffenstein, *Osvvaldi* Equitis Aurati, & *Praxedis* ex Baronibus de *Wolckenstein* filius, *vir*, Hundio teste, non solum *genere*, verum etiam *eruditione*, *ac morum gravitate celeberrimus*. Erat Canonicus Tridentinus an. 1493., quo parum absuit, quin ejusdem Ecclesiae Antistes renunciaretur, stantibus pro eo 4. votis contra sex. Evasit nihilominus Praepositus Tridentinus, tum Coadjutor, ac denique Episcopus Brixinensis an. 1510., defunctus an. 1521. die 29. Martii. In Charta an. 1514. die 10. Maji nuncupatur *Episcopus Brixinensis*, *olim Praepositus Ecclesiae Tridentinae*.

VIII. WOLFGANGUS de Zullart, in Decretis Licentiatus, Praepositus an. 1515. die penult. Aprilis. Obiit an. 1519.

IX. JOANNES BAPTISTA Baldironius de Mediolano, Artium & Medicinae Doctor, Maximiliani I., & Caroli V. Physicus, atque Consiliarius, nominatur Praepositus Trid. an. 1519. Vitam cum morte jam commutaverat an. 1527. die 13. Jan.

X. HIERONYMUS Riccius, Artium & Medicinae Doctor, atque Uxoris Ferdinandi Regis Physicus, Praepositus Trid. evasit an. 1527. die 29. Jan. Anno 1528. die 27. Junii agebat ejusdem Procuratorem *Ludovicus Balzanus* Canonicus Trid. Resignavit in favorem sequentis Fratris sui.

XI. FRANCISCUS Riccius, Baro in Sprinzenstein, Consiliarius Ferdinandi Regis, Praepositusque Trid. an. 1532. ac 1572. die 16. Febr. Ejus Pro-

Procuratores fuere praefatus *Balzanus*, *Joannes Aloysius Baldironius de Mediolano*, *Joannis Donati* filius, *Hieronymus*, & *Joannes Angelus Baldironii*, nec non *Hieronymus Gallus*. Quoad titulum *Baronis in Sprinzenstein* Pater Sebastianus Insprugger Part. 2. *Austriae Mappis Geographicis distinctae* pag. 75. ubi de *Austria Superiore*, notat: *Illustres Domini Rizen cum sub Ferdinandi I. imperio ex Tyroli in Austriam descendissent, eam sibi Arcem* (Sprinzenstein) *emptionis jure occuparunt, indeque sese* Sprinzensteinios *scripserunt, quorum dominio Arx in hunc diem* (an. 1728.) *subjecta mansit &c.*

XII. JOANNES Cavalerius, Caesari Ferdinando I. Familiaris, ejusdemque filii Ferdinandi Eleemosynarius, Confessarius, & Consiliarius, Rector Parochialis Ecclesiae S. Pauli *in Eppan* deputatus an. 1566. die 20. Aprilis. Anno 1579. die 6. Febr. erat Canonicus, & Praepositus Ecclesiae Tridentinae, nec non Canonicus Budissinensis (*in Lusatia Superiore*). Eodem anno 1679. in Civium Tridentinorum Album fuit relatus. Tridentinum tamen fuisse quoque in antecessum elicitur ex ejus Epistola data Pragae quinto Cal. Septemb. 1564.; ibidemque typis excusa, atque directa *Lucio Romulo Pincio S. T. D. Canonico Seniori Tridentino, Amico, & uti Patri suo colendo.* Ex hac mortali vita discessit an. 1580. die 23. Martii, tumulatus in sua Ecclesia Praeposito-Parochiali Pedecastellana S. Apollinaris, ante Aram principem, cum prolixo Coenotaphio, quod anno 1760., dum eadem sacra aedes restauraretur, hanc in formam fuit contractum:

Hic jacet
Joannes de Cavaleriis
Praepositus Tridentinus
Obiit XXIII. Martii
Anno MDLXXX. aetatis suae LVI.

XIII. ANDREAS ab Austria, Archiducis Ferdinandi & Philippinae filius, natus Pragae in Bohemia die 15. Apr. 1558. Creatus fuit S. R. E. Diaconus Cardinalis tit. S. Mariae Novae an. 1576. In nostris tabulis ab an. 1580. usque ad an. 1588. appellatur nedum Cardinalis, sed etiam Marchio S. R. I. Burgoviae, Lantgravius, Gubernator Austriae inferioris & superioris, atque Praepositus Ecclesiae Cathedralis Tridentinae, cujus Praepositurae possessionem accepit per Procuratorem praedicto anno 1580. Anno 1582. constitutus fuit totius Germaniae Legatus Apostolicus. Anno 1584. a Capitulo Tridentino obtinuit Canonicatum a *Leo-*

a *Leopoldo de Trautmansdorff* dimissum. Anno 1589. electus Episcopus Constantiensis, auctusque Infula Brixinensi an. 1591. Interfuit electionibus Sixti V., Gregorii XIV., Innocentii IX., & Clementis VIII. praefatosque Gregorium, & Innocentium propriis manibus Pontificia Thiara exornavit. Egit quoque Hispanici Belgii Moderatorem, & S. R. I. Protectorem. Laudatur ceu vir pietate, modestia, affabilitate, prudentia &c. illustris; diciturque edidisse nonnulla Opuscula Polemica ad heterodoxos facili methodo convincendos aptissima, & Statuta saluberrima pro Dioecesibus Constantiensi ac Brixinensi, atque nova Breviaria & Missalia juxta Concilii Tridentini praescriptum, cum Admonitionibus ad Clericos, & alia quaedam maximam pietatem redolentia. Tandem Neapoli, quo Divi Januarii reliquias veneraturus perrexerat, Romam reversus, morboque ex itineris molestia correptus, inter Clementis VIII. brachia spiritum exhalavit anno 1600. die 12. Nov., sepultus in sacra Aede Germanorum, *de Anima* dicta, ubi sequens Epitaphium exstare accepi:

D. O. M.

Memoriae.

Andreae ab Austria, Ferdinandi Archiducis F., Ferdinandi Imp. Caes. Aug. Nep., S. R. E. Cardinalis, Constant. & Brixinensis Episc., S. R. Imp. Principis, qui Majorum splendorem propriae virtutis gloria exaequans, religione conservanda, & augenda, justitia, clementiaque temperanda, per omnes suae Ditionis partes diligentissimus, Belgicae Provinciae difficillimis temporibus a Philippo II. Rege praefectus, eam incomparabili providentia, & fortitudinis laude administravit, perduelles armatos togatus terruit. Romam anno seculari, religioso peregrini habitu visens, a Clemente P. O. M. agnitus, in Vaticanas aedes amantiss. receptus, post solemnes Basilicas veneratas, vi morbi lecto affixus, sacris mysteriis ab eodem Pontifice rite expiatus, ex terrena peregrinatione ad coelestem patriam migravit, incredibili urbis desiderio defletus, publico funere elatus, exequiis praesente Sacro Collegio, & Curia honestatus est. Vixit annos XLII. menses V. dies XXVII. Obiit anno MDC. pridie Idus Novembris. Carolus ab Austria S. Imp. Marchio Burgaviae, Landgravius Nellenburgi &c. Fratri unico unicus desideratissimo moerens P.

Res ejusdem Cardinalis, qua Praepositi, hac in urbe Tridentina curarunt primum *Thomas Columbinus* de Tridento, dein Baro *Gaspar a Wolckenstein & Trosburg*, Capitaneus Tridenti, atque Archiducis Ferdinandi Consiliarius.

XIV.

XIV. JOSEPHUS Roboretus, qui cum esset Canonicus Trid. & Generalis in Spiritualibus Vicarius, pro Card. & Episcopo Ludovico Madrutio interfuit Synodo Provinciali Aquilejensi an. 1596. Utini celebratae. Monumenta, quae ipsum Praepositis Tridentinae Ecclesiae adnumerandum evincant, deficiunt quidem mihi; id tamen adstruit Marianus, qui in suo *Trento* pag. 65. recensens ejusdem Ecclesiae sepulcra, loquitur in haec verba: „ Alla Porta d' Ostro „ giace *Giuseppe Roveretti* Giurisconsulto, Cavalier, e Protonotario Apo„ stolico, huomo segnalato in patria, e fuori, massime alle Corti Cesa„ rea, e Catolica per servitio del Cardinal Ludovico Madrutio, da cui „ fu eletto Canonico, Vicario, e Consigliere. Nominato poi *Preposi„ to di questa Catedrale* dall' Imperator *Rudolfo*, cessò di vivere, rapito „ da morte acerba. Lo piange l'Epitafio. " Hoc tamen Epitaphium ego legere nequaquam potui.

XV. MATHIAS Comes a Turri, & Vallis Saxenae, Canonicus, & Praepositus Trid. ad an. 1603. Canonicatum Capitulo resignavit an. 1631. die 19. Dec., quem idem Capitulum ipsomet die contulit *Raymundo* Comiti *a Turri*. Reperi fuisse hujus Praepositi Procuratorem in urbe Tridentina R. D. *Andream de Asola* Ordinis S. Benedicti.

XVI. SIGISMUNDUS FRANCISCUS Archidux Austriae, natus an. 1630. nominatur Praepositus Tridentinus an. 1635., cujus quidem Praepositurae nactus est possessionem per Procuratores an. 1636. Anno 1651. actum est de eo in Episcopi Tridentini Coadjutorem adsumendo, Literaeque a Capitulo in hanc rem Electorum convocatoriae, licet in cassum, emissae. Electus est Gurcensis Episcopus an. 1653. Praeposituram vero Tridentinam in subsequentis *Liduini* favorem cessit. Vide supra pag. 233., 314. & 329.

XVII. LIDUINUS Piccolomineus, Comes, Patricius Senensis, natus die 2. Febr. 1611. Ecclesiae Tridentinae Canonicus ab Urbano VIII. an. 1632. nominatus, vacante Canonicatu per obitum *Hippolyti* Baronis *a Wolckenstein*. Praepositus ejusdem Ecclesiae fuit ante an. 1654. Seniorque ad an. 1665. Resignatis autem Canonicatu ac Praepositura proprio Nepoti, ab humanis exemptus est die 2. Febr. *maximo Tridentinae Urbis moerore*, anno Christi 1680., aetatis vero suae 69. Vidi in Septemtrionali Ecclesiae Cathedralis abside marmoreum nostri Praepositi Simulacrum, una cum Inscriptionibus sequentis tenoris:

Ad

Ad Illmos & Rmos Dominos
Cathedralis Ecclesiae Tridentinae Canonicos
Liduinus Piccolomineus
Ejusdem Ecclesiae Praepositus.

Epigramma.

Invida facta mihi vitae scidit Atropos annos;
Ne mea vobiscum gaudia longa forent.
Hoc erat in votis, meus hoc conceperat ardor;
Vos inter firmum semper habere locum.
Improba mors prohibet, fixum ut contester amorem;
In vestra moriens ossa repono manu.
Sic Libitina ferox subito quos separat ictu,
Haud fragili noster foedere jungit amor.



Quem Senis Patritium,
In Serenissima Austriae Archiducum Aula Praefectum;
In Tridentina Ecclesia Canonicum,
In Sacro Romano Imperio Comitem,
Audisti Viator,
Et jacens hic tibi occurrit
Liduinus Piccolomineus.
Majoribus haud minor Heroibus suis
Dormiens in pulvere & Posteros excitat ad virtutem.
Gelidum ne credas in cinere
Aemulationis qui flammas suscitat in Nepotes.
Sepulcrali sub lapide adhuc extat
Sapientiae Simulacrum.
Admoveas si aures, excipies Oracula in silentio.
Loquitur & in mortuo Virtus.
Ecclesiasticis Veteranus in castris occubuit.
Mirare prodigium.
Pietatis qui posuit tyrocinium in alma Purificatae Virginis die,

Sor-

Sordes in se dedignatus terreas
Terrenas deposuit exuvias, in aliis ne cerneret
Candelarum perpetuo coecutivit ad lumen
Anno salutis M. DC. LXXX.
Aetatis suae LXIX.
Cujus occasum lacrymis prosecutus
Antonius Piccolomineus
S. R. I. Comes, & ad Dignitatem Successor
Patruo meritissimo amoris & gratitudinis
moerens hoc posuit Monumentum
Et sibi.



Ad Illustrissimum & Reverendissimum Comitem
Lidvvinum Piccolomineum
Patruum dilectissimum
Comes Antonius Nepos.

Epigramma.

Sto tibi, teque suum norunt mea jura perenne
Principium, es nostri fons & origo boni.
Quae mea cuncta tuae, fateor, sunt munera dextrae:
Do tibi, quid credes reddere? dono nihil.
At lacrymae, gemitusque, dolor, suspiria, fletus,
Haec mea quae ad tumulum centupla dona fero.
Attamen haud multum crescant ut dona sepulto,
Me dono, excipies cum teget Urna duos.

In Palatio quoque Praepositurali apud S. Margaretam vidi alium Lapidem *Liduini* gesta edisserentem in hunc modum:

Prospectum, Templumque Sacrum, nitidamque Plateam,
Conclavesque novos, nobile Fontis opus,
Et quascumque vides Cameras laquearibus intus
Sive superstructo Fornice conspicuas

Erectasque Fores, multasque hinc inde Fenestras,
Strata soli, & quidquid fulget ab arte recens,
De Picolominea Liduinus stirpe creatus,
Dignius ornavit, condidit, instituit.
Ad majora animos rerum molimina grandes
Posteritas monitos sic sciat esse suos.
Anno Domini MDCLIV.

XVIII. ANTONIUS Piccolomineus, Comes, praecedentis ex fratre nepos, Canonicatus, & Praepositurae possessionem capessivit an. *1676*. Vivebat adhuc an. *1696*. non autem an. *1709*.

XIX. CAROLUS FERDINANDUS Comes Lodroni Canonicus ab an. *1680*. Praepositi titulo auctus comparet ad an. *1715*. usque ad an. *1730*. quo e vivis sublatus est. Eodem tempore fuit etiam Villæ Lagarinae Archipresbyter. Plures libros suis sumptibus edi curavit. Palatium Praepositurale supra memoratum restauravit, adjecto lapide, in quo legere est:

D. O. M.
Carolus Ferdinandus Lateranus
S. R. I. Comes Lodroni &c.
Praepositus, Canonicus, & Senior
Palatium hoc igne casu 1. Aprilis 1727. combustum
Stabilius restauravit, pulchrius exhibuit, plurimum auxit.
Hortum rarum reddidit, Domus Dei decorem dilexit.
Horologium cum Turri fixit.
Immaculatae Conceptae Deiparae Auxiliatrici
Pyramidalem gratitudinis Aram erexit
MDCCXXIX.

XX. LEOPOLDUS ERNESTUS, Baro & Dominus in Firmian, Praepositus Trid. ab an. *1730*. usque ad an. *1748*., de quo vide plura supra pag. *260*.

XXI. BARTHOLOMAEUS ANTONIUS Passius, Praepositus a die *18*. Decemb. *1748*. Administrante Episcopatum Tridentinum laudato *Leopoldo Ernesto*, ipse Consistorio Episcopali praefuit. Vide praemissum Catal. Decan. n. XLI. & subsequentem Suffr. num. ult.

CA

CATALOGUS SUFFRAGANEORUM,

SIVE

GENERALIUM IN PONTIFICALIBUS VICARIORUM ECCLESIAE TRIDENTINAE,

Qui hactenus nobis innotuerunt.

I. MICHAEL de Tridento, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Episcopus Rossensis, ad an. 1271. Exstitit promotor praecipuus novi Coenobii, & Ecclesiae S. Marci, sui Ordinis in urbe Tridentina, uti dictum To. 2. pag. 154. & 603.

II. BONIFACIUS, ejusdem Ordinis, Episcopus Bolonensis, vel Bosanensis, circ. an. 1285. Vid. cit. To. pag. 604.

III. JOANNES, Ordinis ignoti, Episcopus Buduensis (*in Dalmatia*) qui, teste nostro P. Ambrosio Rosmino Roboretano in suo MS. Catalogo Epp. Trid. an. 1330. die 6. Dec. varias elargitus est Indulgentias visitantibus Altare S. Christophori in Ecclesia SS. Andreae & Nicolai Salurni.

IV. SALATINUS, Ordinis pariter ignoti, Episcopus Cadaronensis, qui an. 1333. die 22. Julii consecravit Ecclesiam S. Catharinae in agro Arcensi, *quae olim Ecclesia Beati Adelpreti vocabatur*. Lege Documentum cit. To. 2. pag. 660. Fortasse Documenti ejusdem autographum habet *Episcopus Calamonensis*, qua in hypothesi *Salatinus* iste inserendus esset Catalogo Episcoporum Calamonensium in Creta apud Cl. Virum Flaminium Cornelium To. 2. *Cretae Sacrae* pag. 141. ubi locus vacuus reperitur.

V. AUGUSTINUS, Ordinis Eremitarum S. Aug. Episcopus Salubriensis, qui sub datum Avinione an. 1363. die 28. Jan. quasdam concessit Indulgentias, quarum Diploma ex Papebrochio refert Cl. Vir Eusebius Amort *Hist. Indulg.* part. 1. pag. 187. col. 1. Eodem an. 1363. die 14. Nov. dedicavit praedictam Ecclesiam Tridentinam S. Marci, restauratam & ampliatam. Tandem fuit Suffraganeus *Jacobi* Aretini Episcopi, uti constat ex ejus Indulgentiarum privilegio dato an. 1370. die 26. Junii, atque a praefato Daniele Papebrochio vulgato in *Actis Sanctorum* ad diem 25. Apr. §. 13. Comment. de B. Philippino Minorita, ubi quamvis subdat se nusquam legisse *Salubriensem* Episcopatum, bene vero *Sicilibrensem* in Provincia Carthaginensi; ego tamen in *Annalibus Minorum* Lucae Waddingi ad an. 1396. n. 3., ad an. 1439. n. 36.

 atque

atque ad an. 1461. n. 18. reperi Episcopatum *Salubriensem in confinibus Hungariae sub Patriarchatu Constantinopolitano*. Ejusdem *Salubriensis* Episcopatus occurrit non una mentio quoque apud Jac. Echardum To. I. *Scriptorum Ord. Praed.* Atque hinc mihi videtur emendandum *Provinciale omnium Ecclesiarum Cathedralium universi Orbis*, tam Editionis Romanae 1543. quam Brixiensis 1563., quum *Colubriensem* pro *Salubriensi*, vel *Solubriensi*, Episcopatum Ecclesiae Constantinopolitanae Suffraganeum substituat.

VI. BLASIUS de Tridento, Ordinis Minorum, Episcopus Peristasiensis (*in Romania*) per quem an. 1363. consecratum fuit Tridenti *Altare S. Margaritae de Surbano Monasterii*. Nuncupatur Episcopus *Taxischasiensis* in Literis datis *in Canonica Plebis S. Vigilii de Randena* anno 1366. die 1. Julii, quibus Flagellantium, seu *Battutorum* Domus Dei Tridenti Sodalitum amplexantibus Indulgentias erogavit. Ab eo habemus parvum Chronicon membraneum, in quo praeter alia, Consecrationes in Flemmensi Valle antiquis temporibus peractae recensentur.

VII. NICOLAUS de Verona, Episcopus Missinensis, qui an. 1376. die 11. Febr. ab *Alberto* Episcopo Tridentino institutus fuit Prior Commendatarius vacantis Ecclesiae S. Margaritae Vallis Lagari: anno 1377. die 23. Maji, referente laudato P. Rosmino *ibid.*, per Diploma datum *in Domo suae habitationis Plebis de Pabo*, confessis, poenitentibus, ac visitantibus Ecclesiam S. Petri de Terragnolo Plebis S. Floriani de Lizana, ab se *Feria quinta post Pentecosten*, una cum Coemeterio, reconciliatam, simulque osculum insigentibus parvae ac argenteae Cruci ibidem prostanti, semel in die 40. Indulgentiae dies relaxavit, adsignato hujusmodi Reconciliationis die Anniversario cum simili Indulgentia, per totam Octavam durante in Dominica SS. Trinitatis. Eodem an. 1377. die 7. Junii consecravit Altare S. Crucis, & S. Nicolai in Ecclesia S. Martini *de Orillo* praefatae Plebis Lizanensis, statuto anniversario in Dominica prima ejusdem mensis. In hujus Consecrationis Instrumento fit mentio *Joannis de Luncia Episcopi Tbi......* quem illius Ecclesiae Consecratorem fuisse, satis probabile puto. Idem Nicolaus ipsomet an. 1377. die penult. Septembris alias erogavit Indulgentias visitantibus Ecclesiam S. Usvaldi Garnigae Plebis S. Mariae Magdalenae Tridenti.

VIII. GEORGIUS, vel Gregorius, Episcopus Lisniensis, aut Lisnensis, aut Lisiensis, aut denique Zisiensis, sic enim varie scriptum reperi, an. 1386. & 1391.

IX. LAURENTIUS, Sacrae Theologiae Magister, Episcopus Traguriensis (*in Dalmatia*) Suffr. Trid. & Generalis in Spiritualibus Vicarius an. 1399. die 20. Jan. X.

X. VITALIS, Episcopus Ariensis, qui an. 1407. consecravit Ecclesiam S. Georgii *de Cimono* Plebis S. Mariae *de Villa*, cum Coemeterio, & Altari, in quo recondidit Reliquias S. Sebastiani Mart., S. Romedii Conf., S. Heuphemiae &c. concessis 40. diebus Indulgentiae pro parte sua, totidemque pro parte *Georgii* Episcopi Tridentini, omnibus vere poenitentibus, & confessis, qui diebus Dominicis, & Festivis dictam Ecclesiam visitaverint &c., decretoque anniversario die praefatae consecrationis *more antiquo* in Festo SS. Apostolorum Simonis, & Judae. Porro *Vitalis*, qui erat Tridentinus Suffraganeus etiam anno 1410. die 27. Januarii, tametsi non *Abiensis*, sed *Ariensis* Episcopus clare & aperte in nostris originalibus tabulis appelletur, ille ipse nobis videtur, de quo apud Waddingum in *Annal. Minorum* ad an. 1411. n. 4. legere est: „ Die 28. Novembris providetur Conrado de Ecclesia *Abien.* sub Patriarcha Constantinopolitano, per obitum Fratris *Vitalis* Franciscani, „ quem comperio ad hanc Ecclesiam translatum fuisse ex Milen. anno „ MCCCXCIX. " Memorata Ecclesia *Abiensis* nobis penitus ignota est, non tamen *Ariensis*, Suffraganea Cretensis Archiepiscopi, cui testante allegato Waddingo anno 1410. die 28. Julii per *Rolandi* mortem vacanti praefectus fuit Frater *Franchionus Secretus*, vulgo *Sagredo*, Cretensis Minorita. Sed in Catalogo Episcoporum Ariensium apud supra laudatum Cornelium part. 3. *Cretae Sacrae* pag. 170. tam *Vitalis*, quam *Conradus* desiderantur.

XI. JOANNES, Episcopus Varnensis, aut Vernensis, an. 1411. die 10. Augusti.

XII. JOANNES, Ordinis Minorum, Episcopus Thinarum, & Michonarum (*in Mari Aegaeo*) cui Episcopus *Alexander* an. 1439. contulit Capellam SS. Joannis & Blasii juxta Ecclesiam Cathedralem. Vivebat etiam anno 1447. die 6. Julii, quo fuit testis Protestationis solemni forma emissae a Canonicis Tridentinis adhaerendi *Nicolao* V. legitimo Pontifici Romano, sicut eidem adhaerebat quoque Episcopus Tridentinus *Georgius*. Ejusdem *Joannis* manu exaratum fuisse constat Breviarium sui Ordinis membraneum haud exiguae amplitudinis, in 4., quod olim ad Chorum veteris Conventus S. Bernardini Minorum Observantium spectabat, nunc vero ab Hinderbachii tempore ad Episcopalem Bibliothecam pertinet.

XIII. ALBERTINUS, dictus quoque Albertus, de Tridino Montis Ferrati, Ordinis Minorum, ab *Eugenio* IV. Papa anno 1444. die 16. Octobris electus & confirmatus Episcopus Esiensis Ecclesiae in partibus Infidelium constitutae, ac per obitum *Petri* vacantis. Anno 1447. cum a Fratre *Benedicto* Electo Tridentino eidem collata fuisset in Commendam

dam Ecclesia Parochialis B. M. V. Ripae, quae morte *Angeli Nigri* de Venetiis intercedente vacaverat, possessionem ipsius adsequutus est post *Nicolai* V. praeceptum datum Romae die 21. Nov. praedicti anni. Anno 1455. die 25. Martii dedicavit Altare B. M. V. sub Annuntiationis vocabulo in Ecclesia Cathedrali Tridentina, ex opposito Altaris S. Nicolai collocatum, reconditis in eo Reliquiis SS. Petri & Bartholomaei Apostolorum, S. Martini, SS. MM. Sisinnii, Martyrii, & Alexandri, S. Leonardi, SS. 40. Martyrum, S. Maxentiae; Reliquiis itidem Montis Olivarum, & unius Agnus Dei. Anno 1461. die 24. Aug. consecravit Capellam cum Altari sitam in Castro Campi, Plebis S. Laurentii de Lomasso, ad honorem SS. Trinitatis, S. Nicolai Episcopi, S. Mariae Magd. ac SS. Fabiani & Sebastiani, omnibusque vere poenitentibus & confessis, qui in die Dedicationis, & Patrocinii, & in die Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, atque in omnibus diebus Dominicis, videlicet Quadragesimae, Parasceve, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, nec non in omnibus festivitatibus B. M. V. & SS. Apostolorum, dictam Capellam visitaverint, flexisque genibus recitaverint semel Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam, atque pias eleemosynas erogaverint, 40. dies Indulgentiae concessit pro parte sua, totidemque pro parte *Georgii* Episcopi Trid. Anno 1464. die 28. Nov. *Paulus* II. commisit Episcopis Veronensi, ac Tarvisino, nec non Decano Tridentino, ut eumdem *Albertinum* Episcopum in possessionem inducerent Commendae Parochialis Ecclesiae Gardunensis SS. Felicis, & Fortunati, Rectore destitutae ob translationem *Conradi* ad aliam Ecclesiam Parochialem S. Victoris de Tayo in Anaunia. Anno 1467. consecravit Altare SS. MM. Fabiani & Sebastiani in Ecclesia S. Mariae de Meclo Plebis Clesii. Anno 1472. interfuit solemni Translationi Cinerum ac Reliquiarum SS. Anauniensium Martyrum Sisinnii, Martyrii, & Alexandri. Anno 1473. die 15. Nov. consecravit Capellam aedificatam in *Castello S. Valerii* Plebis S. Mariae Tassulli. Anno 1474. die 24. Octob. Capellam S. Martini Episcopi & Confessoris, ac S. Sebastiani sitam in *Rocha* seu *Castro Summoclevi Magnifici Domini Antonii de Tono* in Valle Solis, adhibitis Reliquiis *Sanctorum Romedii*, *David*, & *Abrahae Confessorum &c.* Anno 1476. die 17. Octob. Altare Ecclesiae SS. MM. Fabiani & Sebastiani de Vervodio in Anaunia, in quo pariter condidit Reliquias *Sancti Romedii &c.*

XIV. GEORGIUS, Ordinis Carmelitarum, qui electus Episcopus Efiensis, ac Suffraganeus Tridentinus habetur in Literis Sixti IV. datis anno 1480. septimo Calendas Martii; quo anno *Joannes* Episcopus Tridentinus eidem *Georgio* subsidii gratia praeter alia tribuit, & adsignavit, duo

duo Beneficia, seu Capellas non Curatas, nempe S. Joannis Baptistae, ac S. Blasii, cum aliquibus Altaribus adnexis, *quibus praeteriti Suffraganei fruebantur*. Consecratus videtur anno 1481. Siquidem *Angelus* Episcopus Feltrensis in Epistola ad praefatum *Joannem* Episcopum Tridentinum scripta die 27. Martii 1481. spondet, se post Festa Paschalia venturum Tridentum (una cum *Petro* Episcopo Catharensi, & Cardinalis Episcopi Vicentini Locumtenente) atque ejusdem Episcopi *Joannis* desiderio satisfacturum nedum *in Causa B. Simonis*, sed etiam *in Consecratione Suffraganei*. Quod autem promissis steterit, testatur alia ejus Epistola ad *Sixtum IV.* data *Tridenti die 12. Maji* 1481. Ab hoc Suffraganeo ceu praefati *Joannis* Episcopi Commissario, sub datum *Hyseriae* die 11. Septemb. 1483. concessus fuit Presbyter Hominibus, sive Habitatoribus *Seravalli* in Valle Lagarina, qui eisdem Sacramenta ministret, ibidemque Missas celebret: quo itidem anno 1483. die 29. Nov. ab eo consecrata fuere Altaria Signensis Ecclesiae in Ananunia, in quibus reposuit Reliquias etiam S. Romedii. Ejusdem *Georgii* nulla alia nobis superfuit memoria. Sed jam defecisse anno 1492. argui posse videtur ex eo, quod die 18. Octobris ejusdem anni, de licentia Episcopi Tridentini, dedicaverit Ecclesiam S. Mariae Gratiarum Ordinis Minorum Regularis Observantiae in Territorio Arcensi, *Leo Caratonus* Episcopus Sithiensis. Hunc minime distinguimus a *Leone Episcopo Sustiensi* apud Cl. P. Gradonicum *Brixiae Sacrae* pag. 358., & a *Leone de Naxia Ordinis Minorum*, *a litteratum peritia valde commendato*, qui referente Waddingo in *Annal. Min.* To. 13. pag. m. 410. n. 21. designatus fuit Episcopus Scythiensis sub Archiepisc. Cretensi an. 1467. sextodecimo Cal. Apr., quique amplissimo etiam Senatore Veneto Flaminio Cornelio To. 2. *Cretae Sacrae* part. 3. pag. 124. n. 9. docente „ Episcopatum „ Brixiae per absentiam Laurentii Zane Patriarchae Antiocheni, & Epi- „ scopi Brixiensis, exilio damnati, pastore destitutum, per quatuor & „ ultra annos cum summa fide, & commendatione omnium administra- „ vit, ut testatur publicum decretum anni 1483. diei 23. Julii &c. "

XV. FRANCISCUS de la Ecclesia, Episcopus Drivastensis (*sub Archiep. Antibarensi*) occurrit Suffraganeus Trid. ad an. 1496. Anno 1500. die 23. Febr. consecravit Altare Majus Ardinensis Ecclesiae in Anaunia; & die 10. Augusti ejusdem anni, instante *Dominico Hungar*, Ecclesiam SS. Michaëlis, Marci, & Lucae *super Monticulo prope Aquam Novellae* in Paroecia S. Floriani de Arsio *Vallis Anagninae*; in ejus unico Altari recondens plurimorum Sanctorum Reliquias, *in duobus Altaribus dictae Capellae per ipsum inventas*, quas inter memorantur illae S. Vigilii Episcopi & Mart., SS. Sisinnii, Martyrii, & Alexandri, S. Thomae

Can-

Cantuarienſis, S. Calixti Papae & Mart., S. Sixti Mart., S. Laurentii Mart., S. Chriſtophori Mart., S. Valentini Mart., S. Caſſiani Mart., S. Sigiſmundi Mart., S. Floriani Mart., S. Pancratii Mart., S. Viti Mart., S. Chriſticoli Mart., SS. Criſpini, & Criſpiniani Martyrum, S. Pantaleonis Mart., S. Zenonis Epiſcopi & Confeſſoris, S. Nicolai Epiſc. & Conf., S. Romedii Confeſſoris, S. Lamberti Conf., S. Saturnini Conf., S. Osbaldi Conf., S. Henrici Regis & Conf., S. Annae Matris Virginis Mariae, S. Chriſtinae Virg. & Mart., S. Euphemiae V. & M., S. Margaritae V. & M., S. Barbarae V. & M., S. Agathae V. & M., Undecim millium Virginum, S. Caeciliae Virg., S. Columbae Virg., S. Eunomiae Virg. &c. Qua occaſione viſitantibus &c. conceſſit 40. dies Indulgetiae nomine ſuo proprio, totidemque nomine Epiſcopi Tridentini. Anno 1502. die 16. Maji, feria 2. Pent. reconciliavit Eccleſiam S. Stephani Protomartyris apud Villam Fornacis in Plebe Pinetana, noviſſime reparatam, in eaque SS. Stephano & Cypriano ſacravit Altare, cum Tribuna recens conſtructa, in illo recondens nedum Reliquias in veteri repertas, ſed & alias SS. Siſinnii, Martyrii, Alexandri, & Chriſtophori Martyrum, atque Romedii Confeſſoris. Quam Eccleſiam viſitantibus &c. in feſtis dicti Altaris, & anniverſario Conſecrationis, atque feſtis de praecepto Eccleſiae, conceſſit 40. dies Indulgentiae pro parte ſua, totidemque nomine Udalrici Liechtenſtaineri Epiſcopi Tridentini. Eodem anno 1502. die 12. Junii dedicavit Eccleſiam S. Mauri memoratae Parochiae Pinetanae. Anno 1506. die 23. Aug. erogavit 40. dies Indulgentiae pro parte ſua, & 40. alios pro parte *Georgii Naidecher* Epiſcopi Trid., viſitantibus &c. Altare ab ſe dicatum *S. Floriano in Capella S. Zenonis in Aldeno Plebis S. Mariae Villae*, nedum in ejuſdem Dedicationis anniverſario die, adfixo feſtivitati S. Floriani, ſed etiam in feſtis Reliquiarum in eodem Altari conditarum, videlicet *SS. MM. Siſinii, Martyrii, Alexandri, & Floriani, ac Filaſtri Epiſcopi*. Vidi hujus Suffraganei Sigillum, praeferens ultra nonnulla alia ſymbola, Eccleſiae figuram, cum Leone. Vidi quoque Tridenti in Eccleſiae Majoris medio ejus Sepulcrum, cum anaglyptica Effigie, ac Coenotaphio ſequentis tenoris:

MCCCCCII.

MCCCCCII. Idibus Maiis
Episcopus. Drivastensis
Franciscus. ab Ecclesia
Mediolanensis. Thesini
Comendatarius. ac in
Pontificalibus Epi Tridentini
D. Udalrici Litistain Vic.
sibi Successoribusq.
Suffraganeis hoc vivens
dicavit Sepulchrum.
Hobit Hotava Sep.

XVI. MICHAEL Jorba, Episcopus Archusensis, dictus quoque Argolicensis, fuit Suffraganeus Tridenti a die 8. Julii anni 1510. Anno 1511. die 14. Apr. a *Georgio* Episcopo Trid. fuit investitus, ut ajunt, de Parochiali Ecclesia S. Andreae de Paho, vacante per mortem *Joannis Verberi* Argentinensis. Ejusdem Suffraganei memoriam retinent tabulae Tridentinae, quas inspeximus, usque ad Cal. Martias anni 1517. Reperi ipsum obtinuisse quoque Parochialem Ecclesiam *Turris* in Anaunia. Porro eumdem *Michaëlem* fuisse filium *Francisci Jorbae Hispani*, ac primum Episcopum ex Ordine S. Hieronymi Congregationis B. Petri de Pisis adsumptum, nec non Suffraganeum, & Generalem in Spiritualibus Vicarium Episcopatus Vicentini, saltem usque ad an. 1529. accepimus nedum ex *Monumentis Histor. ejusdem Ord. & Congr.* a Cl. P. Jo. Bapt. Sajanello vulgatis To. 1. Lib. 3. pag. 338. ad an. 1513., verum etiam ex vetustioribus MSS. PP. *Bernardini Puccii & Caesaris Joannelli* apud A. R. P. M. Hieronymum Zambaldum Priorem Coenobii ejusdem Ordinis extra Ripam Tridenti, ubi dicit exstare Imaginem, licet arbitrariam, cum hujusmodi Epigraphe:

Rmus P. F. Micaël Jorba Hispanus
Ord. S. Hieronymi Congr. B. Petri de Pisis
postea Episcopus Arcusensis
& Suffraganeus Vincentiae.

Idem Praesul anno 1513. subscripsit Concilio Lateranensi quinto, in quo apud Labbeum appellatur quidem *Episcopus Archensis*; at legendum esse *Archusensis* monent tabulae nostrae indicatae, cum quibus plures aliae, a supra laudatis Scriptoribus in medium allatae, optime conveniunt. Neque eumdem *Archusensem* Episcopatum invenire difficile, ut quidam alias eruditissimus auctor putavit: *Archusa* enim locatur sub Me-

Metropolita Apameno in *Provinciali omn. Eccl. univ. Orbis* edito Romae an. 1543., ex quo videtur emendandum *Lexicon Geographicum* Philippi Ferrarii edit. 1675. pro *Arcbusa* subjiciens *Aretbusam*, pariter *Urbem Syriae Episc. sub Arcbiep. Apameno*. Episcopatus autem *Argolicensis*, cujus quoque titulum obtinuit *Michaël* noster, est in Peloponneso.

XVII. MARINUS SERACHO, Archiepiscopus Nauportensis, & Episcopus Coronensis, anno 1517. Vidi Literas *Bernardi* Episcopi Tridentini datas Tridenti an. 1520. die 16. Januarii, praesentibus D. *Antonio de Leudro*, Decretorum Doctore, Canonico Trid. & Vicario Generali, atque Michaële *Hess* Secretario ejusdem Episcopi, per quas committit Dominis Presbyteris *Joanni de Thisis*, Cardinalis SS. quatuor Coronatorum Capellano, & *Christano Stettnero*, Consistorii sui Notario, ut *Leoni* X. exhibeant annuam 200. Ducatorum auri Pensionem in favorem Domini Fratris *Augustini de Florentia*, Magistri in Theologia, & Procuratoris Generalis Ordinis Servorum B. M. V., dummodo creetur Episcopus, & quoad vixerit Suffraganei munere in Civitate ac Dioecesi Tridentina fungatur. Nihil de hoc in Annalibus Ordinis praedicti, ex quibus solum constat, *Augustinum* fuisse acceptissimum *Julio II.*, & *Leoni X.*, atque mortalitatis debitum solvisse anno 1521. dum Procuratoris officium adhuc obiret.

XVIII. CY. DE CHARIS, appellatur Suffraganeus Tridenti, absque ullo alio titulo, in Literis anno 1520. die 5. Julii scriptis. Ampliorem ejus notitiam nobis exhibet Dominicus Antonius Contator apud Ughellum Coleti To. 1. col. 1300. dum ait *Cyprianum de Caris Episcopum Sidoniensem* (in Phoenicia) *translatum fuisse ad Terracinensem Ecclesiam die Veneris* 13. *Novemb. an.* 1534.

XIX. PHILIPPUS de Vechiis de Bononia, J. U. D., Archiepiscopus Naxiensis, Suffr. & Generalis in Spiritualibus Vicarius Trid. ad an. 1523. ac 1527. die 1. Octob. Fuit quoque Suffraganeus, & Locumtenens *Pauli Zane* Brixiensis Episcopi defuncti an. 1531., quemadmodum notat Faynus apud Ughellum Coleti To. 4. col. 559.

XX. HIERONYMUS Vascherius Carpensis, Ordinis Minorum Regularis Observantiae, Decretorum, ac Sacrae Theologiae Doctor, Episcopus Guardiensis sub Metropolita Beneventano, Suffraganeus, & in Spiritualibus Vicarius Generalis Tridenti ad an. 1528. & 1532. die 13. Dec., infra quod temporis spatium, nempe an. 1529. die 11. Octob. consecravit Altare S. Rochi, & Altare S. Antonii Abbatis in Capella, seu Ecclesia S. Laurentii de Meclo Plebis Clesiensis, una cum Coemeterio ejusdem Capellae: die autem 12. sequenti pariter consecravit dictam Capellam, cum Altari Majori in honorem S. Laurentii Martyris. Fuit Conservator Monasterii Tridentini S. Michaëlis Ordinis S. Clarae, una

una cum Canonico *Alberto de Enno*. Denique ad an. 1538. egit Suffraganeum *Andreae Cornelii* Brixiensis Episcopi. Quo anno autem vitam finierit ignoramus; unum hoc scientes, ejus ossa jacere in patrio S. Nicolai Templo ad sui Ordinis & Observantiae Fratres spectante, ubi juxta Divi Antonii Aram ab eodem erectam, haec prostat memoria:

Praesul Vascherias Aedes
Erexit & ipsum construxit
Tumulum quo omnia perficiat

Agunt de eo Gonzaga *de Orig. Seraph. Relig.* To. 1. part. 2. pag. m. 311., Waddingus in *Annal. Min.* ad an. 1449. n. 38. Ughellus in *Episcopis Guardiensibus* To. 8. part. 1. col. 298. edit. Colet. & in *Episcopis Brixien.* To. 4. col. 525., Henschenius in *Actis Sanctorum* To. 2. Febr. ad diem 16. pag. m. 886. Gradonicus in *Brixia Sacra* pag. 33., ubi in *anno* 1588. cubat typographicum mendum, ac Flaminius Parmensis To. 1. pag. 183. novissimi Operis inscripti: *Memorie Istoriche delle Chiese, e dei Conventi dei Frati Minori dell' Osservante, e Riformata Prov. di Bologna*. Sed heic dissimulandum non est, quod idem *Hieronymus* a duobus ex laudatis Scriptoribus *Uselenus* perperam cognominatur.

Anno 1537. mense Januario Protonotarius Sanchez, qui Romae degebat, a Card. *Bernardo* Tridentino Episcopo rogatus, quaerebat virum, qui ejusdem Antistitis Generalem in Pontificalibus, & Spiritualibus Vicarium agere vellet; invenit autem mense Februario *Renaldum Bracbarellum* Urbinatem, qui Perusii, ac Placentiae non sine laude Jurisprudentiam docuerat: sed hoc posthabito, delectus fuit sequens.

XXI. JOANNES VINCENTIUS Nigusantius, de Fano, Decretorum Doctor, Episcopus Arbensis (*in Dalmatia*) Suffraganeus, & Vicarius Generalis Trid. ad an. 1537. & 1539. die 8. Octobris. Eodem an. 1539. die 4. Martii dedicavit Altare SS. Sebastiani, Fabiani, & Rochi in Ecclesia S. Mariae de Meclo; & die 17. praefati mensis pro Card. *Bernardo Clesio* possessionem adiit Brixinensis Episcopatus: die autem 25. subsequuti Aprilis eidem collata fuit Ecclesia Parochialis S. Mariae Cavalesii in Valle Flemmarum. Interfuit Conciliis Generalibus Lateranensi V. & Tridentino. Teste Ughello To. 2. col. 670. creatus fuit Episcopus a *Leone* X., jussuque *Clementis* VII. adstitit a consiliis Card. *Hippolyto Mediceo* in Pannonica Legatione; ac *Venetiis S. Ignatium Loyolam Societatis Jesu Fundatorem Sacris initiavit &c.* Impense laudatur a Cl. Viro Petro Maria Amiano Par. 2. *delle Memorie Istoriche della Città di Fano* ad an. 1514 pag. 109., unde praeter alia discimus, fuisse ad Arbensem Ecclesiam promotum anno 1514, eamdemque annis 40. ad-

administrasse, ac meritis plenum anno aetatis suae 76., Christi vero 1573. vitae cursum clausisse. De eo agit quoque ad an. 1558. pag. 182.

Sub Oecumenici nostri Concilii tempora nullum invenire potuimus Suffraganeum Tridentinum, quamvis non lateat nos ab Episcopo *Christophoro Madrutio* ad id muneris fuisse delectos *Franciscum Malacarneum* Congregationis Somascenae Praepositum Generalem, qui non acceptavit, & an. 1543. die 7. Martii *Joannem Antonium Gallum* Mediolanensem, Card. *Joannis Moroni* Auditorem, & Protonotarium, quem quidem Vicarium in spiritualibus Generalem legimus appellatum, numquam vero Episcopum, aut Suffraganeum. Tertium an. 1547. Fr. *Sigismundum Thedrum Dirutanum Presbyterum Perusinae Civitatis, Ordinis Fratrum Minorum Theologum*, qui Conciones habuerat Tridenti in Quadragesima, & inter Theologos Concilii fuerat, coramque ipso Concilio e suggestu egregie dixerat, pro quo vidimus quidem Attestationes de doctrina, & moribus, sed nullum monumentum, a quo consecratus Episcopus perhibeatur. Imo reperi ipsum appellatum tantummodo *Venerabilem Fratrem Sigismundum Dirutam Theologiae Doctorem* in literis anno 1550. die 30. Maji exaratis, unde constat ab eo in Tridentina Ecclesia Cathedrali habitam fuisse *Orationem in honorem & laudem SS. Trinitatis*, cujus festum eo die celebrabatur. Igitur Suffraganei munus pro re nata tunc exercuisse modo hunc, modo illum ex ejusdem Concilii Episcopis arbitramur: constat enim anno 1546. die Dom. 15. Aug. dedicatam fuisse Ecclesiam S. Mariae de Basilica Plebis Pinetanae ab *Olao Magno* Archiepiscopo Upsalensi; anno 1550. circa initium Septembris ab Episcopo Castelli a Mari Confirmationis Sacramentum collatum fuisse 1500. Bulsanensibus, tuncque Aurae Parochum petiisse, ut ab eodem Episcopo Parochialis Ecclesia Aurensis dedicaretur. Memini quoque me legisse ab alio Concilii Praesule circa praefatum annum duo lateralia Altaria consecrata exstitisse in Ecclesia S. Bartholomaei Villazani apud Tridentum.

XXII. BLASIUS Aliprandinus, Episcopus Bellinensis, quo defuncto Cardinalis & Episcopus *Ludovicus* in suum Suffraganeum preelegit *Jacobum Benutium* J. U. D., olim suum Secretarium, tunc autem Parochialis Ecclesiae Calavinensis Rectorem, qui tamen consecrationis munus haud est consequutus vel post testimonium, quod super ejus qualitatibus, quibus erat ornatus, canonice reddidit *Franciscus Alexandrinus*, J. U. D., Canonicus, Consiliarius, & in spiritualibus Vicarius Generalis Tridenti sub datum *in Contrata S. Mariae Magdalenae in domo suae Residentiae anno* 1572. *Indict.* 15. *die Sab. primo mensis Martii.* Quidam *Blasius Aliprandinus de Leussen* constituitur Plebanus & Decanus Lincensis in Dioecesi Passaviensi ad an. 1609. a P. Sebastiano Inspruggero

gero S. J. in *Austria Mappis Geographicis distincta* part. 2. pag. 85.; sed iste vel alius fuit a nostro Suffraganeo, vel in *anno* 1609. latet error.

XXIII. GABRIEL Alexandreus, Bergomas, Ordinis Praedicatorum, S. Theol. Magister, Graecae, Latinae, aliarumque linguarum peritia, & eruditione clarus, a S. *Pio V.* electus Episcopus Gallesanus die 26. Aprilis an. 1566., dein evasit Suffraganeus, & Generalis in spiritualibus Vicarius Tridenti, in cujus Dioecesi anno 1573. die 5. Septembris consecravit Altare S. Romedii Confessoris in Ecclesia S. Mariae de Arsio, in quo reposuit Reliquias SS. Romedii, Nicolai, Silvestri, Laurentii, Vigilii, Sisinnii, Martyrii, & Alexandri, concessis *ex Apostolica auctoritate* diebus octuaginta Indulgentiae iis, qui die 3. Maji, Dedicationis Anniversario, illud Altare visitaverint. Anno 1578. Orationem habuit in funere Card. *Christophori Madrutii* anno 1588. typis editam Mediolani. Anno 1583. die 16. Nov. dedicavit Capellam cum ejus Altari in honorem SS. MM. Fabiani & Sebastiani in Vico Villae Montaneae supra Tridentum, adsignato die anniversario cum 80. dierum Indulgentia in festo eorumdem Martyrum 20. Januarii. Anno 1586. die 12. Maji dicavit Ecclesiam & Altare Majus S. Mariae in Villa *Mecheli* Plebis Clesiensis, & die 13. duo alia Altaria, alterum SS. Margaritae & Hippolyti, alterum vero SS. Fabiani & Sebastiani, in quo posuit Reliquias SS. Romedii, & aliorum. Anno 1588., quo primum ex *Sixti V.* indulto celebrari coepit in tota Tridentina Dioecesi festum cum Officio & Missa propriis de S. Simone Innocente ac Martyre Tridentino, idem Suffraganeus primas habuit in ter solemni Supplicatione, seu Processione, quae die 23. Martii peracta est, primusque die 24. in Ecclesia S. Petri Missam Pontificaliter de eodem Martyre celebravit. Anno 1593. die Sab. 23. Januarii consecravit Ecclesiam & Altare SS. Romedii & Barbarae in vico Runtii Plebis Ossanae, seu Volsanae Vallis Solis, translato die Anniversario cum 40. dierum Indulgentia in Dominicam primam post Ascensionem Domini. Facultatem autem erigendi praedictam Ecclesiam indulserat die 29. Aug. 1591. *Silvius de Prato*, Dominus Segonzani, Canonicus, & Vicarius Generalis Tridenti. Idem *Gabriel* nedum cognomento *Alexandrius*, & *Episcopus Galesanus*, sed etiam *Vicesgerens Brixinensis* appellatur in Monumento an. 1575. die 10. Januarii apud Cl. Antonium Roschmannum in Notitiis S. Valentini Passaviensis pag. 156. Obiit anno 1595. mense Septembri. Notandum vero, quod in nullo ex pluribus a nobis inspectis Monumentis laudatus *Gabriel* se se *Fratrem* aut *Regularem* manifestet (id quod in *Vascherio* quoque monere debueramus, quodque relate ad Scriptores improbat Philippus

lippus Bosquier Minorita in Prologo *Antiquitatum Franciscanarum* edit. Colon. 1623.) notitiam tamen ipsius professionis cum aliis quibusdam debemus eruditissimo viro Jacobo Echardo, qui de eo agit To. 2. *Scriptorum Ord. Praed.* pag. 314. ac seq., ubi inter ceteras ejus laudes refert, quod *a Christophoro Cardinali Madruccio Suffraganeus allectus, dum ille varias pro Summis Pontificibus, Regeque Catholico Legationes obiret, Gabriel Ecclesiam Tridentinam diligentissime administrabat, omnia boni Pastoris officia implens sedulo, haereticos aut convertens aut arcens, fideles ad pietatem verbo & exemplo informans.* PP. Bollandiani ad diem 24. Martii notant: *Quis sit* (Galesanus) *in partibus Infidelium Episcopatus (nam ab illis fere Suffraganeorum sive Chorepiscoporum tituli sumuntur) necdum divinamus.* Laudatus Echardus *verisimillimum* censet *Gabrielem* nostrum fuisse Antistitem Gallesii in Tuscia. Ejus tamen verisimilitudini obstat quod docet Cl. Nicolaus Coletus To. 10. *Ital. Sacrae* col. 109., videlicet illius Ecclesiae Episcopum fuisse *Hieronymum Garimbertum* ab anno 1562. usque ad an. 1575.

XXIV. PETRUS Bellus, de Condino, J. U. D. Episcopus Hieropolitanus, Canonicus, Consiliarius, Vicarius in spiritualibus Generalis, & Suffraganeus Trid., nec non Prior S. Mariae Campilii, qui anno 1611. die Lunae 17. Julii consecravit Ecclesiam, seu Capellam erectam in Castro Caldesii Plebis Maletanae in Valle Solis, cum Ara in memoriam Nativitatis B. M. V. ac SS. Francisci, & Antonii, in qua condidit Reliquias SS. Telanii Martyris, & Romedii Confessoris. Anno 1612. die 4. Octob. Altare Sacelli S. Sebastiani in Palatio novo Castri Boni Consilii Tridenti, inclusis in eo Reliquiis SS. Sebastiani Martyris, & Romedii Confessoris. Anno 1615. die 3. Julii ipse primus Divina celebravit super Altare erectum mense Junio ejusdem anni in Sacello B. M. V. praecedenti anno 1614. ad Lastas supra Tridentum ex asseribus constructo. Anno 1616 die Martis 15. Nov. dicavit Altare SS. Trinitatis, ac S. Francisci in Parochiali Ecclesia S. Sisinnii (vulgo *San Zeno*) in Anaunia, adhibitis Reliquiis SS. Simplicii Martyris, ac Romedii Confessoris. Anno 1618. die 10. Martii a Fr. Francisco Bernardino de Urceis novis Ordinis Minorum strictioris Observantiae Provinciae Brixiensis alumno, ac Provinciae Venetae S. Antonii Commissario, constitutus fuit Conservator Apostolicus Conventuum ejusdem Ordinis ac Reformationis in Tridentina Dioecesi erectorum. Vigilius de Vescovis in sua MS. *Historia Trid.* pag. m. 150. eumdem *Petrum Bellum* appellat *Virum eloquentissimum & Juris peritum*, subdens, quod anno 1630. *qui fuit ob pestem tota Lombardia insignis, Tridento ad Vallem Cavedini, declinandae pestiferae luis gratia, cum magna auri & argenti colati summa concessit, ubi seu*

taedio

taedio animi confectus, seu tabifera febre correptus, diem suum extremum apud Parochum ex Sorore nepotem, clausit. Corpus ibidem in Ecclesia Parochiali insepultum adhuc manet in Deposito, Consanguineorum ipsius perpetua ignominia, qui ingentes pecunias brevi tempore turpiter dilapidando, sepulturam pro maximo viri merito non curarunt. Ejusdem vero potissimum prudentiae debetur, quod Respublica toto eo tempore, quo Cardinalis ab Ecclesia absens fuit, pacatissima steterit. Ecclesiasticas personas in officio tenere studuit, vindex acerrimus in delinquentes, & illos praecipue, qui arma portare, comam nutrire, annulatos digitos habere, & tunicam parum Sacerdotali Ordini convenientem gerere consueverant. Viget in hodiernum diem (ante annum 1679., quo Vigilius obiit septuagenario major) *illius viri memoria, de re bene gesta apud omnes plane honorifica*. Impense commendatur quoque a Mariano in *Trento* pag. 340. Ab Anonymo autem Tridentino ceu vir in Jure Canonico insignis memoratur.

Post *Bellum*, & ante *Sinnerspergium* nullum inveni Tridentinum Suffraganeum: reperi tamen de Episcopi *Caroli Emmanuelis* licentia anno 1643. die 11. Octob. ab *Antonio Crosino*, Episcopo Bellinensi, Suffraganeoque Brixinensi, consecratam fuisse Ecclesiam S. Claudiae V. & M. Caldarii Ordinis FF. Minorum strictioris Observantiae: anno 1649. die 28. Julii a *Jesse Perchofero* similiter Episcopo Bellinensi, ac Suffraganeo Brixinensi, Altare *Sacrae Capellae S. Romedii Confessoris* in Scopulo, sive Eremo Ananiensi, Districtuque Paroeciae S. Sisinnii, adhibitis Reliquiis nedum praedicti *S. Romedii*, *& SS. MM. Sisinii*, *Martyrii*, *& Alexandri*, sed etiam *Sanctorum Ingenuini*, *Albuini*, *& Hartmani Episcoporum & Confessorum*. Reperi insuper eodem anno 1649. die 22. Aug. a praefato Episcopo *Perchofero* dedicatam fuisse Ecclesiam S. Antonii Patavini apud Clesium, Ordinis Minorum strictioris Observantiae, cum tribus Aris, in quibus praeter ceteras reconditae ab eo fuerunt Reliquiae *S. Sigilberti Regis*, ac *Sanctorum Albuini Episcopi & Confessoris*, *Hartmanni Episcopi & Confessoris*. Novi etiam consecratam anno 1651. die 2. Dec. Ecclesiam S. Rochi apud Roboretum, Ordinis praedicti, a Fratre *Simone Summa* ejusdem Instituti: tandemque anno 1667. mense Octobri dedicatum a praedicto *Perchofero* Altare SS. Sepulcri in Capella Unterpachiani Paroeciae Villandersanae.

XXV. GEORGIUS SIGISMUNDUS de Sinnersperg, Graecensis, cum ab an. 1679. esset Canonicus Tridentinus, innotuit nobis ceu Suffraganeus Tridentinus, & Episcopus Nicopolitanus ad an. 1694., quo, die 28. Octob. Capitulo Ecclesiae Cathedralis, Clero, populoque copiosissimo comitante, ab antiqua S. Bernardini Senensis Ecclesia in planitie juxta Fersinam fluvium sita, ad novam sub eodem titulo, una cum Coenobio pro FF. Minoribus strictioris Observantiae in Colle, ac loco,

qui

qui *la Torricella* vocitabatur, exstructam (cujus primum lapidem jussu Episcopi *Josephi Victorii* posuerat *Carolus Emmanuel Voltolinus* Vicarius Generalis) augustissimum Eucharistiae Sacramentum transtulit. Anno 1713. quaedam legavit Pahensi Fraternitati SS. Rosarii: 1716. alia Sodalitio Gardulensi SS. Sacramenti, & Doctrinae Christianae: anno 1717. auxit memoratum Pahense Legatum, alioque locupletavit Doctrinam Christianam Mattarelli. Denique dierum & bonorum operum plenus spiritum Deo reddidit Tridenti anno 1721. die 18. mensis Octobris, sepulturam adeptus in Ecclesia S. Crucis PP. Capuccinorum extra Portam Veronensem, in qua prope januam vidi lapidem nitidissimum, literisque inauratis sculptum, qui ejusdem Suffraganei perennem hanc servat memoriam:

D. O. M.
Georgio Sigismundo a Sinnerspergh
Germano
Epo Nicopolitano, Tridentino Can.co & Suffragan.co
Quod inter cætera eximiæ pietatis facinora
imbuendos Christiana Doctrina puerorum mores
stabili multis in locis munerum oblectamento
captaverit
Quodque in Dei cultum
Templorum nitorem, Pauperum subsidium
æris plurimum vivens impenderit
moriens in egenos totum effuderit
Hæres Inopum Plebs
Parenti suo undequaque illustri
grato mœrore parentat
Vix. An. LXXII. Obiit XVIII. Octob.
MDCCXXI.
Hospitio inter Capuccinorum cineres
sibi delecto.

XXVI. JOANNES MICHAEL WENCESLAUS Comes de Spaur & Valer, Episcopi Joan. Michaëlis ex fratre nepos, tertii Ordinis S. Francisci membrum, & an. 1701. Canonicus Tridentinus: an. 1707. Generalis in spiritualibus Vicarius: anno 1719. Canonicus quoque Brixinensis: anno 1722. in festo Pentecostes in Sacello Castri Medii Sancti Petri consecratur Episcopus Rhossenus, ac Suffraganeus Tridentinus adsumitur. Anno 1723. Prior S. Aegidii de Hospitali, & Archidiaconus

conus Tridenti. Eodem anno in festo Pentecostes Bulsani benedixit primum illius Ecclesiae Collegiatae Praepositum Infulatum Rudolphum Comitem Troyerum, de quo supra pag. 318., deindeque etiam sacras Ordinationes habuit. Tandem ex vomico morbo fere subita morte correptus est anno 1743. Vidi ejus Effigiem in praefato Castro Medii S. Petri cum Inscriptione:

Joannes Michaël Wenceslaus ex Comitibus a Spaur, Flavon & Valer, S. C. & Cath. Maj. Consiliarius intimus, Ecclesiarum Brixinensis & Tridentinae Canonicus, Episcopus Rhossenus, Vicarius Generalis ac Suffraganeus Tridenti.

XXVII. JO. GASPARUS Comes de Wolckenstein & Trosburg, Comitis Gaspari filius, & Episcopi Antonii Dominici nepos, Ecclesiae Tridentinae Canonicus ab an. 1701. Summus Scholasticus an. 1726. prius suscepta Doctoratus Laurea; dein Episcopus Traconae, Suffraganeus, & Consiliarius Tridenti, ubi etiam vitae suae finem imposuit pridie Idus Apr. 1744., aetatis suae anno 39., in Majori Templo, atque in domus suae sepulcro tumulatus, funebrem Orationem recitante Sacerdote Antonio Florio, postea Tignalis Archipresbytero, in qua ostendit: *Giangaspare come Uomo fu sempre pio: come Ecclesiastico fu dotto ed esemplare: e come Prelato fu umile e prudente.*

XXVIII. BARTHOLOMAEUS ANTONIUS Passius, de quo in superioribus Catalogis Decanorum, & Praepositorum, designatus Suffraganeus Tridentinus, sub titulo Episcopi Pellensis in Palaestina consecrationem suscepit Viennae in Austria die 25. Oct. 1744. a *Sigismundo* Comite *de Kollonitz*, Cardinali, & primo Archiepiscopo Viennensi: adsistentibus *Mauritio Carolo Adulpho* e Ducibus *Saxoniae Seitz* Episcopo Litomericensi in Bohemia, & *Francisco* Comite *Barkoczi* Episcopo Tanagrensi in partibus, dein Agriensi in Hungaria, nunc autem Archiepiscopo Strigoniensi, atque Hungariae Primate. Anno 1760. die 13. Julii Parochialem Ecclesiam S. Apollinaris juxta Tridentum ab se restauratam consecravit. Vivit adhuc, cujus praeclara facinora, pluraque egregie ab eo scripta, & edita posteris recensenda relinquimus.

CATALOGUS PRAEPOSITORUM

Ecclesiae Collegiatae Canonicorum Regularium S. Augustini in Burgo S. MICHAELIS AD ATHESIM supra Tridentum desumptus ex ejusdem Ecclesiae Archivio

A Gregorio Tasser ibidem Can. Reg. Lat.

1. Conradus I. anno 1145. primus Praepositus communi rogatu, & obtentu Canonicorum Cathedralium Tridentinensium ab Altmano Episcopo instituitur. *Vide sis Monument. Vol. 2. pag. 392.*
2. Engelbertus ab Alexandro Papa III. amplam Fundationis hujus Praepositurae Confirmationem obtinuit Venetiis anno 1177. *Bullam dedimus cit. Vol. 2. pag.* 458.
3. Vollandus anno 1209. 1224. *Vide supra pag.* 58., *Vol. 2. pag. 99. & 557. nec non Vol 3. part. 1. pag. 342.*
4. Olvradus, Olfradus, & Wolfradus anno 1251. 1256. *Vide cit. Vol. 2. pag. 586.*
5. Conradus II. 1259.
6. Guttmanus 1268. *adde &* 1270.
7. Henricus I. 1272. 1298.
8. Josephus 1298. 1325. *Vide Vol. 3. pag.* 195.
9. Fridericus de Brixina 1325. 1336.
10. Nicolaus de Michsina 1336. 1356. Adnotandum, *Nicolaum* hunc alium forte fuisse ab illo altero *Nicolao de Michsina* Canonico Scholastico Tridentino, qui Synodo Tridentinae die 14. Jan. anno 1336. celebratae interfuit, prout etiam in Supplem. ad Concilia Germaniae Joan. Frid. Schannat To. 4. notatur; nam difficulter ex Canonico Saeculari nondum anno expleto poterat esse Canonicus Regularis, ac etiam Praepositus noster. *Vide supra* pag. 280.
11. Henricus II. de Leuntio 1358. 1365.
12. Franciscus de Freyberg de Terra Theutonica 1367. 1374.
13. Joannes I. de Gurchk, & de Austria, ac de Stiria 1375. 1379.
14. Petrus de Brunek 1382. 1404.
15. Jacobus de Bavaria 1404. 1416. Is erat primus Praepositus Mitratus.
16. Martinus 1416. 1421.
17. Magister Joannes II. Ylsung 1423. 1425.

18.

18. Henricus III. Krebs de Bavaria 1426. 1431.
19. Christophorus 1432.
20. Joannes III. Koberger de Bamberga 1435. 1436.
21. Vitus Machinger 1440. 1443.
22. Conradus III. de Brixina 1444. 1470.
23. Andreas Vilser de Hochenberg ex Bavaria 1470. 1476.
24. Georgius Amort de Avisio 1476. 1488. Antea Decanus.
25. Simon Scheffer, Schreffer, vel Strefer de Materay 1488. 1498.
26. Sebastianus Voglbah 1499. resignat 1523. moritur 1528.
27. Wolfgangus I. Strober de Bavaria Coadjutor 1523. Praepositus benedictus 1528. 1529.
28. Joannes IV. Aichenfelder de Pergino 1530. 1547.
29. Paulus Ganser de Faedo 1548. 1570.
30. Joannes V. Philippinus de Thunn 1570. 1577.
31. Wolfgangus II. Wattenhofer de Pergino 1577. 1596.
32. Maximilianus Oliva Oenipontanus 1596. moritur 1603.
33. Leonardus Pokmayr Frisingensis Coadjutor, & benedicitur 1603. accipit possessionem temporalis regiminis 1604. moritur 1623.
34. Thomas Zigainer de S. Michaële 1623. moritur 1656.
35. Carolus Barbi de Coredo 1657. moritur 1659.
36. Antonius Quetta de Liliis Tridentinus, Administrator 1660. Praepositus 1663. Obtinet nostrae Praepositurae Aggregationem ad Congregationem Lateranensem anno 1688. licet jam praemortuus fuerit anno 1686.
37. Adamus a Theittenhofen de Dissen prope Bulsanum 1686. moritur 1715.
38. Isidorus Pilati de Tassulo Ananiensis 1716. moritur 1733.
39. Benedictus Fedeli de Burgo Ausugii 1733. moritur 1742.
40. Ignatius Kranabiter Oenipontanus 1742. *Vivit zelo regularis disciplinae ac literis clarus.*

CATALOGUS PRAEPOSITORUM

Ecclesiae Collegiatae Canonicorum Regularium S. Augustini olim in AUGIA, nunc ad Portam Clausam B. M. Virginis in GRIES prope Bulsanum digestus

A Gallo Mayrhofer C. R. L. in Gries.

1. HEnricus ex Professo Can. Reg. S. Aug. Claustri Neoburgensis in Austria institutus primus Praepositus in Augia. Impetravit Anno 1167. ab Alexandro PP. III. Bullam Confirmationis dicti Monasterii Augiensis. *Vide, si lubet, Vol. 3. Part. 1. pag. 165. & seqq.* 173. 177. 191. 199. 204. 216. 218. 239. 248. 273.
2. Joannes.
3. Dytmarus.
4. Udalricus.
5. Conradus. Obiit 1222.
6. Gotshalcus. Obiit 1234.
7. Octagrus. Obiit 1245.
8. Bernherus. Obiit 1264.
9. Henricus II. Mulser. Obiit 1292.
10. Englmarus. Obiit 1295.
11. Leopoldus. Obiit 1299.
12. Henricus III. Obiit 1302.
13. Dyetricus. Obiit 1305.
14. Berchtoldus Maiser. Obiit 1329.
15. Henricus IV. Obiit 1341.
16. Joannes II. de Suneburg. Obiit 1354.
17. Dyetricus II. Obiit 1361.
18. Joannes III. Obiit 1385.
19. Joannes IV. ultimus Praepositus in Augia. Obiit 1408.
20. Christophorus, primus Praepositus in Gries. Hic Bullam Pontificiam super Translatione Monasterii Augiensis ad Burgam Ducalem in Gries, nec non usum Mitrae, & Pontificalium impetravit a Joanne PP. XXIII., postmodum a Martino PP. V. & Nicolao V. confirmatam. Obiit 1417.
21. Jacobus. Obiit 1433.
22. Joannes V. Wirsung. Obiit 1438.
23. Joannes VI. Obiit 1439.
24. Hartungus. Obiit 1455.

25. Conradus II. Obiit 1461.
26. Wilhelmus. Obiit 1462.
27. Joannes VII. Saler. Obiit 1467.
28. Joannes VIII. Brichsner. Obiit 1477.
29. Georgius Reichsdorffer. Obiit 1491.
30. Henricus V. Obiit 1503.
31. Matthaeus. Obiit 1506.
32. Leonardus Gvving. Obiit 1512.
33. Ambrosius. Obiit 1512.
34. Joannes IX. Obiit 1515.
35. Melchior Barth. Obiit 1521.
36. Albertus. Obiit 1532.
37. Hippolytus. Obiit 1533.
38. Casparus Trester. Obiit 1539.
39. Augustinus Perzl. Obiit 1543.
40. Joannes X. Obiit 1566.
41. Leonardus II. Widman. Obiit 1571.
42. Paulus Schretter. Obiit 1596.
43. Conradus III. Seyfrid. Obiit 1596.
44. Nicolaus Schueller. Obiit 1621.
45. Balthasarus Baur. Obiit 1638.
46. Matthias Braun. Resignavit Praelaturam 1656.
47. Joan. Chrysost. Haberle ab Haberspurg de Brixina, Postulatus ex Collegio Neocellensi. Obiit 1674.
48. Jacobus de Fridericis. Obiit 1695.
49. Gregorius Thayrer. Obiit 1698.
50. Franciscus Josephus Schaiter a Lebmonsegg, Abbas Jubilaeus: Obtinuit anno 1699. ab Athanasio Clappinio tunc Abbate Generali Litteras Aggregationis ad Congregationem Lateranensem, subin procurante Ascanio de Varesiis pariter Abbate Generali Lateranensi anno 1728. per Benedictum XIII. Diplomate Pontificio confirmatas. Obiit 1752. Die ultima Decembris.
51. Albertus Martinus Prackh ab Asch. *Vivit pietate ac doctrina conspicuus.*

CA-

CATALOGUS MSS. CODICUM TRIDENTI

IN BIBLIOTHECA, SECRETIORIQUE TABULARIO EPISCOPALI,

NEC NON

IN BIBLIOTHECA CAPITULARI ASSERVATORUM.

INDEX SCRIPTORUM.

Pom-





IN BIBLIOTHECA EPISCOPALI

RECENSENTE · VIRO CLARISSIMO

JOANNE BENEDICTO GENTILOTTO.



UM. 1. Codex membranaceus in folio majori, cujus initium & finis desunt. Continet Antiphonas cum Notis musicis.

2. Codex membr. in fol. caracteris Longobardici, estque Apparatus *Innocentii quarti* super Lib. Decretal. In initio Operis cernitur figura unius Episcopi Vestes Pontificales induti, Mitraque decussata tecti, atque sedentis in Cathedra simili illarum, quas Heineccius in Differt. de Sigillis part. 1. cap. 13. n. 6. describit. Quatuor circum Episcopum visuntur figurae, quarum duae militum stantium sunt, reliquae vero duae Cardinalium in rubeo amictu ante Episcopum genuflexorum. In corpore Voluminis reperiuntur etiam Notae alterius caracteris, & in prima pagina scripti sunt versus aliquot complexiones hominum exprimentes.

3. Codex Chartaceus in folio, in quo sunt variae controversiae *Antonii Roselli* de Electione, & Authoritate Pontificis, de Conciliis, Imperatore &c. Quo tempore fuerint conscriptae, indicat finis libri, qui talis est: „ Concludamus igitur Romanum Imperium juste esse apud „ Germanos, & per consequens in nostrum Monarcham justissimum *Fe-* „ *derichum*, cujus vota Deus aeternus prosperet, feliciter, & perpetue „ fecundet. “

4. & 5. Codd. Chartacei in folio continent M. *Henrici de Hassia* Commentarios in Prol. Scripturae Sacrae, & Genesim. (a)

6. Cod.

(a) In MS. Catalogo Clesiano, id est recensente Libros manuscriptos, & impressos ante an. 1539. tempore Card, & Episcopi *Bernardi Clesii* in Tridentina Episcopali Bibliotheca exstantes, refertur: 1. *Magister Heinricus de Hassia super Prologis Bibliae, ac prima parte Genesis.* 2. *Ejusdem super secunda, & tertia parte Genesis. MS. Cb.*

6. Cod. Chartaceus in folio, in quo scripta sunt sequentia: I. Repertorium *Jo. de Milio* conscriptum anno MCCCCLVIII. terminatumque die VIII. Mensis Januarii. In cujus fine sequentia carmina leguntur:

„ Laus tibi sit Christe, quoniam liber explicit iste,
„ Quem cito finivit, qui male scribere scivit,
„ De Dorpten (a) natus Joannes ipse vocatus
„ Lyvoniae terrae, ipsum velint Angeli ferre
„ Ad viamque Coeli, ac grandia gaudia Deli,
„ Urbe Tridenti ipsum scripsit de recenti,
„ Ipsum nanque dictus Joannes, ac nominatus
„ De Milio Patriae edidit Ytaliae:
„ Quem ob laborem suum Deus atque dolorem,
„ Ad Coelum sistat cum Sanctis ubi triumphat,
„ Quod parare velit qui cuncta sidera regit. "

II. *Jacobi de Zocbis* Ferrariensis in Studio Patavino antecessoris Repetitiones in Jus Canonicum.

III. *Joannis de Lyvonia*, vel uti in initio, sed alio caractere scriptum legitur, *de Lignano*, tractatus de Ecclesiastico Interdicto.

7. Cod. Membran. in folio caracteris Longobardici continet Sermones in S. Joannis Evangelium, cujus textus rubeo colore pictus est. In prima etiam pagella variae visuntur figurae.

8. 9. 10. 11. 12. Codd. Chartacei in folio, in quibus scripti sunt *Pauli de Castro* Commentarii in L. libros Pandectarum.

13. Cod. Chartaceus in folio caracteris non adeo legibilis, suntque in eodem, quae sequuntur:

I. *Angeli de Castro* Recollecta super princip. primi Libri Decretalium. In initio hujus Operis ita notatum reperitur: *Repetita sub Clariss. Juris utriusque Doctore Domino Angelo de Castro in Studio Patavino, incipiendo die Lunae* 13. *Januarii* 1449.

II. Repetitiones *Ant. de Rosellis* in primum Librum Decretalium, incipiendo a titulo de Filiis Presbyterorum usque ad finem ejusdem Libri. In principio hujus Operis ita legitur: *Incoepta die xxvj. Octobris anno XLI. in Studio Patavino per Dominum Ant. de Rosellis Lectorem ordinarium in Jure Canonico ibidem*. In fine vero: *Et est finis Deo Laus in mense Augusti* 1442.

III.

(a) *Dorsten*, non *Dorpten*, mihi innotuit; a Trithemio enim in lib. de Scriptor. Eccl. n. 853. laudatur *Joannes de Dorsten natione Teutonicus Ord. FF. Herem. S. Aug.* clarus an. 1475.

III. Commentarii *Jacobi de Zochis* in III. Librum Decretalium, in quorum fine ita scriptum est: *Die XIII. Mensis Augusti anno* 44. *in almo Studio Paduano repetita per Dominum Jacobum de Zochis*.

14. Cod. Chartaceus in folio continens:

I. Anonymi Commentarios in Lib. IV. Decretalium, in quorum fine ita notatur: „ Et est finis Deo sit laus in mense Augusto „ 1442. tempore, quo Dominus meus Pataviensis erat in balneis Ytaliae apud Bononiam, & reverterer ad propria, ac jam essem apud „ Civitatem Venetiarum. "

II. Reportata in V. Librum Decretalium Domini *Leonbardi de Baziolis* conscripta in Studio Patavino anno 1440. per *Johannem*, puto legendum, *Hinderbach*, hoc enim erasum fuit.

15. Codex pariter Chartaceus in folio, & continet Commentarios partim *Antonii Roselli*, partim alterius Patavini Professoris nomine *Prosdocimi* (a) in Decretales. Librum hunc manu *Joannis Hinderbach*, postea Episcopi Tridentini, exaratum fuisse, docet sequens nota, quae in initio statim reperitur:

„ In Christi nomine incipio reportare aliqua per famosissimum Studii „ nostri Monarcham Doctorem utriusque Juris D. *Anthonium de Rosellis* „ de Aretio ordinarium Lectorem in Jure Canonico in florentissimo „ Studio Paduano super II. libro Decretalium. *Johannes Hinderbach* „ anno Domini 1442. in initio studii de mense Octobris. "

Cum superius recensiti Codices incipiendo a n. 8. ejusdem caracteris sint cum isto: idcirco omnes a praedicto *Joanne Hinderbach* in Studio Patavino tunc temporis Juribus operam dante, scriptos fuisse autumo.

16. Codex Membranaceus in folio caracteris sat vetusti; desunt enim puncta super i; & s. finalia scripta sunt ad normam eorum, quae saeculo Carolino in usu erant. Litterae initiales rubei coloris sunt, uti & rubricae. Sunt in hoc Volumine Proverbia Salomonis, & Libri Ecclesiastis, & Ecclesiastici. In fine ita scriptum est: *Ansaldus Placentinus de titulo Sancti Sixti scripsit hunc Librum*.

17. Codex Membran. in folio continens:

I. *Guillelmi Mandagoti* libellum de electionibus. (b)

II. *Aegidii* Ordinem Judiciarium (c)

18. Co-

(a) Vir Cl. Nicolaus Comnenus Papadopoli in *Historia Gymnasii Patavini* To. 1. L. 3. Sect. 1. c. 8. n. 38. Professoribus Patavinis Juris Canonici ad an. 1448. accenset *Prosdocimum Comitem*, *vel potius de Comitibus Patavinis*. Ex ejus Operibus editis memorat *Commentaria in VI. Decretalium*, quae tamen se non vidisse fatetur.

(b) In hoc Codice incipit: *Venerabili Viro discretione, scientia & moribus multipliciter radianti Magistro suo Karissimo Domino Berengario Fredoli Succentori Ecclesiae Biterrensis, Domini Papae Capellano, & Doctori facundissimo Decretorum, Guillelmus de Mandagoto Archidiaconus Nemausensis &c.* Uterque tandem fuit Cardinalitia purpura decoratus.

(c) Vide infra Cod. 36.

18. Codex Membran. in folio, estque Decretum *Gratiani* vetusti, sed venusti caracteris. Litterae initiales variis sunt coloribus pictae.

19. Codex Membranaceus in folio caracteris Longobardici. Litterae initiales fere omnes sunt deauratae, egregieque pictae. Continet *Fratris Ricardi Pictaviensis Ordinis Cluniacensis Chronicon*, (a) habetque varias notas marginales Episcopi *Joannis Hinderbach*, cujus etiam manu in prima libri pagella scriptum reperitur, ut sequitur: „ Iste liber fuit „ olim *Ladislai* filii *Alberti* Ducis Austriae, & Romanorum, Hungaro- „ rum, & Bohemiae Regis, & *Elisabet* filiae Sigismundi filii Karoli IV. „ suprascriptorum Regnorum, qui Praedecessori nostro Domino *Georgio* „ *Hok* de Slesia donatus in distributione rerum suarum mobilium, & „ Clenodiorum. " Sequuntur aliqua, quae legi non possunt: deinde: 1457. *tempore Julii*.

20. Codex membranaceus in folio continens, uti dicitur in ejusdem initio, Sermones *S. Augustini*. Notas etiam habet marginales, quae videntur esse Episcopi Joannis Hinderbach.

21. Codex membranaceus in folio, estque Breviarium Romanum eleganter exaratum, cujus litterae initiales auro variisque coloribus ornatae sunt. In initio hujus reperitur Kalendarium, in quo praeter complures historicas notas, scripti sunt etiam unus vel plures versiculi probos, malosque cujuslibet mensis dies denotantes, atque in prima Voluminis pagina manu Episcopi *Joannis* ita scriptum est: *Iste liber fuit olim Domini Georgii de Liectenstein Episcopi Tridentini*. Sequuntur aliqua, quae legi difficulter possunt.

22. 23. Codices membranacei in folio continentes Breviarium in duas partes divisum. Litterae initiales sunt deauratae; praeponuntur etiam utrique Kalendaria cum notis historicis, & in principio cujuslibet scriptum reperitur ut sequitur:

„ Nota quod in his duobus libris continentur multae Historiae spe- „ ciales Sanctorum, quas Breviarium Pataviense non ponit; potest ta- „ men eas quis dicere ex devotione si vult. " Manu vero Joannis Hinderbach notatum in utroque pariter est ita: „ Hunc librum Horarum „ cum alia parte ejusdem quantitatis, & formae emi pro 34. Florenis „ Ungaricalibus, & fuerunt quondam Domini *Wilhelmi Tües* Praepositi „ S. Stephani Wien. qui obiit anno Domini 1439. &c. *Johannes Hin-* „ *derbach* Plebanus in Medling manu propria. " Reperiuntur & alia ejusdem in his libris notata, sed quae difficulter legi possunt.

24. Co-

(a) Hocce Chronicon allegat Martinus Polonus O. P. Incipit: *Deus ab aeterno est*.

24. Codex membranaceus in folio vetustus admodum, sed male conservatus; videntur enim in principio aliqua deesse, & propter antiquitatem aliquibus in locis litterae evanuerunt. Sunt in eo variae Lectiones, & Homiliae B. *Gregorii*, Ven. *Bedae*, aliorumque in Evangelia.

25. Codex membranaceus in folio continens Vitas plurium Sanctorum. In fine ejusdem manu Episcopi *Johannis Hinderbach* scriptum est: „ Hic liber repertus est apud quemdam Hebraeum, qui venit huc „ de Brixia, seu ejus Territorio habitatum, impignoratus sibi, ut as- „ seruit, in illis partibus, quem veluti Ecclesiasticum, & Sacris dedi- „ catum, de statione, ac manibus ejusdem eripuimus, deinceps Eccle- „ siae, ac usibus nostris servandum, aut si legitime constiterit cujus „ Ecclesiae in illis partibus fuerit, restituendum. 1470. Joannes Epi- „ scopus Tridentinus manu propria scripsit. “

26. Codex membranaceus in folio, in quo sunt Canon Missae, Praefationes, aliaeque preces, caractere sat magno, ad usum verisimiliter Episcopi alicujus conscriptae.

27. Cod. membr. in folio continens *Aurelii Cassiodori* libros variarum. In fine additur etiam Copia Bullae *Pii II.* pro Cruce signatis.

28. Cod. membr. in folio, quid contineat, cujusque sit authoris sequentia, quae in initio Operis scripta reperiuntur satis indicant: omissis &c. „ Ego *Joannes de Mussis* de Placentia (a) Provinciae Lom- „ bardiae Regionis Ytaliae, septuagenarius, natus quondam Nicolai „ Manfr. de familia antiqua magis quam clara, gratia suffragante divi- „ na hunc librum diutinis laboribus fabricatum de pluribus historiis, „ ac aliis variis aggregatum &c. *& infra &c.* ab anno Adam usque ad „ annum Christi MCCCC. de omnibus notabilibus Mundi historiis per „ successiones temporum, & de omnibus aliis digne notis, quae undi- „ que fuerunt, & in orbe consistunt, in hoc libri Volumine plenissime „ lector invenies &c. “ In fine istius Voluminis reperitur etiam Epitaphium *Joannis Vice-Comitis* Archiepiscopi Mediolanensis, & Ducis.

29. Cod. Membr. in folio, estque Breviarium Fratrum Minorum eleganter admodum scriptum, in cujus prima pagina post Kalendarium praeter IV. Evangelistarum figuras, visuntur etiam Insignia *Bernardi Clesii* Card. & Episcopi Tridentini, cujus caractere ita quoque in principio notatum invenitur: „ Breviarium hoc emimus Augustae Vindelicorum

„ anno

(a) Ejusdem *Joannis de Mussis* Chronicon Placentinum vulgavit celeberrimus vir Lud. Ant. Muratorius To. 16. *Scriptor. Rer. Italic.* col. 447. & seqq. Nostrum tamen Codicem Tridentinum multo esse auctiorem, patet ex supra relatis.

„ anno 1530. Flor. 8., quo anno Carolus V. Imperator ibidem Conventum Imperialem, & praecipue contra Luteranos celebravit, in quo „ & nos non parum insudavimus. *Bernardus* Card. Trid. “

30. Cod. Chartaceus in folio sat venusti, & veteris caracteris, optimeque conservatus. Litterae initiales deauratae sunt, continetque *Lactantii Firmiani* libros Divinarum Institutionum, de Dei Opificio, & de Ira Dei.

31. Cod. Membran. in folio, estque Commentarius *Servii Grammatici* in *Virgilii Maronis* Opera. Caracter hujus Voluminis est valde antiquus, & similis illius, qui Saeculo Carolingico in usu erat, sed folia nonnulla alterius, & quidem recentioris sunt caracteris, videnturque in locum antiquiorum, & deperditorum surrogata.

32. Cod. Membr. in folio sat bene conservatus, suntque in eodem *Petri Blesensis* Opuscula.

33. Cod. Membr. in folio, quid in eodem contineatur sequentia ab Episcopo *Johanne Hinderbach* scripta indicant: „ Hic continentur infrascriptae Historiae notatae. Primo Historia S. *Stanislai* Episcopi „ Cracoviensis, & Martyris. Secundo Historia S. *Adalberti* Episcopi & „ Martyris Pragensis. Tertio Historia S. *Hedvvigis* Viduae Ducissae „ Slesiae; quarum primae duae descriptae, ac notatae sunt, ac festa „ eorum instituta per illustrem Principem ex genere Ducum Mazoviae, „ ac Genealogia Regum Poloniae Dominum *Alexandrum* Episcopum Trident. S. R. E. Cardinalem S. Laurentii in Damaso, ac Patriarcham „ Aquilegiensem in Concilio Basileensi creatum. Tertia vero per Dominum *Georgium Hocke*, ex nobili prosapia Ducatus Slesiae oriundum, „ praefati Domini Alexandri Successorem, & immediatum Praedecessorem nostrum, ex partibus Slesiae in papyro huc transmissa, & jussu „ nostro in pergameno descripta, & notata ad futuram dictorum Praedecessorum nostrorum memoriam. Johannes Hinderbach eorumdem „ Successor indignus propria manu subscripsit, & in eorum memoriam „ in Capella Episcopali seu Kathedrali Ecclesia conservari, & singulis „ annis eorum festa agi constituit, saltem a Clero in Divinis Laudibus „ & Horis Canonicis ad meritum coelestis gratiae, ac impetrandae veniae persolvendis. “ In fine etiam Voluminis praeter versus nonnullos de Diva Hedvvige, & alia ab eodem Episcopo Joanne notata, ita scriptum legitur: *Martinus Rautenstock de Campidona scripsit, & notavit.* (a)

(a) Operae pretium fore ducimus omnia, quae ibidem rubro charactere notata reperimus, in medium proferre. Nam posteaquam memoriae proditum, praefatos Versus, qui *Rhithmici* sunt, in laudem nedum S. *Hedvvigis*, sed & nostri Episcopi *Georgii* concinnatos fuisse *per quondam* Ma-

34. Cod. Chartac. in folio, inscriIbiturque *Situs & descriptio orbis terrarum*. Character ejusdem est a principio usque in finem totus Germanicus, quamvis liber latina lingua compositus sit. In initio statim manu *Bernardi Clesii* ita notatum est: „ Librum hunc satis incorrectum, „ incorrecte etiam est jussu nostro transcriptum ex antiquo exemplari „ reperto in Bibliotheca Capitulari Spirensi, dum ibi essemus cum Sere- „ nissimo Rege Ferdinando &c. in Conventu Imperiali anno 1529. Ber- „ nardus Episcopus Tridentinus. "

35. Cod. Chartac. in folio bene conservatus continet Acta Concilii Constantiensis, & Basileensis.

36. Cod. Membr. in folio, estque *Aegidii* Ordo Judiciarius. (a)

37. Cod. Membr. in folio difficilis ob frequentes, & insuetatas abbreviaturas lectionis. Quantum colligi potuit, est Commentarius cujusdam Magistri *Stephani* in lib. Ethicorum Aristotelis anno 1340. conscriptus. (b)

38. Cod. Membr. in folio belle descriptus. Continet *Petri Presbyteri Trecensis* Scholasticam Historiam. Librum hunc fuisse Episcopi *Friderici de Wanga* testatur nota facta ab Episcopo Joanne Hinderbach in initio ejusdem.

39. Cod.

Magistrum Petrum de VVartenberg, Canonum Doctorem, & Canonicum Ecclesiae VVratislaviensis, subditur: „ qui hanc Legendam sive Historiam notatam in Papiro de sanctitate atque canonisa- „ tione Beatae *Hedvvigis* Viduae olim Ducissae Slesiae, quondam praefato Domino *Georgio* Episco- „ po, cognominato *Hocke* ex Nobilibus militaribus de *Themesvvald* prope Opidum .... *munster* „ dicti Ducatus Slesiae oriundo, proximo Praedecessori nostro transmisit, qui quidem Praedeces- „ sor noster Festum solempniter celebrari, ac eandem Historiam suis temporibus in Ecclesia Tri- „ dentina singulis annis decantari statuit, quemadmodum etiam Illustrissimus Dominus *Alexan-* „ *der* ex nobilissima stirpe Ducum Mazoviae, sive *Amazonum*, Regni Poloniae progenitus, & „ hujus Ecclesiae nostrae Episcopus, Cardinalis, & Patriarcha Aquilegiensis tempore Schismatis „ Basileensis Concilii, de festivitatibus Beatorum *Adalberti*, ac *Stanislai* Episcoporum ac Marty- „ rum in suis *Statutis Synodalibus* fieri praeceperat, & easdem scribi & notari fecerat. Sed ipsis „ decedentibus, negligentia eorum, qui Choro Ecclesiae praesunt, intermissae sunt, & minime „ decantatae. " Hucusque infrascriptus Episcopus, scribente *Rautenstochio*, qui addit: „ quam „ Historiam S. Hedvvigis in Carta pergamena conscribi, ac in uno Volumine una cum aliis dua- „ bus colligari fecit Reverendus in Christo Pater Dominus *Johannes Hinderpach*, Decretorum „ Doctor, de partibus Hassiae oriundus, utriusque linguae tam Latinae, quam Germanicae „ gnarus, ac peritus, Serenissimi ac invictissimi Principis Domini *Friderici* Imperatoris Augusti „ Consiliarius, olim Serenissimae ac divae memoriae Dominae Heleonorae Romanorum Impera- „ tricis Cancellarius, quibus etiam *Historiam Beatae Elisabeth* Lantgrafiae Thuringiae, ac Hassiae „ Principissae, compatriotae suae, annectendam decrevit, quamvis illa communiter in Antipho- „ nariis, ac Gradualibus Ecclesiae modernioribus, & praecipue *Capellae Episcopalis Castri Bonicon-* „ *silii* inserta sit, & habeatur. Actum Anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo- „ tertio, quo idem Dominus *Episcopus gravi aegritudine laboravit*, sed divina gratia, & per San- „ ctorum Suffragia liberatus fuit. Cui Dominus Omnipotens, & Beatus Vigilius, longaevam „ concedant vitam. Amen. Martinus de Rautenstoch de Campidona scripsit & notavit. "

(a) Incipit: *In nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Egidius de Foscarariis Civis Bononiensis, Doctor Decretorum, licet indignus, ad instantiam quorundam nostrorum Scholarium, & ad eruditionem novitiorum Advocatorum militantium in Jure Canonico &c.* In aliis MSS. Codd. appellatur de *Fuscariis*.

(b) Forte iste *Magister Stephanus* fuit *F. Stephanus de Reate* Ord. Praed., qui, uti Cl. P. Jac. Echardus To. 1. *Scrip. Ord. Praed.* pag. 659. & seq conjectat, floruit post an. 1323. & ante an. 1367., namque Aristotelicis studiis addictum indicant quae illi tribuuntur *Commentaria super veterem Artem Aristotelis, & super octo libros Physicorum ejusdem*.

39. Codex Chartac. in folio; quid in hoc reperiatur, sequens nota, quae in compactura scripta est, docet: „ MCCCCLXI. in isto li-„ bro continetur Copia Missalis secundum Curiam Romanam, incipien-„ do a prima Dominica Adventus usque ad Dominicam de Passione, „ justa, & bene distincta, & completa, ut liquet per ordinem intuenti, „ & examinanti, intelligenti, & sapienti. "

40. Cod. Chartac. in folio continet Domini *Nicolai Dinckelspuchel* Quaestiones in IV. libr. Sententiarum. (a)

41. Cod. Chartac. in folio, in quo sunt primo Commentarii *Julii Caesaris* de Bello Gallico. Deinde Gesta S. *Quirini* Regis & Mart., quibus adduntur Odae, & Eclogae nonnullae, quarum titulus: *Quirinalia Metelli de laudibus B. Quirini Martyris*, & istae uti legitur in fine, scriptae fuerunt anno Domini 1475. Cernuntur etiam in toto hoc Volumine notae nonnullae marginales caracteris Episcopi *Joannis Hinderbach*.

42. Cod. Membr. in folio bonae notae, & bene conservatus continet Vitas M. Antonii, Pyrrhi, Pompaei, M. T. Ciceronis, Demostenis, Q. Sertorii, Catonis Uticensis, P. Emilii, Tiberii & Gaii, Virgilii Maronis, Romuli, Alexandri Magni, C. Julii Caesaris, Pelopidae, M. Claudii Marcelli, Dyonis & Bruti. Haec tamen postrema non est integra, sed desunt in fine aliqua. Vitas has ex Graecis *Plutarchi* latinas fecerunt partim *Leonardus Aretinus*, partim *Guarinus Veronensis*, aliique.

43. Cod. Chartac. in folio, in quo sunt sequentia: I. *Joannis Hinderbach* Episcopi Tridentini Historia rerum gestarum a Federico Imperatore, quem ipse III. appellat, sive Continuatio Historiae Australis *Aeneae Silvii Picolominei*. (b) II. Epistolae *L. Ennii Senecae*, quibus in fine adduntur & illae, quae sub nomine Senecae ad Paulum, & Pauli ad Senecam circumferuntur. Ante illas autem ita notatum reperitur: „ Lucius Ennius Seneca Cordubensis, Sotionis Stoici discipulus, & Pa-„ truus Lucani Poëtae, continentissimae vitae fuit, quem non ponerem „ in Catalogo Sanctorum, nisi me illae Epistolae provocarent, quae le-„ guntur a plurimis, Pauli ad Senecam, & Senecae ad Paulum, in „ quibus cum esset Neronis Magister, & illius temporis potentissimus, „ optare se dicit, ejus esse loci apud suos, cujus sit Paulus apud „ Christianos. Hic ante biennium quam Petrus, & Paulus martyrio co-„ ronarentur, a Nerone interfectus est. „ In fine vero legitur ut sequitur:

(a) In MS. Catalogo Clesiano, lego: *Nicolaus de Dinckblspuhel super quarto Sententiarum, liber manu scriptus*. De eodem *Nicolao*, qui Constantiensi Concilio interfuit, redibit sermo infra in nota ad Cod. 85.

(b) De hujusmodi Continuatione Hinderbachiana dictum supra pag. 157.

„ *Epitaphium Senecae, a se tamen dictatum.*

„ Cura, labor, meritum, sumpti pro munere honores
„ ite; alias posthac sollicitate animas.
„ Me procul a vobis Deus evocat illicet actis
„ rebus terrenis, hospita terra vale.
„ Corpus avara tamen solempnibus accipe saxis,
„ namque animam coelo reddimus ossa tibi. "

III. Libri S. *Ambrosii* in Exameron, de Paradiso, de Cain & Abel. IV. Sancti *Thomae de Aquino* Commentar. super librum primum Sententiarum. V. Anonymi Sermones varii, inter quos reperitur etiam Scriptum aliquod Concilii Basileensis ad Franciae Regem. VI. Notata Theologica de Deo, quae videntur esse Commentariolus in Sentent. Petri Lombardi.

44. Cod. Chartac. in folio, continetque Anonymi Compendium Canonum ordine alphabetico digestum, cujus tamen prima pagina deest.

45. Cod. Chartac. in folio, in quo sunt Vitae, & res gestae Pontificum Roman. a Petro usque ad Sixtum IV. De hoc vero Pontifice, ut de aliis quinque immediate antecedentibus, nihil praeter nomen, tempusque, quo sederunt, notatum reperitur. Vitas has a *Joanne* de *Nimheim* J. V. D. & Fundatore Hospitalis Teutonici Romae primitus scriptas, postea jussu *Ambrosii Glaspeck* Canonici Tridentini descriptas fuisse, testatur Nota facta in prima libri pagella manu praedicti *Glaspeck* de anno 1471.

46. Cod. Chartac. in folio continens M. *Thomae de Haselbach* Serm. varios.

47. Cod. Chartac. in folio continet Historiarum Romanarum *Titi Livii* Decadem primam, & librum primum Decadis tertiae.

48. Cod. Chartac. in folio, in quo sunt: I. Anonymi Sermones de Sanctis. II. Scriptum aliquod theologicum, quod inscribitur *Summula in Foro Poenitentiali Magistri Raymundi*. III. Anonymi tractatus de arte moriendi. IV. Lectiones aliquot in Job, quarum authorem ignoro.

49. Cod. Chartac. in folio, qui continet: I. *Flavii Vegetii Renati* lib. de re militari, qui uti in fine notatur, scripti fuerunt Basileae anno Domini 1437. II. Historiam Trojani Excidii *Dytis Cretensis*, & *Daretis Phrigii*, latinam factam per *Guidonem de Columpnis* anno, uti scriptum est in fine, post Domini Incarnationem 1287. III. *Karoli Quarti* Auream Bullam, cui additus. est Ordo Romanus ad benedicendum, & coronandum Imperatorem. IV. Historiam Alexandri Magni Macedoniae Regis distichis conscriptam, uti notatur in fine, anno Domini 1432.

Romae.

Romae. V. Libellum versibus pariter conscriptum, inscriptumque *Speculum Stultorum*, *alias dictum Brunellus*. Initium hujus operis cui, & a quo scriptum sit, indicat, estque sequens:

„ Suscipe pauca tibi veteris Wilhelme Nigelli
„ Scripta minus sapido nuper avara stilo.
„ Hoc modicum novitatis opus tibi mitto legendum,
„ Maxima pars animae, dimidiumque meae &c.

VI. *Bartoli de Saxo Ferrato* Tractatum juridicum de Insigniis, & Armis.

50. Cod. Chart. in folio continet Vitas, Lectionesque Sanctorum, & varios etiam Sermones M. *Henrici de Hassia*, aliaque nonnulla Theologica.

51. Cod. Membr. in folio bonae notae, licet male conservatus, estque Commentarius *D. Hieronymi* in Lib. Job. Librum hunc fuisse *Friderici de Wanga* Episcopi Trid. docet inscriptio, licet aliqua ejus pars a muribus corrosa fuerit.

52. Cod. Chart. in folio, in quo reperitur Glossa in Davidis Psalterium; in cujus fine ita legitur: *Explicit Glossa Psalterii per me Jacobum Havver an. Domini* 1446., *secundo Nonas Mensis Junii in Vigilia Festi Pentecostes*. Sunt & in hoc Volumine Sermones aliquot S. *Augustini*.

53. Cod. Chart. in folio continens *Ovidii* Metamorphosim, in cujus fine ita legitur:

„ Versus millenos bis sex in Codice scriptos
„ nequiquam minus continet Ovidius.
„ Hic capiunt finem Romani carmina Vatis,
„ qui studio micuit, corpore dum viguit.

„ Sit laus & gloria Christo, ac ejus Genitrici gloriosae. Amen. Fi-
„ nito libro referamus gratias Christo. Ego *Laurentius* f. Domini An-
„ tonii *de Castro* complevi hunc librum nomine *Ovidius* per manus mei-
„ met anno Domini MCCCXXVI. die Jovis Mense Septembris. “

In prima hujus Voluminis pagina picta visuntur Insignia, in superiori parte tres albas Columbas, in inferiori vero Campum aureum referentia, quae fuisse *Henrici de Metis* Cancellarii Imperat. Henrici VII. & ex Abbate Willhariensi Ordinis Cisterciensis in Trevirensi Dioecesi, Episcopi Trid., docet nota facta ab Episcopo *Johanne Hinderbach*; qui etiam notat, Episcopum hunc sedisse ab anno MCCCXIV. usque ad annum MCCCXXXVI. Librum hunc apud Hebraeos repertum in Archivio Episcopalis Bibliothecae reponi curavit idem Episcopus Johannes anno 1478.

54. Cod.

54. Cod. Chartac. in folio, in quo sunt Acta Concilii Pisani, & Constantiensis.

55. Cod. Chartac. in folio continens Historiam Francorum usque ad annum 1220. Quisnam ejus sit auctor, aut a quo, & quando scripta fuerit, reperire non potui. In fine atque in medio hujus Voluminis aliqua desunt.

56. Cod. Chartac. in folio, in quo eleganter descripta sunt sequentia *Aeneae Sylvii* Opera, videl. I. Universalis Descriptio partium Europae, in cujus principio reperitur Epistola ad *Antonium Cardinalem Hilerdensem*, quae ut ibidem notatur, in impressis non reperitur. II. Additamentum Historiae Australis.

57. Cod. Chart. in folio in quo sunt aliquot Scripta Theologica, quorum primum inscribitur *Compendium Theologicae Veritatis*: Secundum *Speculum Clericorum*, in cujus fine ita legitur: *Anno Domini MCCCCXXXIII. finitus est praesens liber &c.*, aliaque quorum Authores ignorantur. (a)

58. 59. 60. 61. 62. Codd. Chartac. in folio sat bene descripti a *Joanne Haemste* Romae anno 1467. jussu Episcopi *Johannis Hinderbach*, uti dicitur in fine: continentque *Blondi Flavii* Decades Hist. Italiae ab inclinatione Imperii Romani: Italiam illustratam, & Romam triumphantem. Habent haec Volumina frequentes notas marginales Episcopi Johannis, & in fine Historiarum leguntur etiam sequentes Versus:

„ Blonde Pio vivo moreris, nil morte dolendum est,
„ tu famae, domui consulit ille tuae.
„ Austra (b) tibi natis patrios concessit honores,
„ qua tu alia optasses conditione mori? "

63. Cod. Chart. in folio a *Joanne Hinderbach*, quantum caracter indicat, scriptus, continet *Antonii de Rosellis* J. U. D. Comitis Palatini & Mi-

(a) *Compendium* illud incipit: *Veritatis Theologicae sublimitas*, quod collatum cum edito inter Opera S. Bonaventurae, contractius reperimus. *Speculi* auctor in Prologo, qui exorditur: *Legimus in Exodo*, se se prodit, inquiens: „ Idcirco ego Albertus Canonicus Regularis in Dyessen „ (*Augustensis Dioecesis in Bavaria*) licet minimus, hoc praesens Opusculum, quamvis com- „ pendiosissimum, ex multorum Sententiis Patrum collegi & *Speculum Clericorum* intitulavi, ad „ cujusdam praedilecti petitionem, & informationem aliorum, specialiter Clericorum. " Totum hoc Opus implet paginas 238., habetque in fine: *Anno Domini MCCCCXXXIII. finitus est praesens liber, qui intitulatur* Speculum Clericorum, *feria quarta ante festum Sanctae Paschae*. Praeter quinque Sermones in eodem Volumine deprehendimus quatuor Tractatus, quorum prior *de Annunt. Mariae* pagg. 24. incip. *Ave Maria*, in cujus fine auctoris nomen sic exprimitur: *Vildanus vester*. Quartus & ultimus, qui inscribitur *Mysticatio Missae*, incip. *Tria sunt in Missa*, ad cujus calcem legitur: *Ulricus de Kelbain*. (Est Oppidum Ratisbonen. Dioec.) Et sic clauditur totus Codex.

(b) *Austra*, sive *Astura* fluvius & locus in Latio, ubi olim Villa Ciceronis.

& Militis, nec non in Studio Patavino Antecessoris Praelectiones in libros Decretalium.

64. Cod. Chartac. in folio, in quo sunt Declarationes Cardinalium Congregationis Concilii Tridentini.

65. Cod. Medicus Memb. in folio sat bonae notae, continetque I. Isagogen *Johamnicii* ad lib. Tegni Galieni. II. Librum *Philareti* de pulsuum cognitione. III. Librum Urinarum *Theophili*. IV. Comment. *Galieni* super lib. Pronosticorum Hypocratis. V. Comment. Gal. super lib. Ypocratis de regimine acutorum morborum. VI. Aphorismos *Ypocratis* cum Comment. *Galieni*. (a) VII. *Haly* Comment. in lib. Tegni Galieni. VIII. Lib. M. *Egidii* de differentiis pulsuum cum Comment. IX. Versus *Egidii* de urinis cum Comment. M. Gilberti.

66. Cod. Chartac. in folio, estque Vocabularium Latino-Germanicum, in cujus prima pagina manu Episcopi *Joannis Hinderbach* ita notatum reperitur: „ Iste liber vocabulista fuit olim Presbyteri *Johannis* „ *Freudenthal* Altaristae Sanctorum Martyrii, Sisinii, & Alexandri Ec- „ clesiae nostrae Cathed. Trid. relictus pro Bibliotheca in eadem Ec- „ clesia erigenda. “

67. Cod. Chart. in folio caractere Longobardico conscriptus continens Breviarium Romanum ab Adventu usque ad primam Dominicam post Octavam Epiphaniae.

68. Cod. Theologicus Membr. in folio continens Quodlibeta Magistri *Hervei* Ord. Praedicatorum.

69. Cod. Chartac. in folio, in quo sunt sequentia: I. Magistri *Raymundi Lulli* Ars generalis, in cujus fine dicitur, Raymundum inchoasse librum hunc anno 1307. & finivisse in Civitate Pisana & Monasterio S. Dominici anno 1308. (b) II. *Hieronymi Balbi* Episcopi Gurcensis ad Clementem VII. Pont. lib. III. de virtutibus. (c) III. Aurea Bulla *Karoli Quarti*. IV. Instructio quaedam Ambasciatorum ex parte Provinciae ad Curiam mittendorum. V. Breve *Pauli II*. Pont. ad Impera-

(a) Ex munificentia Illust. Viri Simonis Felicis L. B. de Crosina possidet haec nostra S. Bernardini Bibliotheca Cod. memb. in fol. antiquis postillis refertum, in quo pariter continentur majori charactere descripti *Amphorismi Ypocratis*, minori autem *Commentum Galieni super lib. Amphorismorum*, cum Praefatione Interpretis *Domini Constantini Affricani Montis Cassinensis Monachi ad Attonem*, sive *Hattonem discipulum suum*. Eodem charactere majori & minori legitur quoque ibidem *Commentum Halli super librum Tegni Galieni, qui nominatur ARS PARVA*. Comment. incip. *Intendimus edere*.

(b) In Catal. Clesiano appellatur *Ars Generalis ultima*. In Bibl. Franciscana P. Joannis Suarez a S. Antonio To. 3. pag. 35. col. 1. eadem *Ars* dicitur *incoepta Lugduni* 1305. *&* *finita Pisis in Monasterio S. Dominici* 1308.

(c) In cit. Catal. Cles. *de Virtutibus liber tertius*.

peratorem Rom. VI. Ejusdem Pontificis Responsio ad litteras Georgii Haeretici per Geroslaum Nuntium dicti Haeretici transmissam. VII. Ejusdem Responsio ad litteras *Ludovici* Ducis Bavariae, quas misit idem Dux ad Sedem Apostolicam per Oratorem suum *Valentinum Pernpeck* Doctorem. VIII. Decretum *Karoli Septimi* Francorum Regis datum Bituricis 7. Julii an. 1438. Regni decimo sexto, quo declarationes, conclusiones &c. sibi ab Archiepiscopis, Episcopis &c. Regni sui oblatas, cum consilio Procerum gratas, acceptasque habet, & in toto Regno observari mandat.

70. Cod. Chart. in folio, estque *Ottonis Frisingensis* Chronicon sat belle scriptum, licet non absolutum, aliqua enim in fine desunt.

71. Cod. Chart. in folio, in quo est Historia Scholastica *Petri Trecensis* a *Ludovico Schmidt* de Seflingen Plebano ad S. Petrum in Tyrol (uti legitur notatum in fine) descripta. (a)

72. Cod. Memb. in folio, in quo sunt: I. *Eusebii* liber de transitu *B. Hieronimi* ex hac vita, & ejus doctrina. (b) II. Sancti *Antonii* Abbatis Vita a Presb. *Evagrio* conscripta. III. Beati *Pauli* primi Eremitae, ac Beati *Malchi* captivi Monachi Vitae a B. *Hieronymo* editae. Totum hoc Volumen est sat bonae notae, & bene conservatum. In prima ejusdem pagina visuntur Insignia Episcopi *Joannis Hinderbach*.

73. Cod. Chart. in folio; quid in eo contineatur, sequens nota, quae in compactura scripta est, sat indicat: „ In isto Volumine continetur pars Missalis secundum Curiam Romanam bene distincta, justa, „ & punctata, correcta, & examinata, incipiendo a Dominica de Passione usque ad Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi. Item „ Canon, cum omnibus Praefationibus per ordinem. Item totum Officium „ Mortuorum completum, distinctum, & integrum, cum Orationibus, Epistolis & Evangeliis. In fine continetur, ut liquet perlustranti &c. 1463. "

74. Cod. Membr. in folio optimae notae, continet *Puplii* (ita enim in eodem scriptum legitur) *Virgilii Maronis* Opera, cum notis nonnullis marginalibus, & interlinearibus. Initium vetustate corrosum est, & in fine etiam aliqua desiderantur.

75. Cod.

(a) Adde: *Anno Domini..... sexagesimo septimo.*

(b) Prae manibus habeo Codicem Chartaceum in 4. min. manu scriptum anno 1454. spectantem ad Bibl. Lunaelacensem in Austria O. S. B. signatum n. 297., in quo praeter alia reperitur *Epistola Eusebii Abbatis de morte Beatissimi Jeronimi Doctoris eximii, & testamento ejus.* Incip. *Patri Reverendissimo Damaso Portuensi Episcopo, & Christianissimo Theodonio Romanorum Senatori, Eusebius olim Jeronimi Sanctissimi discipulus &c.* Implet paginas 53., in cujus fine scriptum lego: *Explicit Epistola Beati Eusebii Cremonensis ad Damasum Portuensem Episcopum, & Theodonium Romanorum Senatorem ejus fratrem, de morte gloriosissimi Confessoris Beati Jeronimi Doctoris eximii.* De eodem Eusebio, ejusque Epistola mentionem facit Trithemius de Script. Eccl. n. CXXVI. Sed consulatur Bellarminus de Script. Eccl. ubi de S. Hieron.

75. Cod. Chart. in folio, estque Anonymi Repertorium legale ordine alphabetico digestum.

76. Cod. Chart. in folio continens Historiam Urbis Augustanae conscriptam anno 1456. a *Sigismundo Meisterlin*, (a) atque *Sigismundo Bossenprot* Consulari Augustano Praeceptori & aequivoco suo dicatam.

77. Cod. Chart. in folio, in quo sunt Homiliae S. *Gregorii*, & quaedam Scripta in Apocalypsim.

78. Cod. Chartac. in folio bonae notae continens, I. Epistolas *Senecae* ad *Paulum*, inter quas est etiam Epitaphium superius sub n. 43. notatum. II. *Marci Tullii Ciceronis* Epistolas familiares, in quarum fine reperitur explicatio nonnullarum antiquarum litterarum, & abbreviaturae.

79. Cod. partim Chart., partim vero Memb. in folio, in quo sunt, I. *Alberti Magni* Secreta cum Comment. *Maynbardi*. In fine autem ita legitur: *Explicit Glossa bona Reverendi Magistri Maynbardi super Secreta Mulierum per Nicolaum Grueber de Slevvicz an. Domini MCCCCXXXIII.* Secundo Tractatus de cura, atque anatomia oculorum. III. Nonnulli alii Medici tractatuli de variis materiis. Volumen hoc emptum fuit ab Episcopo *Joanne Hinderbach* Romae an. 1476. ut ipse propria manu notavit.

80. Cod. Chart. in folio, continens, I. Anonymi varios Sermones. II. *Petri de Crescentiis* Civis Bononiensis librum ruralium commodorum Karolo Secundo Siciliae Regi inscriptum, & a *Martino Chlaubauff* descriptum. Cujus fuerit Volumen hoc colligitur ex nota facta per Episcopum *Joannem*, quae est sequens: „ Iste liber fuit olim Magistri *Andreae Rasoris* „ Plebani in Geminden supra Onasum, Beneficiati Wienensis ad Coeli „ portam, antiqui Curialis in Concilio Basileensi, qui obiit anno Do„ mini MCCCCLXI. &c. “

81. Cod. Chart. in folio, qui continet *Valerii Maximi* dictorum, factorumque memorabilium Libros in linguam Germanicam traductos.

82. Cod. Chart. in folio, in quo sunt sequentia *Aeneae Sylvii* Opera: I. Liber de Educatione Filiorum, quem juxta annotationem Episcopi *Joannis* scripsit an. 1449. in Nova Civitate Austriae. II. Federici Imperatoris Historia. III. Tractatus responsivus, ac defensivus Papae *Calixti*, ac Sedis Apostolicae contra invectivam Epistolam Doctoris *Martini Mayr* Cancellarii Moguntini de gravaminibus Nationis Germanicae 1457.

83. Cod. Memb. in folio, continens *Lactantii Firmiani* libros Divinarum Institutionum, de Opificio Dei, & de Ira Dei.

(a) Epistola nuncupatoria *Fratris Sigismundi Meisterlin* data est ex Monasterio SS. Udalrici & Afrae die 20. Junii an. 1456. Opus dividitur in quatuor partes, quarum tres priores habent capitula 10. quarta vero 18.

84. Cod. Memb. in folio, in quo ſunt Fabulae *Aeſopi*, carminice conſcriptae cum Commentario.

85. Cod. Chart. in folio, in quo ſunt varia Opuſcula Theologica partim S. *Bonaventurae*, partim vero *Nicolai de Dinckeſpil*, aliorumque. (a)

86. Cod. Chart. in folio, in quo eſt *Jordanis* hiſtoria, & ejuſdem liber de origine, & rebus geſtis Gothorum, cum pluribus notis marginalibus Epiſcopi *Joannis Hinderbach*, qui putat *Vigilium* illum, cui inſcripta eſt hiſtoria, & qui vixit tempore Juſtiniani, poſtea in Papam promotum fuiſſe. Totum hoc Volumen videtur ſat bonae notae.

87. Cod. Memb. in folio minori, vel quarto majori, in quo ſunt *Petri Lombardi* Sententiae.

368 88. Cod. Memb. in 4. qui inſcribitur: *Ordo ad benedicendum Regem.* In ejus prima pagina ſequentia manu Card. *Bernardi Cleſii* Epiſcopi Trid. notata reperiuntur: „ Iſtum librum ex alio antiquo libro fecimus tranſcribi, dum Pragae eſſemus cum Sereniſſimo Ferdinando Hungariae „ & Bohemiae Rege, dum ibi eſſemus, & unus ex Coadjutoribus Coronationis ſuae Regiae Majeſtatis, quae fuit 21. Februarii 1527. ſed „ pro majori parte in Coronatione obſervavimus Rubricas Pontificalis „ Romani, & altera die quoque coronavimus *Annam* Conthoralem prae„ libati

(a) Praeter plurimos Sermones anonymos de tempore ac de Sanctis in hoc Volumine continetur: Primo *Soliloquium Boneventurae*, incip. *Flecto genua mea &c.* ad cujus calcem legitur: *Explicit Liber, cui titulus eſt Imago Animae, vel Lumen Animae.* Titulum illum *Soliloquium Boneventurae* appoſuit Epiſcopus Hinderbachius. Continuo ſubſequitur *Alter liber de veris & perfectis virtutibus*, incip. *Sunt quaedam vitia, quae frequenter ſpeciem virtutum &c.* Auctoris nomen in hoc Tridentino Codice non invenimus, bene vero in praefato Lunaelacenſi, nedum ab initio, ſed & in fine, ubi legitur: *Explicit Tractatus peroptimus Magiſtri dicti Magni Alberti de virtutibus veris & perfectis. Anno Domini 1454. in Vigilia Bartholomaei Apoſtoli.* Virtutes, de quibus agit, ſunt 42. *Caritas* prima, *Perſeverantia* ultima. Tertio: *Liber Magiſtri Hugonis de laude Caritatis.* Prol. incip. *Servo Chriſti Petro Hugo. Guſtate & videte quoniam ſuavis eſt Dominus. Cogitanti mihi, frater cariſſime &c.* Quarto: *Nova Compilatio, cujus nomen & titulus; Speculum humanae ſalvationis.* Incip. *Qui ad juſtitiam erudiunt multos.* Conſtat 27. capitulis, poteſtque appellari *Liber Laicorum*; auctor enim in Prologo ait: *Ad gloriam Dei, & eruditionem indoctorum cum Dei adjutorio decrevi compilare Librum Laicorum &c.* Iſte ſub eodem titulo ac initio exſtat quoque in 655. olim 249. Codice MS. Theol. Caeſ. Bibl. Vindob. teſte Gentilotto in Catal. MS., ubi ait hanc habere concluſionem: *Finitum & completum eſt hoc Speculum Salvationis humanae per me Gotfridum de Heynſburg ipſa die Agathae Sanctae Virginis de ſero tarde anno milleſimo quadringenteſimo quinquageſimo* 4. In noſtro Codice ſequitur Quinto: *Tractatus bonus de Indulgentiis*, incip. *Quodcumque ligaveris.* Sexto: *Tractatus editus per egregium Doctorem Nicolaum Dinckelſpuehel*, in prima litera initiali appellatus *Decalogus*, ac incip. *Scribitur Matthaei 22. Cum quidam legis Doctor.* Septimo: Epiſtola *Nicolai* V. Papae *Nicolao* (Cuſano) *tit. S. Petri ad Vincula Presb. Card.* Legato Apoſtolico in partibus Alemaniae, Bohemiae &c. directa an. 1550. *ante feſtum Nativ. Chr.* Octavo: *Liber de amore & dilectione Dei & Proximi,, & aliarum rerum, & de forma vitae.* Incip. *Initium mei Tractatus ſit*; & intra: *Volens igitur ego Albertanus te filium meum Vincentium bonis moribus &c.* Eſt pagg. 72. Nono: Oratio incip. *Ecce dies venient, dicit Dominus*, habita *per Johannem de Garzonibus de Venetiis*, in Univerſitate Viennenſi, *infra Miſſam Conventualem, pro unione Matris Eccleſiae, & proſperitate Innocentii Septimi* die 25. Januarii *anno MCCCCIIII.* Venetorum more deducto anni initio a menſe Martio, ideoque juxta noſtrum computum anno MCCCCV. Tandem in praefato Codice habetur alius valde prolixus Tractatus Theologicus, ſed anonymus.

„ libati Regis, & quae fuit filia olim Regis *Ladislai*, & Soror *Ludovici*
„ Hungariae &c. Regis, qui de anno *1526.* contra Turcas obiit die
„ antepenultima Augusti. Bernardus Episcopus Trid. “

89. Cod. Memb. in 4. majori inscriptus: *Liber Passionalis*, suntque in eo vitae, & passiones plurium Sanctorum, in fine vero aliquot desiderantur Membranae. *(a)*

90. Cod. Memb. in folio minori probae notae, & eleganter admodum exaratus, suntque in eo sequentia: I. *Leonardi Aretini* liber de re militari. *(b)* II. *Plutarchi*, & *Xenophontis* varia opuscula e graeco in latinum sermonem traducta per Aretinum, aliosque. *(c)*

91. Cod. Memb. Theologicus in 4. majori, in quo sunt varii Sermones Authoris Anonymi.

92. Cod. Memb. in 4. majori continens Senecae Epistolas belle descriptas, beneque conservatas.

93. Cod. Theolog. Memb. in folio minori optimae notae, sed male conservatus, desunt enim initium, & finis. Continet ordinem servandum in Confessione, Communione, extrema Unctione, Consecratione Monialium, Diaconissarum, Episcoporum, & in sepultura Mortuorum, multaque inserta sunt ab hodierno usu aliena; praecipitur enim communicandos Infirmos sub utraque, & circa extremam Unctionem ordinatur, ut sequitur: „ Et sic perungant singuli Sacerdotes Infirmum de Oleo
„ sanctificato, cruces faciendo in collo & gutture, & pectore, & inter
„ scapulas, seu in loco, ubi dolor plus imminet, & in quinque sensi-
„ bus corporis, & superciliis oculorum, & in naribus intus & foris,
„ & in aurium summitate exterius, sive interius, & in labiis exterius,
„ & manibus exterius, id est deforis, ut si quinque sensibus mentis &
„ corporis aliqua macula inhaesit, medicina spirituali sanetur, & Do-
„ mini misericordia impetretur &c. “

Reperiuntur & in eo Missae nonnullae celebrandae in tumulatione mortuorum, in Consecratione Episcopi &c. Litaniae pro infirmis, quae multum differunt ab iis, quae hodie recitari solent. Multis etiam in locis adjectae sunt notae musicae longe dissimiles a nostris. Librum hunc usibus Moguntini Archiepiscopi scriptum fuisse eruitur ex eo, quod inter reliqua, de quibus consacrandus Episcopus interrogatus reperitur, est sequens interrogatio: *Vis Sanctae Moguntinae Ecclesiae, mihi & Successoribus meis fidem, & subjectionem exbibere &c.*

(a) Incip. *Apostolus D. N. J. C. Jacobus.*
(b) Incip. *Fateor, clarissime vir, & mihi ipsi &c.*
(c) Plutarchus *de Liberis educandis* per Guarinum Veronensem. Incipit Prooemium ad Angelum Corbinellum: *Majores nostros, Angele mi suavissime &c.*

94. Cod. Medicus Chart. in folio, in quo sunt varii tractatus diversorum, & inter hos est *Alberti Zambeccarii* libellus de cautelis Medicorum. Character hujus Voluminis est difficilis lectionis, & in principio plures paginae desunt.

95. Cod. Memb. in 4. invenusti caracteris, in quo sunt variae Sanctorum Legendae.

96. Cod. Memb. in 4. non adeo malae notae, qui continet Homilias in Evangelia, fuitque, uti notatur in fine, cujusdam *Clorii de Verdeno* de Cremona.

97. Cod. Memb. in 4. majori, qui est Anonymi Commentar. in IV. lib. Sententiarum.

98. Cod. Memb. in 4. bonae notae, continetque libros *Boëtii* de Consolatione Philosophiae, cum notis interlinearibus. In fine ita legitur: *Manus Scriptoris salvetur omnibus horis*.

99. Cod. Chart. in 4. estque *Ciceronis* liber de Oratore ad Quinctum Fratrem sat bene descriptus, in cujus fine notatur ut sequitur: „ Marci Tullii Ciceronis ad Quinctum Fratrem de Oratore scriptum per „ me *Georgium Enchendorffer* de Kyemsse tunc temporis Scholarem felicissimi Studii Patavini Anno Domini MCCCCLXII. decima nona „ die Mensis Maji. "

100. Cod. Chart. in 4. in quo sunt: I. Opus *Julii Solini* de Situ Orbis terrarum. II. *Sexti Ruffi* viri Consularis liber rerum gestarum Populi Romani. Totum hoc Volumen est sat bene descriptum.

101. Cod. Memb. in 4. in quo sunt libri Metaphysicorum *Aristotelis* scripti caractere difficili lectu.

102. Cod. Chart. in 4. continens plures *Ciceronis* Orationes caractere minutissimo exaratas.

103. Cod. Chart. in 4. competentis notae, in quo sunt sequentia. I. Sexti Julii Frontonis liber Stratagematum. II. Petri Pauli Vergerii de ingenuis moribus libellus ad Ubertinum Cataniensem. III. Ciceronis Paradoxa, in quorum fine leguntur etiam versus *Guarini* Veronensis de septem Graeciae Sapientibus. IV. Ciceronis Topica. V. Ejusdem liber partitionum. VI. Ejusdem de Essentia Mundi, & de Fato, quae duo Opera anno 1462. descripta fuisse notatur in fine. VII. Ejusdem Ciceronis liber ad Timeum.

104. Cod. Memb. in 4. valde bonae notae, in quo sunt Actus Apostolorum ab *Aratore* Brixiano versu heroico conscripti. Habet liber iste in primis pagellis notas complures marginales: in fine autem ita legitur: *Finem hic habent Actus Apostolorum decantati per eximium Poëtam Aratorem Brixianum Anno Domini* 544. Notae in compactura libri scriptae

ptae ostendunt eumdem prius fuisse M. *Joannis de Scarambellis* de Pandino Medici, postea vero *Zanfrancisci Pezani* Civis Brixiensis, praedicti de Scarambellis haeredis, qui eumdem anno 1482. vendidit *Joanni Mathiae Tiberino* Medico.

105. Cod. Chart. in folio continens: I. *Curtii* de rebus gestis Alexandri Magni. II. Pronosticon de Antichristo calculatum, uti dicitur in fine, Patavii an. 1474. mense Aprilis. Opusculum hoc est sat bene scriptum, singulaeque paginae elegantem habent ornatum. Sequens vero in principio statim legitur inscriptio: *Optimo Principi, ac Reverendissimo in Christo Patri D. Johanni Hynderbach Inreprehensibili Tridentino Pontifici suo ut Jovi colendo. Moris apud Persas fuisse traditur, ut ne quis ad Principem vacuus accedat. Vale Antistes humanissime: memento Feliciani.* Dein sequuntur infrascripti Versus Italici, qui ea aetate forte non inelegantes fuerunt:

„ Principe glorioso al Mondo raro,
„ ch' aperta hai sempre tua benigna mano
„ se in te sperar non fu mai Servo vano
„ moviti a' prieghi miei Signor mio caro.
„ Inopia contra me senza riparo
„ vegio che mi persiegue, e fami insano,
„ ond' io vorrei da quelle star luntano
„ fugiendo per schifar il caso amaro.
„ Mie facultà non bastano alla fuga,
„ se tua clemenza in sue terre non porgie
„ manu ajutrice dandomi exercitio.
„ Non chiego fiume, che gran sete struga,
„ ma picol fonte, che al bisogno sorgie
„ dignati farlo di pietade hospitio;
„ ne mi sia dato a vitio.
„ mio suplicar, che molta fede audace
„ m' ha facto, e la pietà, qual in te jace.

Immediate autem post ita scriptum est:

Papireis cartis paupertas scribere jussit.

Tum *Pronosticon Joannis de Lubech Alemani super Antichristi Adventu Judaeorumque Messiae:* Sequitur deinde figura Antichristi equo insidentis, & Christo oculos gladio effodientis.

106. Cod.

106. Cod. Memb. in 4., in quo caractere Longobardico eleganter admodum descriptus est tam veteris, quam novi Testamenti textus. Litterae initiales sunt deauratae, pictaeque, atque in medio earum variae cernuntur figurae, ex quibus contenta sub illo capitulo primo statim obtutu dignosci possunt.

107. Cod. Chart. in 4., in quo sat bene descripti sunt *M. Tullii Ciceronis* libri de Officiis, de Amicitia, & de Senectute. (a) In principio leguntur & sequentes versus:

Excellunt cunctos hi libri Philosophorum,
Libros, quos fecit tres Tullius Officiorum.

108. Cod. Memb. in 4. quid contineat, colligitur ex nota facta in prima pagina manu Episcopi *Joannis*, quae est sequens: „ 1465. „ Emimus hunc librum Pastoralis B. *Gregorii* Romae pro tribus Ducatis, „ Ego *Joannes Hinderbach* Praepositus, & Electus, una cum *Joanne Custode* Scholastico, & *Ambrosio Slesspeck* Canonicis Ecclesiae Tridentinae. "

109. Cod. Memb. in 4. continens D. *Ambrosii* Mediolanensis Episcopi libros de Officiis venustissime descriptos. Codicem hunc se Romae anno 1466. mense Martio pro Florenis quinque & Grossis Papalibus totidem emisse notavit Episcopus *Joannes* tunc Electus Tridentinus.

110. Cod. Chart. in 4., in quo sunt *Juvenalis* Satyrae.

111. Cod. Memb. in 4. caracteris Longobardici, qui est liber Magistri *Marsilii* de Padua adversus *Ockam* scriptus, & *Defensor pacis* intitulatus. Habet aliquot marginales notas alterius caracteris.

112. Cod. Chart. in 4. qui est Index aliquis Historicus.

113. Cod. Memb. in 4. optimae notae continens *Macrobii* Librum in Somnium Scipionis, quem anno MCCCCLXXVII. secundo Nonas Madii pro uno Aureo Hungarico se Tridenti emisse notavit *Joannes Mathias Tiberinus*.

114. Cod. Memb. in 4., in quo sunt Epistolae nonnullae S. *Augustini* ad Hieronymum, & *Hieronymi* ad Augustinum, nec non ejusdem Expositio litterarum Hebraicarum, quaestiones, & vita S. Pauli primi Eremitae, aliaque nonnulla.

115. Cod. Chart. in 4. estque Crispi Salustii liber de Bello Catilinae.

116. Cod.

(a) In eadem Episcopali Bibl. teste Catalogo Clesiano reperitur liber inscriptus: *M. T. Ciceronis Officia, de Senectute, de Amicitia, & Paradoxa, in pergamino, & est prima Impressio ipsius Inventoris Artis imprimendi.* Titulus iste convenit cum Editione Romana an. 1469. quam refert Mattairius To. 1. pag. 64. edit. 1719.

116. Cod. Chart. in 4. continens sequentia: (*a*) I. *Aeneae Sylvii de Piccolominibus*, qui postea fuit Papa *Pius II.* Institutionum librum non male descriptum. II. *Josephi* Opus Antiquitatum ad Epafroditum. III. *Bartholomaei Platinensis* librum de falso ac vero bono ad Paulum Secundum. IV. *Blondi* Romae Instauratae libros ab Hugone Haemste descriptos anno 1465. quod opus, cum Blondus in plurima capita, sive rubricas divisisset, quarum plures breves admodum sunt, Episcopus Joannes Hinderbach aliter illud, prout sibi melius videbatur, divisit, notaeque hac de re a se factae ita subscripsit: *Joannes Hinderbach rerum vetustarum studiosis*.

117. Cod. Chart. in 4. estque *Martini Poloni* Chronicon.

118. Cod. partim Chart. partim vero Memb. in 4. non malae notae continens *Terentii* Afri Comoedias, cum notis marginalibus & interlinearibus. In principio etiam sequentes versus leguntur:

„ Natus in excelsis tectis Cartaginis altae
„ Romanis Ducibus bellica praeda fui.
„ Descripsi mores hominum, juvenumque, senumque,
„ Qualiter & Servi decipiant Dominos.
„ Quid Meretrix, quid Leno dolis confingat avarus,
„ Haec quicumque legit, sic puto cautus erit. “

119. Cod. Memb. in 4. caracteris Longobardici, qui inscribitur: „ Superioris Germaniae Confoederationis Urbium, terrarumque situs, „ & hominum morum perbrevis descriptio in favorem Illustrissimi, & „ potentissimi Mediolani Ducis compilata. “ Authorem Operis prodit initium Prologi, quod est sequens:

„ Illustrissimo atque potentissimo Domino Domino Joanni Galeaz „ Mariae Sfortiae Vicecomiti Duci Mediolani, Papiae, Angleriaeque „ Comiti, Januae & Cremonae Dño Dño suo plusquam gratioso. *Albertus de Bonstetten* Decanus insignis loci Eremitarum &c. S. P. D. “ (*b*)

120. Cod. Chart. in 4., qui continet Fratris *Engelberti* Ord. Frat. Minorum Angli, vel, uti notatur in margine, Coloniensis, Sermones, qui difficulter legi possunt. (*c*)

(a) In Catal. Clesiano lego: *Aeneae Silvii Liber de instituendis pueris ad Ladislaum Regem: Josephus contra Appionem Grammaticum: Platina &c. Blondus &c.*

(b) Vidi Membranam hunc titulum rubro caractere habentem: *Albertus ex Bonstetten Quinque Vulnera Christi sic supplex ac devota affatur mente, cum quinque Dominicis Orationibus, septimo Kalendas Novembris ab eodem compilatum. Anno 92.* Opusculum hujusmodi constat quinque Rhythmis, qui exordiuntur: 1. *Salve vulnus laterale.* 2. *Salve manus dextra Christi.* 3. *Ave clava Jesu mei.* 4. *Salve planta dextri pedis.* 5. *Ave pes manu prophana.*

(c) In Catal. Cles. appellatur *Engelbertus de Colonia Ord. Minorum.*

121. Cod. Chart. in 4., in quo sunt variae lectiones de B. Virgine, intitulaturque Liber iste: *Laus Mariae: (a)* estque descriptus anno quadringentesimo decimo septimo, uti in eo notatur, puto tamen omissum fuisse *millesimo*. In ejus fine leguntur etiam variae concessiones Indulgentiarum praefatas Lectiones recitantibus, quarum una est *Arnesti* Pragensis Archiepiscopi (*b*) data in Rudnicz anno 1356. die 22. Decembris: alia *Gotfridi* Episcopi Pataviensis data Pataviae in Octava Corporis Christi 1358. 20. Junii: Tertia *Georii* Episcopi Pataviensis data Wiennae die 7. Mensis Decembris anno 1405. Postrema *Werchtoldi* Archiepiscopi Saltzburgensis data Wiennae 13. Decembris an. 1405.

122. Cod. Chart. formae, & caracteris ejusdem, cujus est praecedens, estque alia pars ejusdem Operis. In hoc praeter complures lectu difficiles notas, sequens ab Episcopo *Joanne Hinderbach* facta reperitur: „ 1463. iste Libellus, qui continet partem lectionum per anni „ circulum de laudibus B. M. V. fuit quondam Domini *Pauli Hasler de* „ *Mansvverd* Altaristae, sive Capellani Altaris Corporis Christi Ecclesiae „ Parochialis *in Medling*, qui eumdem reliquit Domino *Martino Grun-* „ *vvalt de Semperg* ipsius in dicto Benefitio Successori: & idem Domi- „ nus *Martinus* in suo Testamento reliquit, & legavit mihi *Joanni Hinder-* „ *bach* Plebano & Rectori dictae Ecclesiae, quem ego consequenter destinavi in animo perpetuis futuris temporibus relinquere Ecclesiae, & meis „ Successoribus pro dictorum amborum Dominorum *Pauli*, & *Martini* „ animarum salute, & memoria per me, & Successores meos in orationi- „ bus nostris perpetuo habenda ad Dei laudem, & gloriam Sanctissimae „ Virginis Mariae Genitricis ejus, & aedificationem, ac devotionem om- „ nium in eo legentium, & orantium. “

123. Cod. Memb. in 4. caracteris Longobardici, estque Breviarium sat bene descriptum, litteris initialibus multis auro exornatis. Scriptorem Dominumque ejusdem sequens nota, quae in compactura scripta est, manifestat:

(a) Prima Codicis lectio ex *Beda super Lucam* desumpta incipit: *Apte post visionem Angeli Beata Dei Genitrix in montana subiit.* Ultima est *Alberti Episcopi.* Quis fuerit eiusdem Operis Auctor aperit Catalogus Priorum Cartusiae Vallis S. Joannis in Seitz, loco Styriae inferioris, vulgatus in *Diplomatariis Sacris Ducatus Styriae* part. alt. pag. 100. & seqq., ibi enim pag. 106. & seq. de 16. Priore Seitzensi *Conrado de Haimburga*, *bis Priore Cartusiae Gemnicensis in Austria, viro incomparabili, divinis pariter & humanis literis apprime erudito, magnae apud Principes auctoritatis, deque tota Ecclesia bene merito*, ac defuncto *Gemnici an.* 1360. *die* 17. *Aug.*, refertur, ab eo editos fuisse: „ Rhythmos varios de Sanctis, integra Psalteria Rhythmica de B. Virgine, „ Tractatum super Alleluja Paschalia, Officiola parva, & *Matutinale duplex*, majus & minus, „ & hoc ultimum jubente *Carolo* IV. Imperatore, quo uti volentibus indulgentias concesserunt „ in suis Dioecesibus, *Arnestus Pragensis*, *Godfridus Passaviensis*, & *Joannes Olomucensis*, Episcopi, „ forte & alii in his terris. “ Vide supra pag. 107.

(b) In Catalogo Codd. Theol. Caes. Vindob. Bibl. propria Cl. Gentilotti manu scripto lego: *Arnestus de Pardubiecz primus Archiepiscopus Pragensis obiit an.* 1364.

nifeſtat: „ Hoc Breviarium, quod olim fuit Reverendi Patris Fratris *Jo-* „ *annis* olim Epiſcopi Suffraganei Eccleſiae Tridentinae ejus manu ſcriptum „ emimus a Guardiano & Fratribus Chori S. Bernardini extra Muros pro „ XX. Ducatis auri pro uſu noſtro, & aliorum, ne veniret in manibus „ extraneorum, in Vigilia Omnium Sanctorum anno Dñi MCCCCLXXXIII. „ *Joannes* Epiſcopus Tridentinus manu ſua annotavit pro memoria po- „ ſterorum. “ & alia quae legi vix poſſunt. *(a)*

124. Cod. Memb. in 4. caracteris pariter Longobardici, eſtque Lexicon aliquod univerſale ab Anonymo congeſtum, in cujus compactura haec nota legitur: „ Iſte liber eſt emptus a nobis a *Joanne Elinger* Officiali „ noſtro in Bozano pro quinque Florenis Rhenenſibus aut ſex, non bene „ recordamur, qui conſervetur pro Bibliotheca facienda, quia bonus, & „ utilis liber eſt. *Johannes Hinderbach* Antiſtes Trid. manu propria ſcripſit. “

125. Cod. Memb. in 4. continens vetuſtam Grammaticam metris conſcriptam cum explicatione in proſa. Quis ejus ſit Author ex hoc Volumine colligere non potui.

126. Cod. Memb. in 4. optimae notae, ſed temporum injuria, longoque uſu conſumptus, eſtque antiquum Miſſale, cujus quibuſdam in locis viſuntur & notae illae muſicales, de quibus ſupra ſub n. 93. In principio ejuſdem reperitur etiam Catalogus Tridentinorum Epiſcoporum uſque ad Adelpretum LXIX. vel LXX. Epiſcopum, caractere Longobardico ſcriptus. *(b)*

127. Cod. Memb. in 4. vel 8. majori bonae pariter notae, ſed aliqua in principio, & fine deſiderantur, ſuntque in eo Horae diurnae.

128. Cod. Memb. Theologicus in 4., in quo ſunt varii Tractatus Anonymi de Sacramentis Eccleſiae, de praeceptis Decalogi &c. *(c)* & variae Authoritates collectae ex diverſis Authoribus.

129. Cod. Memb. in 4., in quo ſunt varii Tractatus Philoſophici.

130. Cod. Chart. in 4. continens *Pomponii Mellae* Coſmographiam eleganter admodum deſcriptam.

131. Cod. Memb. in 8. majori, in quo elegantiſſime deſcripti ſunt libri Paſtoralis B. *Gregorii*; in fine autem ſcripta ſunt ſequentia: „ Idibus „ Quintilibus anni ſalutis milleſimi quadringenteſimi ſexageſimi ſexti Bea- „ tiſſimi Papae Gregorii ad Johannem Archipraeſulem Ravennatem Paſto- „ rale.

(a) Legenda in Officio S. Franc. Aſſis. incipit: *Apparuit*. In Calendario die 2. Aug. habetur: *Feſtum Portiunculae dup. maj.*

(b) De hoc Codice dictum a nobis fuit in Serie Antiſt. Trid. pag. 31. & Vol. 2. pag. 76. 220. & ſeqq. nec non 349. Nunc in ſecretiori Principis Tabulario cuſtoditur.

(c) Catal. Cleſ. addit: *de Virtutibus, de Articulis Fidei, & de Peccatis.*

„ rale. Reverendiſſimo Domino *Johanni* Sanctae Tridentinae Eccleſiae „ Epiſcopo optime merito *Hieronymus Rotenpeck* Praepoſitus *in Rebedorf* „ ejuſque in urbe Capellanus ſcripſit feliciter. Acta Paulo II. Max. Pont. „ Urbis Romae, & Federico III. Divo Caeſare Auguſto pariter regnantibus.“

132. Cod. Chart. in 4. continens *M. T. Ciceronis* Epiſtolas, quarum prima talem praeſefert inſcriptionem: *Marcius Cicero ſalutem dicit Lentulo Imperatori.*

133. Cod. Memb. in 4., in quo ſunt variae Lectiones de Sanctis. In fine ejuſdem ita ſcriptum legitur: *Iſte liber ſcriptus eſt cum magna difficultate a quatuor exemplaribus Praedicatorum.* In compactura vero ejuſdem Epiſcopus *Joannes* ita notavit: „ Iſte liber & alter huic conformis fuit „ olim recolendae memoriae Magiſtri *Henrici Langenſtein de Haſſia* (a) „ Avunculi noſtri, ac Profeſſoris S. Theologiae, ac primi Rectoris „ Studii Viennenſis tempore Alberti pii Ducis Auſtriae Fundatoris ejuſ„ dem, & de manu ejuſdem in marginibus correctus & emendatus, „ prout habui ex relatione Magiſtri *Thomae de Haſſelbach*.“ Sequuntur alia, quae legi non poſſunt.

134. Cod. Chart. in 4. continens: I. *Eutropii* Hiſtoriam cum Praefatione *Pauli Diaconi*. Liber iſte aliud, quam ii, qui vulgo impreſſi circumferuntur, exordium habet. Incipit enim: *Primus, qui in Italia, ut quibuſdam placet, regnavit, Janus, deinde Saturnus.* Poſt binas vero paginas ſequitur: *Romanum igitur Imperium, quod quoad exordium nullum ferre tenuius &c.* In fine etiam addita ſunt permulta, quae in impreſſis non habentur; continuatur enim uſque ad mortem Totilae Gothorum Regis. II. *Lucii Annei Flori* libros, qui *Epitome Livii* inſcribuntur, in quorum fine ſcriptum eſt, ut ſequitur: *D. N. Johanni Hinderbach. Johannes de Haſſia in Hungaria, & Italia multis annis verſatus ſcripſit.*

135. Cod. Memb. in 4., in quo ſunt *Petri Lazaroni* Ticinenſis Profeſſoris Carmina *de ſeptem praerogativis, quae nobilitant Domos*, Epiſcopo Tridentino dicata. Inſcriptio autem talis eſt: „ Reverendiſſimo „ Praeſuli DD. Ulrico de Lapide vivo, & Tridentinae Urbis Principi clariſſi„ mo, Petrus Lazaronus in Ticinenſi Gymnaſio publicus Lector S. P. D.“ (b)

136. Cod.

(a) De Langenſteinio vide cit. Seriem Antiſt. pag. 146.

(b) Lazaronus in Epiſtola nuncupatoria adſerit, ſibi *Ulricum* innotuiſſe tantummodo *ex vulgatiſſima fama, & celeberrimo nomine*, indicatque ſe ſe incoepiſſe *Opus de clariſſimis geſtis Imperatoriae Majeſtatis*, in quo *nedum Maximiliani Romanorum Regis, & Imperatoris invictiſſimi laudes meritas complectetur, verum etiam Reverendiſſimorum Praeſidum, & magnorum Ducum, qui Ditioni ſuae parent, memoranda facta conſcribet, in quorum numero praecipue militabit* idem Ulricus. Prior Verſus iſte eſt: *Quae fecere domus aeterna laude reponi.* Omnes heroico metro ſcripti ſunt adſcenduntque ad num. 428. Prima eorum pars agit *de Prudentia, de Fide, de Juſtitia, de Amore Patriae, de Liberalitate, de Domo divite, ac de numeroſa ſtirpe*, quas omnes Praerogativas ſecunda pars adtribuit Familiae Lichtenſteiniae, ex qua prognatus Epiſcopus Ulricus.

136. Cod. Memb. in 4. eleganter caractere Longobardico descriptus; continetque *M. T. Ciceronis* Lib. de Officiis.

137. Cod. Chart. in 4. Litteris Germanicis, sed latino sermone scriptus, estque *Leopoldi Dickii* Tractatus adversus Anabaptistarum errores *Bernardo* Tridentino Episcopo, dicatus: Inscriptio autem est sequens: „ Reverendissimo in Christo Patri, ac Domino Domino Bernardo Tridentino Episcopo, Serenissimi Hungariae, & Bohemiae Regis Ferdinandi, atque Austriae Archistrategi &c. Cancellario Summo, Leopoldus Dickius LL. Doctor Sac. Rhom. Imperii Consistorii ab Advocationibus & Procurator S. D. “

138. Cod. Memb. in 4. bonae notae continens *Ovidii* Metamorphosim cum notis aliquot marginalibus & interlinearibus. In penultima pagella sequentes duo versiculi notati sunt:

Ad Vada Pontina te misit, Naso, ruina
Triplex, doctrina, risus tuus, atque Corina. (a)

139. Cod. Memb. in 4., in quo reperiuntur sequentia: I. Dialogi de diversis materiis theologicis inter Magistrum, & Discipulum. II. Collectio variarum Sententiarum. III. Statuta Pataviensis Dioecesis.

140. Cod. Memb. in 4., in quo descriptae sunt quinque *M. T. Ciceronis* Orationes: nempe de Laudibus Pompei: Pro M. Tito Annio: Pro Gneo Plautio: Pro Publio Silla: Pro Aulo Licinio. Codicem hunc fuisse Conventus S. Laurentii extra muros Civitatis Trid. testatur nota facta ab Episcopo *Joanne Hinderbach*.

141. Cod. Chart. in 4., in quo sequentia reperiuntur: I. Opusculum aliquod theologicum, quod titulum talem praesefert: „ Opus „ valde utile, & praedicabile Fratris *Thomae de Aquino* Lectoris de Or„ dine Praedicatorum, quod intitulatur: *Venenum vitiorum*. “ II. Copia Brevis Indulgentiarum a Concilio Basileensi anno 1434. directi *Teoderico Balke* Parocho Bulsanensi, vel uti in eo legitur, in Botzano. III. Preces recitari solitae a Sacerdotibus celebraturis dum sacras vestes induunt. IV. Sermones varii Authoris Anonymi.

142. Cod. Chart. in 4., qui continet *Pauli Diaconi* Historiam Longobardorum, cui tamen praeponitur Abbreviatio *Eutropii*, sed imperfecta: incipit enim: *Anno ab urbe condita MCXVIIII. Valentinianus*

 XXXVIII.

(a) Fuit enim Ovidius ab Augusto in Pontum relegatus, quod ad Juliam ejus filiam sub *Corynnae* nomine lascivas de amoribus elegias scripsisset.

XXXVIII. e Pannonia Cibalienſi editus cum eſſet Tribunus &c., & producitur uſque ad Totilae internecionem. Habet alias totum hoc Volumen notas marginales, quae videntur eſſe Epiſcopi *Joannis Hinderbach*.

143. Cod. Chart. in 4., in quo ſunt Expoſitiones Epiſtolarum Dominicalium cujuſdam Magiſtri *Vincentii*, & S. *Cypriani* liber de XII. abuſibus Saeculi.

144. Cod. Chart. in 4., qui eſt Anonymi Ars Oratoria. Librum hunc fuiſſe *Udalrici de Liechtenſtein* Epiſcopi Trid. ex eo colligitur, quod ligneae compacturae ejuſdem nomen inſcriptum ſit.

145. Cod. Chart. in 4. continens Logicam an. 1446. ſcriptam, ſed quae difficulter legi poteſt.

146. Cod. Memb. in 4. eleganter exaratus, in quo reperiuntur D. *Hieronymi* Expoſitio ſuper Epiſtolas Pauli ad Titum, & ad Philemonem, & lib. de vita Clericorum ad Oceanum. In prima etiam hujus Voluminis pagina picta viſuntur inſignia Epiſcopi *Joannis Hinderbach*. (a)

147. Cod. Chart. in 4. difficilis lectionis continet Summulam *Raymundi*, & Sermones varios Anonymos.

148. Cod. Chart. in 4. eſtque *Alberti Magni* libellus rerum naturalium deſcriptus per *Chriſtophorum Holtzmannum* de Valle Zilleris anno Domini (puto legendum) 1379.

149. Cod. Memb. in 4., in quo belle deſcripta ſunt ſequentia: I. *Alpharabii* Juriſconſulti liber de Origine Scientiarum. (b) II. *Ugonis de S. Victore* liber de eadem materia. (c) III. Liberculus *Secundi* Philoſophi. (d) IV. Sermo Fratris *Jacopuzii*, alio tamen caractere ſcriptus. (e) V. Duae Pontificiae Bullae, quarum prima eſt *Eugenii IV.* declaratque non eſſe neceſſe, ut perceptio Corporis Chriſti quotannis a Fidelibus facienda ſequatur ipſo die Reſurrectionis, ſed ſufficere, ſi paulo

(a) Catalogus Cleſianus ante Lib. ſeu *Epiſtolam de Vita Clericorum* inſerit *Epiſtolam de Veſtibus Pontificalibus*.

(b) Incip. *Cum plures olim eſſent Philoſophi, inter omnes tamen ille ſolus ſpecialiter ſapiens dicebatur, qui omnium rerum ſcientiam certa cognitione comprehendiſſe credebatur*. Concluditur pagg. 28. non numeratis.

(c) Incip. *Omnium expetendorum prima eſt ſapientia*. Auctoris nomen prima manus omiſit, appoſuit vero ſecunda, ſimulque vetuſta his verbis: *Clariſſimi Eccleſiae Doctoris Ugonis de Sancto Victore Didaſcalum de Origine Scientiarum incipit.*

(d) Abſque ullo titulo incipit: *Secundus Philoſophus omni tempore vitae ſuae &c.* In fine vero: *Explicit Libellus Secundi Philoſophi*. Implet paginas undecim, in quo habetur Dialogus ab eodem *Secundo* habitus cum *Hadriano* Imperatore, non quidem verbo, ſed ſcripto; noluit enim Philoſophus ſilentii legem ſibi voluntarie impoſitam vel morte interminata violare.

(e) Caracter eſt antiquus. Praemiſſo hoc titulo: *Sermo optimi viri D. Fratris Jacopuzii*, incipit: *Quia vero Virtus laudata creſcit*. Agit de *Magiſtris & Inventoribus Diſciplinarum & Scientiarum*. Pagina quarta habetur: *Explicit Sermo D. Fratris Jacoboni*, quem haud alium a Tudertino Minorita cenſemus.

paulo ante vel post fiat. (a) Secunda est *Pii II.* ad *Christophorum Maurum* Venetorum Ducem. (b)

150. Cod. Chart. in 4. Astronomicus, & lingua Germanica conscriptus, in cujus fine adduntur etiam Secreta aliquot medicinalia.

151. Cod. Chart. in 4. continens *Isidori* Libros Etymologiarum.

152. Cod. Chart. in 4. sat bonae notae, in quo sunt XII. Caesarum Vitae a *Svetonio* scriptae. In fine Operis reperiuntur versus nonnulli, qui sunt quasi aliquod Vitarum Compendium.

153. Cod. Chart. in 4., in quo sunt variae Expositiones, seu Homiliae in Evangelia.

154. Cod. Chart. in 4. continens Historiam Expeditionum in Terram Sanctam, cum notis marginalibus Episcopi *Joannis Hinderbach*: & Formularium Fori Ecclesiastici.

155. Cod. Chart. in 4., in cujus principio caractere (ut puto) *Joannis* Episcopi ita notatum est: „ In isto libello continetur Historia „ Translationis Corporis B. Dionysii Areopagitae Episcopi & Mart. „ Parisiensis ad Civitatem Ratisponensem tempore Arnulphi Imperatoris, „ una cum Bulla *Leonis* Papae IX. declaratoria hujus, & approbatoria. “ (c)

156. Cod. Chart. in 4., in quo sunt varii Sermones de tempore, & de Sanctis collecti per quemdam Presbyterum *Echardum de Gundelfing*, Joannis Episcopi Capellanum.

157. Cod. Chart. in 4., in quo est Reprobatio Articulorum Hussitarum incipiens: „ Jussit Reverendissima vestra Paternitas, & metuen-„ dissima Dominatio tua, quae negare fas non est, ut videlicet mate-„ rias, ac motiva certorum Articulorum, quibus moderni Haeretici „ Wicleffistae & Hussitae moliuntur seducere fideles &c. “

158. Cod. Memb. in 4. continens Vitas plurium Sanctorum caractere Longobardico descriptas.

159. Cod. Chart. in 4. continens Vitas S. *Wolfgangi*, & *Emerani*; habetque plures notas marginales Episcopi *Joannis Hinderbach*.

160. Cod. Chart. in 4., in quo sunt Formulae variarum Epistolarum Principum ad Privatos, & Privatorum ad Principes.

161. Cod. Chart. in 4., in quo sunt sequentia: I. *Sexti Ruffi* liber rerum gestarum Populi Romani. II. *Plutarchi* liber de virtute, & fortuna Romanorum, cum praefatione *Nicolai Perotti*. III. Magni *Basilii* Epi-

(a) Hujusmodi Bulla Eugeniana data Romae *sub annulo secreto* die 8. Julii 1446. incip. *Fide digna relatione percepimus, in Civitate Licii &c.*

(b) Data est Romae 8. Cal. Nov. 1463. & incip. *Quod jam pridem occulto &c.* in qua praefatum Ducem enixe rogat, ut se se illi, ac *magno Burgundiae Duci Philippo* adjungat in proxima Expeditione contra Turcas, quae proinde *Trium Senum Expeditio appellabitur*.

(c) Praefata Historia incip. *Dum Opus promissum*.

Epiſtola de vita ſolitaria ad Gregorium Nazianzenum latine reddita per quemdam *Ambroſium* Florentinum Monachum Camaldulenſem. (a) In fine reperiuntur etiam verſus alicujus Monachi *Tadaei* nomine, qui praefati Ambroſii laudes referunt. IV. Libellus Expoſitionum Graecarum Dictionum in Prologis S. *Hieronymi*. V. Virgilii Maronis Vita per *Aelium Donatum* Grammaticum conſcripta. VI. Verſus de bono viro, de Roſetto &c. qui *Virgilio* tribuuntur. VII. *Leonis Baptiſtae Alberti* Libri de Grammatica, & Pictura. In toto autem hoc Volumine reperiuntur notae Epiſcopi *Joannis Hinderbach*.

162. Cod. Chart. in 4. eſtque Quadrageſimale *Jacobi de Varagine*.

163. Cod. Memb. in 4. vel 8. majori, eſtque Breviarium Romanum ante tria circiter Saecula eleganter deſcriptum. In pleriſque ejuſdem paginis variae pictae ſunt figurae; in poſtrema autem praeter annotationem de horribili quodam incendio exorto Bulſani an. 1483. 27. Februarii, notatur etiam, ut ſequitur: „ Anno Domini MCCCCLXXIII. „ in die S. Acacii in Civitate Pruck in Flandria inter primam, & ſe„ cundam horam poſt meridiem natus eſt Dux *Philippus* ex Domina „ *Maria* Duciſſa Auſtriae, & Burgundiae, & in die S. Petri & Pauli „ baptizatus eſt per Epiſcopum Tornacenſem. Hii ſunt Compatres: „ Regina Angliae, & quidam Dux de Kleffe, & duo Barones ſive Co„ mites ejuſdem loci. “

164. Cod. Chart. in 4., qui continet: I. Vitam Chriſti italico, ſed barbaro, & impolito ſermone conſcriptam ab Anonymo. II. Sermones nonnullos latinos.

165. Cod. Memb. iu 8. ſat bene conſervatus, eſtque libellus *Dionyſii* de Situ Orbis habitabilis, cum praefatione *Antonii Becariae* Veronenſis.

166. Cod. Theologicus Memb. in 8. majori, vocaturque Opuſculum de Actione Miſſarum. Epiſcopus *Joannes* notavit libellum hunc anno 1450. ſibi donatum fuiſſe a quodam Burgi Magiſtro Novae Civitatis Auſtriae.

167. Cod. Chart. in 4. in quo ſunt: I. Variae Sententiae ex antiquorum Philoſophorum Scriptis collectae. II. Annotata in complures Juris Canonici Textus. III. Mirabilia Urbis Romae.

168. Cod. Chart. in 4. continens duas Orationes latine ſcriptas a quodam *Nicolao Scutellio* Auguſtiniano (b) Tridenti, & Bernardo Cardinali

(a) Ambroſius iſte Ordinis Camaldulenſium Abbas Generalis evaſit an. 1431. die 26. Octob. Fuſe de eo, & cum laude agit Caſ. Oudinus To. 3. de Scriptor. Eccl. col. 2434. & ſeqq. ubi hac omiſſa, alias ejus verſiones recenſet.

(b) In Catal. Cleſ. idem *Nicolaus* appellatur *Fr. Nicolaus a Scutellis Haeremitarum Provintialis*. Suae Provinciae Venetae praefuit an. 1538. & 1539. cum antea fuiſſet a Secretis ſui Generalis, Ejus Opera recenſent Auguſtiniani, inter quae numerantur *Tractatus de Unitate*, *quod Syn-*

nali Episcopo Trid. inscriptas anno MDXXIX., dein ejusdem Dialogum de Comitiis habendis, sive Concilio, in quo personas loquentes inducit Karolum, Ferdinandum, & Bernardum.

169. Cod. Chart. in 4., qui hunc habet titulum: *Epitoma de Imperatoribus Turcarum, ac eorum origine rebusque gestis usque ad Solymanum Tsaccum.* Author Operis hujus est *Magnus Grueber* Lusacius, qui illud dicavit *Bernardo Clesio* Trid. Principi, (a) cujus Insignia in prima pagella picta visuntur cum sequentibus versiculis.

Dum Jovis hic volucer stabit, geminique Leones
Haud dubie hoc rabido dente carebit opus.

170. Cod. Chart. in 4., in quo sunt varii Sermones latini, quorum authorem ignoro.

171. Cod. Chart. in 4. continens varias preces italico idiomate conscriptas, quae miram redolent illius saeculi simplicitatem.

172. Cod. Memb. in 8., qui continet artem concionandi, & apparatum pro variis Concionibus. In fine additae sunt etiam Observationes aliquot Liturgicae circa Missae Sacrificium.

173. Cod. Membr. in 8. estque Anonymi Moralis quidam Tractatus, in quo disseritur de recta vivendi ratione, de amicitiis, nempe de amore Conjugum, filiorum &c. In fine etiam sunt Sermones aliquot latini.

174. Cod. Chart. in 4., in quo est Narratio historica Obsidionis Wie-

---

Symbolum erat praeclarissimi illius Episcopi, Principisque Tridentini, ac S. R. E. Card. & Caesareae Aulae Cancellarii Bernardi Clesii, nec non *Oratio funebris in obitu Cardinalis Tridentini*, ejusdem videlicet Clesii. Item supra memorata *pag.* 191. Versio *Jamblici*, quam nostro Antistiti *Christophoro Madrutio* inscripsit. Eadem Versio, referente Cl. Gentilotto in MS. Catal. Codd. Philosoph. Bibl. Vindob., reperitur in 42. Cod. Chart. fol. praefatae Bibliothecae: quo in Codice est insuper „ Nicolai de Tridento Eremitae Augustiniani Versio Latina Luciani Samosatensis Dialogi, qui „ inscribitur Xenophontis & Callidemidae, & inter Dialogos mortuorum septimus est, ad Antonium Tibaldeum, ad quem praefixa est Epistola nuncupatoria, cuius inscriptio, & initium est „ hujusmodi: *Reverendissimo Domino Antonio Tibaldeo viro eruditissimo salutem plurimam dicit* „ *Nicolaus Eremita Augustinianus. Quid obsecro te, vir omnium candidissime, gratiosius? quid literatius? quid deinde gravius? &c.* Data est *Romae Idibus Febr. MIϽXXXIII.* cum hac subscriptione: *Fr. Nicolaus Tridentinus Eremita Augustinianus.* Interpretationis initium est: *Xenoph.* „ *Tune etiam o Chalidemida obiisti?* “ Mox ibidem subsequitur „ Ejusdem Nicolai, ut ipse in „ Epistola ad Tibaldeum memorat, Interpretatio latina Homericorum Hymnorum quatuor, in „ Venerem scilicet, Minervam, Junonem, Musas & Apollinem. “

(a) Epistola nuncupatoria, quae incipit: *Libellum hunc*, habetque *Datum Oeniponte IX. Kal. Junii anno MDXXX.* praefert titulum hujusmodi: „ Reverendissimo & Ill. Principi ac Domino „ Domino Bernardo S. R. E. tit. N. Presbytero Cardinali & Episcopo Tridentino, Serenissimi „ Principis ac Domini Domini Ferdinandi Regis Hungariae & Bohemiae &c. Consiliario, Praesidenti ac Supremo Cancellario, Studiorum atque Studiosorum Patrono, Domino mihi multis „ modis observandissimo salutem & felicitatem. “

Wienensis a *Paulo Osterreich Ernalldt* (a) Germanico Idiomate composita, & Cardinali *Bernardo Clesio* dicata.

175. Cod. quondam Chart. in 4., nunc aliquae ejusdem reliquiae a tineis relictae: videtur autem fuisse Grammatica metrice conscripta.

176. Cod. Memb. in 8. pariter a tineis corrosus, continet Institutiones Fratrum Cistercienfium. Codicem hunc fuisse *Henrici de Metis* olim Episcopi Trid. autumat *Joan. Hinderbach*, ut ipsemet in initio libri notavit.

177. Cod. Memb. in 8. estque vetustum aliquod Breviarium caractere Longobardico scriptum, in cujus primis, postremisque pagellis variae visuntur notae Episcopi *Joannis*, sed quae difficulter legi possunt.

178. Cod. Chart. in 4., in quo sunt bina Opuscula de Grammatica, atque Arte Oratoria, quorum Author ignoratur.

179. Cod. Chart. in 4., qui est Dialogus *Plutarchi* de Praeceptis salubribus latinus factus a *Julio Alexandrino* Medico Trid., & ab eodem *Christophoro Madrutio* dicatus. (b)

180. Cod. Chart. in 4., in quo sunt Lectiones de B. Dominico, aliisque Sanctis Ordinis Praedicatorum.

181. Cod. Membr. in 8. continens Anonymi Tractatum quemdam Theologicum de Confessionibus.

182. Cod. Membr. in 8., qui continet novum Testamentum minuto, & antiquo, sed non ineleganti caractere descriptum. In prima autem pagina ita scriptum est: *Melchior Episcopus Brixinensis.*

183. Cod. Chart. in 8., in quo sunt variae Lectiones de Sanctis. In principio hujus Libri reperitur annotatio Joannis Episcopi de an. 1474. sed quae difficulter legi potest. (c)

184. Cod. Membr. in 8. estque Oratio *Francisci Lusci* ad *Franciscum Sfortiam* Ducem Mediolani scripta anno Domini 1454.

Huc usque Gentilottus.

AD-

(a) In Catal. Cles. latine: *Paulus Austriacus Heroaldus.*

(b) Inscriptio haec est: *Reverendissimo Praesuli ac Principi Illustrissimo Domino Domino Christophoro de Madrutio meritissimo Episcopo Tridentino & Domino suo, Julius Alexandrinus Medicus S. D.* In Epistola, quae mox sequitur, quaeve incipit: *Quum omnes salutem*, laudatur *Joannes Ecta*, ille scilicet, qui in Charta anni 1551. appellatur *Artium & Medicinae Doctor*, ac *Maximiliani Bohemiae Regis Physicus*, de quo nos supra pag. 221. & 301. Vidi Literas Maximiliani II. Rom. Imp. ex Arce Regia Pragae datas ad Consules Tridentinos die 22. Julii 1575. in quibus laudat eumdem *Julium Alexandrinum Protophysicum suum*, testaturque se expertum fuisse *multoties ac feliciter admodum ejus insignem in re medica scientiam, & in dijudicandis morbis ac morborum causis sagacitatem, remediisque applicandis fidem atque solertiam*, ideoque *in ejus fide atque dexteritate non immerito plurimum spei collocatum habere*. Ex iisdem Literis praeterea constat, tunc urbem Tridentinam pestifera lue saevissime grassante vexatam fuisse.

(c) Continet hoc Volumen Officium *B. P. N. Francisci Conf.* cum tota Legenda, quae incipit *Apparuit*, per Octavam divisa. Officium de Stigmatibus ejusdem Sancti. Insuper Officia S. Antonii de Padua cum Oct., S. Ludovici Episcopi cum Oct., S. Clarae Virg. cum Oct., S. Trinitatis novum, Corporis Christi, B. V. ad Nives, Conceptionis B. V., Inventionis S. Crucis novum, Exaltationis novum, & Visitationis B. V. Bonifacii noni.

ADDITIO

Ex MS. Catalogo Clesiano ejusdem Episcopalis Bibliothecae. (a)

185. COd. Chart. continens *Henrici de Hassia* Epistolam de falsis Prophetis: & Epistolam *Theodophori* Eremitae de Devotione Religionis. (b)

186. Cod. Chart., in quo habentur *Horatii* Sermones.

187. Cod. Memb. comprehendens Quatuor libros Sententiarum Magistri *Petri Conventualis*. (*sic*)

188. Cod. Memb. eleganter admodum exaratus, qui est Libellus *Narcissi de Verduno* de Nativitate, & Adoratione trium Regum, ac Baptismate Christi.

189. Cod. Chart. continens Tractatum de Hierarchia Angelorum: Casus extractos ex dictis B. *Thomae*; ac *Senecae* libellum de Remediis multorum casuum.

190. Cod. Memb., in quo reperiuntur Epistolae *Senecae* ad Lucillium.

191. Cod. Memb. antiquus, exhibens *Senecam* de causis.

192. Cod. Memb. pulchre scriptus, estque Liber de Ecclesiae Libertate *Bernardo Clesio* Card. & Episcopo Trid. donatus in Bohemia an. 1538.

193. Cod. Memb., in quo sunt Libri Ethicorum *Aristotelis*.

194. Cod. Memb. vetustus, continens Libros Physicorum, Meteorum, de Coelo & Mundo *Aristotelis*.

195. Cod. Memb., in quo exstat Liber *Petri Andreae Matheoli* Senensis Medici de vera curatione morbi Gallici, Episcopo Tridentino dicatus. (c)

Eee 196. Cod.

(a) Monitum volumus Lectorem, nos putare, haud tot fore Codices, quot erunt Opuscula, quae ex hoc Clesiano Catalogo referemus. De eodem Catalogo vide supra pag. 368. in Nota.

(b) Hujus Eremitae mentionem facit Cl. Daniel Papebrochius To. 6. Maji ad diem 29. in *Disquisit. Historica de S. Joachimo Ab. Florensi* n. 60. Videri quoque de eo potest Casimirus Oudinus To. 3. de Scriptor. Eccl. antiq. col. 2217. Fuit Presbyter Consentinus, *rarae virtutis Eremita*, ideoque *a Consentinis Scriptoribus Beati titulo honoratus*, teste laudato Papebrochio.

(c) Auctor iste celeberrimus tandem fuit an. 1573. in Civium Tridentinorum classem relatus. In Cathedrali ejusdem urbis Ecclesia prope Januam occidentalem ad ingredientium dexteram sepultus jacet, ubi etiam lapis albus, elatusque cernitur, cum anaglyptica Effigie, atque Inscriptione:

Herbarum vires nec rectius edidit alter
Nec mage te clarus hac super arte fuit.
Si mens ut corpus depingi posset, Imago
Una Dioscoridis, Matthiolique foret.

D. O. M.

196. Cod. Chart. continens Opus *Strabonis*.

197. Cod. Chart., in quo colliguntur plures Epistolae *Aeneae Silvii*.

198. Cod. Chart., qui est Libellus eumdem *Aeneam Silvium* de potestate Caesarea, & nonnulla alia servans.

199. Cod. Chart., in quo continentur *Dominici Episcopi Torcellani* Oratio pro electione Summi Pontificis habita; Oratio ejusdem in laudem Beatissimae *Catharinae de Senis*: ejusdem praeterea Quaestiones aliquot inscriptae Pio Secundo Pont. Maximo: nec non Anonymi Archiepiscopi *Mitilensis* Epistola ad eumdem Papam de perditione Insulae Mitilenae.

200. Cod. Chart. exhibens *Ruperti* Monachi de Cella Sancti Remigii Remensis Dioecesis Historiam Passagii generalis Ultramarini ad Terram Sanctam Hierusalem.

201. Cod. Chart. bene scriptus, qui est Liber Fratris *Joannis Francisci de Beatis* Theologi Ordinis Praedicatorum, de Ponte Tridentino construendo, Episcopo ejusdem urbis dicatus. *(a)*

202. Cod. Chart., qui continet Opuscula metrica *Ubertini Pusculi* Poëtae Brixiani de Perditione Constantinopolis, & de Martyrio Beati Simonis pueri Tridentini.

203. Cod. Memb., in quo reperitur Istrias *Raphaëlis Zovenzonii*, Episcopo Tridentino *Joanni Hinderbachio* inscripta.

204. Cod. Chart. continens quasdam Regulas Grammaticales, una cum *Augustini Dathi* Senensis Elegantiis.

205. Cod. Memb. pulchre scriptus, qui est libellus *Valerii Probi* de Literis antiquis.

206. Cod. Chart., qui continet Libellum *Joannis Aglicii* contra Anabaptistas, Cardinali Tridentino (*Bernardo Clesio*) dicatum.

207. Cod. Chart. qui est Opusculum *Laurentii Vallensis* de Donatione Constantini Imperatoris Silvestro.

208. Cod. Chart. continens Epistolas *Phalaridis*.

209. Cod. Chart., in quo sunt Proverbia cujusdam Magistri *Raymundi*. *(b)*

210. Cod.

D. O. M.

Petro Andreae Matthiolo Senensi III. Caesarum Ferdinandi, Maximiliani & Rudolphi Consiliario & Archiatro: & Hieronymae Comitissae ex antiqua & illustri Castellanorum seu Comitum Varmi Familia, Ferdinandus Matthiolus Caesari Ferdinando Austriae Archiduci, & Joanni Georgio Saxoniae Electori a Consiliis, & Cubiculis, Medicus, Apostolica & Imperiali auctoritatibus Sacri Palatii Lateranen. Aulaeq. Caesareae Comes, & armatae Militiae Eques Auratus, una cum Maximiliano fratre, Anniversariis Precibus institutis, Parentibus benemerentiss. PP. Ann. MDCXVII. Vixit ille Ann. LXXVII. An. Christi MDLXXVII. obiit Tridenti. Vixit illa An. XXXXII. Obiit ibidem An. Domini MDLXIX.

(a) Nempe *Bernardo Clesio*, Beatus patria Tarvisinus, claruit Saeculo XVI. circa medium. Vide Jacobum Quetif To. 2. Scriptor. Ord. Praed. pag. 123., ubi addendum erit praefatum Opusculum.

(b) Videlicet *Raymundi Lullii* Hispani, tertii Ordinis Minorum alumni. Vide Bibliothecam Franciscanam P. Joannis Suarez To. 3. pag. 46. & seq. necnon Acta SS. 30. Junii.

210. Cod. Chart., qui est Liber de consideratione quintae essentiae.

211. Cod. Memb., in quo Chronica de Gestis Federici Imperatoris, & Ezelini de Romano.

212. Cod. Chart., in quo Friderici tertii, & Mathiae Regis Hungariae, aliorumque Gesta illis temporibus, partim Latino, partim autem Germanico Idiomate describuntur.

213. Cod. Chart. continens Periodum, sive Summarium omnium Decadum *Titi Livii*.

214. Cod. Chart., in quo exstant Sermones Discipuli (*nempe Joannis Herolt Dominicani*) de Sanctis.

215. Cod. Chart., qui est liber de Medicina Magistri *Joannis Plateani*.

IN SECRETIORI TABULARIO EPISCOPALI.

216. Cod. vetustissimus in fol. rarae admodum membranae, continens Quatuor Jesu Christi Evangelia incompleta, de quo Codice plura retulimus in Dissert. Praevia Vol. 2. pag. lviij. & seqq. Videatur quoque Vol. 3. part. 1. pag. 485.

217. Cod. Memb. nitidissimus, remotiorisque antiquitatis, qui est Sacramentarium S. Gregorii Papae, cum antiquo Martyrologio. De hoc pariter Codice nonnulla attigimus cit. Vol. 2. pag. 219., ubi seqq. paginis publici juris fecimus memoratum Martyrologium. Videri insuper possunt quae monuimus Vol. 3. part. 1. pag. 65. & 485.

218. Cod. Memb. in 4. estque Sacramentarium Udalricianum, id est sub Udalrico II. Episcopo Tridentino Saec. XI. scriptum, cujus non semel meminimus Vol. 2., ubi etiam ex eodem exscripsimus Calendarium, ac Diptychum. Vide sis sup. pag. 21.

219. Cod. Memb. in fol. Saeculo XIII. exaratus, qui est Missale, ut videtur, ad Ecclesiae Augustanae usum. Paulo uberiorem ejus notitiam exhibuimus cit Vol. 3. part. 1. pag. 66. n. VIII.

220. Cod. Memb. Liturgicus in fol. ad usum Card. Bernardi Clesii scriptus an. 1536. Recolantur dicta supra pag. 186. & seq.

221. Cod. Memb. in fol. continens Synodales Constitutiones *Henrici III.* Episcopi Trid. anni 1336., quas nos luce publica donavimus Vol. 2. pag. 675. & seqq. Post duo Decreta Canonicalia in eodem Codice reperitur Catalogus Episcoporum Trid. a *Jovino* usque ad 88. *Georgium de Liechtenstein*, una manu descriptus, cui Joannes Hinderbachius plures addidit notulas, suosque proximos Praedecessores, ac seipsum.

222. Cod. Chart. in 4. maj. qui est Catalogus Episcoporum ejusdem Ecclesiae a *Jovino* usque ad *Albertum de Ortenburg* una manu productus, aliisque continuatus usque ad *Georgium de Neydegg*.

223. Cod. Memb. in 4. maj. continens exemplum ejusdem Catalogi, in quo Neydeckii merita, & obitum, atque etiam suam electionem propria manu addidit *Bernardus ex Nobilibus de Gles*.

224. Cod. Memb. in fol., in quo manu Germanica descriptae habentur Constitutiones Synodales Trid. an. 1489. ac 1497. In Codicis capite rubris literis scriptum legitur: *Anno Domini 1489. die 17. & 18. Martii, in alma Ecclesia Cathedrali Tridentina, tempore Rmi Dñi Dñi Udalrici Episcopi dignissimi Tridentini, & Tridenti excellentissimi Domini, celebrata fuit Sancta Synodus universalis, in qua editae fuerunt Constitutiones Synodales infrascriptae, & publicatae praesente Reverendo Capitulo praefatae Ecclesiae, ac omni Clero Civitatis & Diocesis Tridentinae, & quas praelibatus Rmus Dñs Episcopus & Dominus, observari mandavit sub poenis & censuris in eis contentis. Praelibato Rmo Domino Indumentis Pontificalibus induto, cum Diacono & Subdiacono, aliisque Ministris sibi assistentibus cum Officio solemni in tali Synodo universali consueto celebrari, ipsa Synodus celebrata fuit*. Eadem leguntur quoque ad Codicis finem, si temporis notam excipias; posterior enim Synodus celebrata dicitur *Anno 1497. diebus 4. & 5. mensis Aprilis*. Ibi e vestigio subditur: *Georgius Seltsam Notarius manu propria scripsit*. Porro Constitutiones an. 1489. ad *Udalricum Frundspergium*, & aliae an. 1497. ad *Udalricum Liechtensteinium* Episcopos Tridentinos pertinent.

225. Cod. Memb. in fol., qui continet Constitutiones Synodales *Georgii Neydeckii* Tridentini Episcopi, absque nota Chronologica. Vide supra pag. 172. col. 1.

226. Cod. Memb. exiguae molis, sed belle exaratus, continens *Thomae Prati* Tarvisini Carmen Elegiacum super Martyrio B. *Simeonis* pueri Tridentini, Joanni Hinderbachio Domino & Episcopo Tridentino inscriptum anno 1475. Idibus Septembris. Incip. *Terpsichore nunc sume Lyram &c.* His ipsis typis illud publica luce donavimus hoc an. 1765.

IN BIBLIOTHECA CAPITULARI

Ex ejusdem MS. Repertorio.

227. Nicolai de Dinchelspich Sermones de tempore. Sub lit. Q.

228 Innocentii Tertii Sermones de Sanctis, ac Libri de miseria conditionis humanae. S.

229. An-

229. Antonii Parmensis Postillae. X.

230. Papae Caeremoniale, ac Martyrologium. Z. *(a)*

231. Aeneae Sylvii Epistolae. GG.

232. Tractatus de Antichristo. — Registrum veteris & novi Testamenti. — Lumen Confessariorum. HH.

474 233. Divi Bernardi Sermones super Canticis Canticorum, & super Evangelio *Missus* est. II.

234. Divus Hieronymus de Historia Ecclesiastica. Idem de Viris Illustribus; & contra Jovinianum. — Joannes Boccacius de Mulieribus Claris. NN.

235. Lectionarium Sanctorum. OO. *(b)*

236. Secretum Secretorum Aristoteli adscriptum ad Alexandrum Magnum. QQ.

237. Tractatus de Missa, & Poenitentia. — De decem Praeceptis Decalogi. — De Symbolo Apostolorum. — De octo Beatitudinibus. — Joannes Gerson de variis materiis. RR.

238. Guidonis de Monte Rotherii (*al. Rocherii*) Manipulus Curatorum. — Thomae de Haselspach Decalogus. — Nicolaus Geuz *(c)* de peccatis oris, vel linguae. — Magister Ugo de opere trium dierum. SS.

467 239. Petri Lombardi quatuor libri Sententiarum. — Henrici de Lur Instructio ad Confessarios Episcopatus Tridentini. XX.

240. Divi Hieronymi Presbyteri Epistolae. YY.

470 241. Cassiodori Variarum. ZZ.

242. S. Isidori super Canticis Expositio abbreviata. — Joannis Avverbachii Directorium Sacerdotale. — *(d)* Jacobi de Zorzio J. C. Repetitio solemnis super Caput *Omnis utriusque sexus*. AAA. *(e)*

243. Rituale antiquum Defunctorum. EEE.

244. Titulorum Decreti Explanatio. KKK.

245. Pauli de Castro Consilia. OOO.

246. Sardi, vel Surdi, Sermones de Sanctis. RRR.

247. Directorium Juris. VVV.

248. Le-

(a) Codex est Memb. in 4. parvo. Martyrologium edidimus Vol. 2. in Notis, atque Additionibus ad Calendarium Udalricianum.

(b) In hoc Membr. Cod. in fol. legimus olim Vitam nostri gloriosissimi Patroni S. Vigilii, atque etiam SS. Hermagorae & Fortunati. Idem Hermagoras ibi quoque appellatur *Evangelistae Marci Discipulus*.

(c) Forte *de Gretz*. Nam Cl. Gentilottus in MS. Catal. Codd. Vindob. adfert *Magistri Nicolai de Gretz Expositionem Symboli Apostolorum &c.*

(d) *Johannes de Aurbach* Presbyter Ecclesiae Bambergensis laudatur a Trithemio de Scrip. Eccl. n. 727. inter Scriptores Saeculi XV. Ab Heidenrechio appellatur *Aurbachius*.

(e) An fortassis legendum: *Jacobi de S. Georgio, vel de Zocbis?*

248. Legendae Sanctorum. A E.

249. Robertus de Saxonia de Vita Christi. A O.

466 250. Divi Ambrosii Episcopi Homiliae super Lucam. A. T.

251. Antonius de Butrio super primo Decretalium. — Petri de Baldis Tract. Canon. Episcoporum & Parochorum. A X.

252. Pontificalis Romani pars 1. & 2. B H.

253. Joannis Gerson Tractatus varii. — Fratris Joannis Kek Tractatus ad Canonicos Underfdorffenses. B. P.

254. Michaël Savonarola de Febribus. Item de Urinis. B Q.

255. Friderici Imperatoris Epistolae. B T. (a)

256. Nicolaus de Dinckelspichel super 4. Lib. Sententiarum. B Y.

257. Manipulus Curatorum. — Dicta diversorum Sapientum. — Tractatus de Decimis. C I.

258. Orationes & Epistolae variae. C N.

259. Breviarium Bohemicum. C. O.

260. Wilhelmi Durantis Rationalis Divinorum Officiorum 6. 7. & 8. pars. D G.

261. Summa Raymundi de Sacrificio Missae. — Tractatus de Matrimonio. — Item de peccatis. D I.

262. Antonii Rampegalli (*al.* Rampelogi Neapolitani O. E. S. Aug.) Biblia Aurea. — Tractatus de Clericis Fornicariis. — Joannes de Deo de Dispensationibus. — Liber Transformationis in Christum Crucifixum. — Petri Damiani de Vita solitaria. D K.

263. Thomas de Haselpach super Epistolis de Sanctis pars aestiva. Super Evangeliis pars aestiva. Super Epistolis de tempore pars hyemalis. D M

264. Vitae Sanctorum. D Q.

265. Ordo Romanus. D V.

266. Trasmundus de Arte dictandi. D X.

461 267. Dialogi Gregorii Papae. D Y.

462 268. S. Augustini Episcopi Homiliae. E G.

269. Bulla aurea Caroli quarti Imperatoris. — Francisci Petrarchae Augustalis. — Paulus Diaconus. — Vitae Summorum Pontificum. G H.

270. Officium Visitationis B. M. — Joannes Gerson de Imitatione Christi. (b) Legendarium Sanctorum. (c) Regulae Memoriae artificialis. E N.

271. Ars generalis cum Glossa. E R.

272. S.

(a) Volumen Chart. in fol. Continet Epistolas Friderici non primi, sed secundi hujus nominis Imperatoris. Vidi.

(b) Consulendae heic *Deductio Critica*, nec non *Moralis Certitudo pro Ven. Thoma Kempensi* novissime vulgatae a Cl. V. Eusebio Amort C. R. & Decano Pollingano.

(c) In hoc Legendario animadverti Vitas SS. Firmi & Rustici, nec non S. Zenonis Episcopi & Confessoris.

272. S. Thomae Aquinatis de quatuor Virtutibus Cardinalibus. — Maffaei Vegii de educatione Liberorum. — Dialogi anonymi. — Liber quadripartitus nuncupatus. G X.

460 273. Severinus Boëtius de Consolatione Philosophiae. F H.

274. Legendarium quorumdam Sanctorum. F. I.

275. Collationes Dominicales Mortuorum. F K.

276. Fratris Aldrovandini Sermones Dominicales de tempore. FN.

277. Jacobus de Varagine de Sanctis. — Arrha Animae, sive Soliloquia aliqua Theologica. F P.

278. Orationes Missae Officii currentis totius anni. F R.

279. Libri Moralium S. Gregorii Papae. F V.

280. Et alii plures continentes Sacram Scripturam, & in eamdem diversorum auctorum, quorum nomina non exhibet Repertorium, Expositionem. Item plures Musicales, Chorales, Medicinales, nec non comprehendentes Sermones, Tractatus &c.

Finit Catalogus MSS. Codicum.



VIN-

VINDICIAE GEORGII HACKII EPISCOPI AC PRINCIPIS TRIDENTINI.

Si persuadere non potui, utrum tamen ea dixerim, quae persuadere debuerint, qui legent potius judicabunt. S. Aug. de Anima & ejus Orig. Lib. 4. Cap. 24.

I. REM plane arduam, alea quoque ac discrimine plenam adgredior, nempe Vindicias *Georgii Hack de Themesvvald* ex Nobilibus Silesiae Antistitis Principisque nostri, cui Viri eruditione, ac doctrina praeclari notam teterrimam inusserunt, in hac Dissertatiuncula pro qualicumque mea virili parte diluendam. Etenim Odoricus Raynaldus To. XIX. Annalium Ecclesiasticorum ad An. 1461. sub num. 11. referens Bullam Pii II. PP. latam contra *Sigismundum* Austriae Principem, *Dat. Romae apud S. Petrum Incarnationis Dominicae MCCCCLXI. x. Kal. Februarii Pontificatus sui An. III.*, inter ejusdem *Sigismundi Sectatores praecipuos Tridentinum Episcopum, & Gregorium de Haymburg* nedum commemorat, sed & nostrum Praesulem ab eodem Pontifice propterea *exauctoratum* pronunciat.

Ipsissima adseverat Antonius Pagius To. V. Breviarii Pontificum Romanorum ad eumdem annum 1461. sub num. 42. in hoc dumtaxat a Raynaldo diversus, quod *Gregorius de Haymburg* ab ipso *Georgius Heymburgius* nuncupatur. Memorat quoque praedictam Bullam idem Raynaldus ad an. 1464. n. 34., ubi tamen datam ait *Anno MCCCCLX. x. Kal. Febr.* Qua cohaerentia ipse viderit. Non ita pridem ad meas pervenit manus exemplum ejusdem Bullae Pii II. praeferens non quidem An. MCCCCLXI. sed MCCCCLX., in eaque Pontifex nedum *Sigismundum ex Austriae Principibus* notat, ceu *de haeresi suspectum*, sed *etiam similiter Georgium pro Tridentino Episcopo se gerentem ob notoriam ejus adhaesionem, quam facto cottidie ostendit, cum quo, & idem sentire videtur, censuras*

ras contemnendo, & ideo de fide catholica vehementer suspectum. Inter autem numero plures ita notatos, nominatim recensetur *Wolfangus Neidlinger assertus Canonicus Brixinensis*. De quo exstat Diploma publicatum an. 1465. die 2. Aug. Oeniponti, ubi Episcopus *Georgius* elapso jam biennio, quo temporale Dominium suae Ecclesiae, ob dissidia cum Civitate Tridenti, memorato *Sigismundo* cesserat, infirmitate praepeditus, eaque durante, cum consensu Capituli Coadjutorem ad annum nominat & instituit eumdem *Wolfgangum Neidlinger*, sive *Niderlinger*, Canonicum Brixinensem, & Parochum in Tisens, cum plena instructione, uti latius ex dicto Diplomate adparet. Porro cum annus 1465. fuerit nostro Antistiti emortualis, argumento est, in praefata adhaesione, adeoque haereseos suspicione, nedum vixisse, sed & decessisse. Praedictam *adhaesionem Georgii* cum *Sigismundo* multiplices etiam Pactionum, quas iniere, tabulae, ac cessio Dominii temporalis eidem *Sigismundo* iterato facta, satis testantur. Quae quidem omnia, cum indubia, ac plane decretoria videantur, vix aut ne vix quidem locum esse justis nostri *Georgii* Vindiciis rem non penitius rimanti facile videri potest.

Verum enim vero ut ut id valde operosum agnoverim, minime animum duxerim despondendum, quin potius periclitandum existimaverim, si forte fieri possit, ut solide ostendam Praesulem nostrum aut ab impacta nota penitus immunem, ac prorsus insontem; aut si quid peccaverit, ab se admissi criminis nedum ex corde poenitentem, sed & in praestanda debita Apostolicae Sedi obedientia omnium Antesignanum, Praecursorem, ac facile Principem. Quod si quanta potero brevitate praestiterim, rem gravissimam quam brevissime confecisse crediderim, consuluisse, inquam, famae vehementer laesae longe praestantissimi Antistitis, de cujus orthodoxia nostra Tridentina Ecclesia nusquam dubitavit. Hincque Tridentinarum Antiquitatum Studiosi post jam a me lucubratas Vindicias *Henrici III.*, habebunt quoque egregium Praesulem alterum, itidem meo modulo vindicatum.

II. Extra omnis dubitationis aleam nequaquam diffiteor, inter *Georgium* nostrum, ac *Sigismundum* Austriae Ducem, Tirolisque Comitem, arctam quamdam necessitudinem intercessisse. Sicut enim Frater erat *Happi Hack* ejusdem *Sigismundi* Mareschalli, ita Tridentino Capitulo, ac ipsomet *Sigismundo* petentibus, an. 1446. die 17. Octobris a Basileensi Synodo in Tridentinum Praesulem eligi ac confirmari meruit. Dubium unice, totiusque difficultatis cardo in eo versari potest, an idem noster *Georgius* fuerit quidem dicti *Sigismundi* Amicus, non tamen more *Gregorii Haymburgensis*, sed potius, ut vocant, *Amicus usque ad aras*, adeoque eligens pro re nata *obedire Deo magis, quam Hominibus*: id quod heic

mea intererit haud levibus (ni meus vehementer me fallit animus) rationum momentis persuadere, ac in bono lumine collocare. Anteaquam autem hoc agam, operae pretium existimo rem velut ab ovo exordiri, ab acerrimo, inquam, dissidio ejusdem *Sigismundi* cum Cardinali *Nicolao Cusano* Brixinensi Praesule, de quo Gerardus de Roo, Scriptor si quis alius gravissimus, ad calcem Lib. VI. Historiae Austriacae loquitur in haec verba: „ Anno quinquagesimo (*nempe post millesimum quadringentesimum*) Brixinenses, adstipulante Sigismundo, Episcopum creaverant, „ *Leonardum VVismajerum*, Parochum Tyrolensem; hunc confirmare nolens Summus Pontifex, *Nicolaum Cusanum*, Virum eximie doctum „ substituit. Huic Sigismundus, circa annum sextum & quinquagesimum, Arcem Taufers cum subjecta ditione oppigneraverat. Cum „ vero se invito factum esse Episcopum Princeps non concoqueret, ac „ aliae item offensiones quotidie orirentur, erupit tandem in apertum „ odium simultas, & Sigismundus captum in Oppido Brunegga Episcopum aliquandiu in custodia habuit, ob quam rem Pontifex illi Sacrorum usu interdixit. Is erat Aeneas Sylvius Piccolomineus, qui „ Calixto suffectus, Pii Secundi nomen acceperat. Multae ex eo turbae extitere &c. “

Jam percontari lubet, an ejuscemodi dissidio in dies gliscenti, ac magis magisque recrudescenti, ita sese implicuerit *Georgius* noster contra *Cusanum*, ac partium studio usque adeo laboraverit, ut *Sigismundo* ipsi velificari minime dubitaverit, nihil moratus Pontificias Censuras in praefatum Principem latas, nihilque veritus in eodem *Cusano* Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis amplissimam dignitatem, ad quam ob multas praeclaras Legationes, quas pro Catholica Ecclesia obierat, ob egregia sua facinora, eximiamque doctrinam, jure ac merito adscenderat. Quantum capio, quanto sapio, neutiquam me erraturum confido, si dixero, id, quam quod maxime, a veritate abhorrere, ac omnino oppositum ex certis Monumentis evinci. Profecto authographae Literae adhuc superstites scriptae an. 1455. ac 1456. certissimum mihi perhibent testimonium, nedum Antistiti Tridentino nihil fuisse commune cum Vatiniano praefati *Sigismundi* odio adversus *Cusanum*; quin imo e contrario, & cum Cusano ipso junxisse operam, ut Monasterium Griesense prope Bauzanum in ordinem revocaret, collapsamque in eo disciplinam continuo restitueret, atque agnitum ab eodem Cusano fuisse disertissimis verbis Tridentinum Praesulem veri nominis *Amicum*, ac legitimum *Monasterii Sonenburgensis Advocatum*. Constat quoque inter ambos finitimos Praesules, in communicandis certarum Scripturarum exemplis, necessitudinem intercessisse.

Ita-

Itaque, quod spectat memoratum dissidium, ac turbas inde excitatas, non est quod ullius culpae conscius, ac reus Episcopus Tridentinus agitur. Quis facile in animum inducat suum, nostrum Episcopum, qui nihil non egit, nihilque intentatum reliquit, ut jura suae Ecclesiae tueretur, quive proin tot adversa passus est, ut in quodam MS. Catalogo dicatur *semel atque iterum a Sigismundo Tirolis Comite vexatus, & a sui Episcopatus regimine pulsus*; ita secum pugnasse, ut illi Principi faverit, ipsique auctor praecipuus fuerit, ut Juri Ecclesiastico usque adeo refragaretur? Credamne rata habuisse damna Ecclesiae Brixinensi illata, tametsi vel in Ecclesiae Tridentinae detrimentum redundarent; cum ea ipsa tempestate longe antiquissimum Jus Advocationis praedicti Monasterii Sonenburgensis, ab ipsis *S. Henrici* Imperatoris temporibus primaevam originem ducens, amiserit? Quei id fieri potuisse mihi persuasum, quum tamen in Monumentis omnibus, quae in hanc rem haud oscitanter evolvi, de odio Tridentini Praesulis adversus Brixinensem ne verbum quidem ostenderim? Pariter cum de nulla mihi constiterit simultate inter *Georgium* nostrum, & alium itidem finitimum Episcopum *Theodorum Lellium*, seu *de Lellis de Teramo*, Antistitem Feltrensem, quin imo ambigendum haud sit hunc illi fuisse acceptissimum, ceu ex Tridentino Canonico adsumptum, ut infra patebit; persuadere mihi nullatenus possum, ipsum nostrum *Georgium* probasse Apologiam *Gregorii de Haymburg* pro *Sigismundo*, in qua eumdem *Lellium* incompte pulsans, effutivit: *O Feltrum grossum Feltrensi populo dignum*! ea adlusione pro *Feltro* pannum crassiorem, seu tegumentum e pilis ruditer coactis, significans, uti legere est apud Gerardum Vossium L. 2. de vitiis serm. Verb. *Feltrum*.

III. Sed audire mihi videor illud maxime urgentem, quod exstat in Auctariis ad Episcopos Tridentinos To. V. *Italiae Sacrae* col. 636. ubi Cl. V. Jo. Benedictus Gentilottus ad Ughelli verba de *Georgio* inter eos hujus nominis II. haec addit „ Tabulas pactionum, & foederis „ cum Archiducibus Austriae confecit Georgius Tridenti an. 1454. Lu- „ nae post Dominicam: *Quasi modo geniti*. Item Aeniponte an. 1460. „ Dominica *Laetare*; rursusque Bauzani an. 1460. die Martis post In- „ ventionem S. Crucis, quarum exempla habeo Germanice conscripta. “ Ego quoque, ut ingenue fatear, eadem vidi nedum Germanice conscripta, sed & Italice reddita; in iisdem tamen neque vola, neque vestigium deprehenditur, unde vel per umbram haeresis suspicio ingeratur. Sane nodum in scirpo quaerit, qui vel jota unum a Fidei regula aberrans in hujusmodi tabulis se posse ostendere existimat: & sicut Solis orientis lux depellit tenebras, ita earumdem tabularum luculentissima verba nedum omnem haeresis suspicionem a *Georgio* nostro amoliuntur, ve-

 rum

rum etiam ejus orthodoxiam meridiana luce clariorem efficiunt. Quandoquidem in iisdem quam disertissime cautum est de nihil agendo (heic aures arrigant quotquot nostrum Praesulem Romani Pontificis, ac Sedis Apostolicae hostem, haud secus quam Haymburgensem dixerunt) de nihil agendo *contra Pontificem ac Sedem Romanam*. Nunquid, sodes, explicatiora desiderari queunt, ut orthodoxa mens nostri Antistitis ad oculum demonstretur? Ut jure ac merito de ipso scripserit Ughellus: *adeo consulte se gessisse, ut optimi Pastoris ac Principis laudem tulerit non mediocrem*; atque ante Ughellum Pincius: *multa gessit non indigna optimo Principe*, de eo post multa concludens, quod *non sine laude praesederit*.

Nec vero Adversarii eadem obertantes chorda reponant, earumdem pactionum tabulas, sin minus velut de haeresi suspectas, saltem ut *Sigismundi* male tunc apud Pontificem, ac Sedem Romanam audientis intuitu conditas, ac etiam Tridentinae Ecclesiae Juribus parum faventes; neque propterea contendant *Georgium* nostrum ipsimet *Sigismundo* eousque adhaesisse ut Ecclesiae suae caussam non tam oraverit, quam prodiderit. Namque illorum pace dixerim, adeo difficilia fuisse ea tempora, tantamque exstitisse eorumdem iniquitatem, ut culpandus minime videatur, qui minora mala pertulerit, quo longe deteriora caveret. Poteratne, si Superis placet, bonus Pastor illo sequiori aevo non formidare ingruentem, si secus egisset, Gregi sibi concredito calamitatem? Adversa multa, quibus proh dolor! obnoxia erat eadem tempestate contermina Brixinensis Ecclesia, non poterant profecto magnopere nostrum Antistitem non deterrere. Nimis recens erat memoria eorum, quae vel ipsa Tridentina Ecclesia fuerat graviter sub *Georgio Liechtensteino* perpessa. Experientia magistra ipse didicerat, Potentioribus cedendum aliquid, ne totum perdatur. Aequum quidem, quin imo aequissimum, Ecclesiarum Jura vindicare; sed aliquando ab eorum rigore nonnihil pro amore pacis recedere quam prudentissimum. Quid? Cum eo tunc devenisset rerum Tridentinarum status, ut Sigismundi ope maxime indigeret, quatenus nempe in officio continerentur ii, qui male animati erant contra Episcopum, ac Principem nostrum, ad factionem faciles, ad ciendas turbas proni, nec non ad perduellionem proclives; quibus plane coërcendis solus Sigismundus, ipsi utcumque reconciliatus, par erat. De hujusmodi perquam lugendo Tridentinarum rerum statu Anonymus Synchronus Auctor Catalogi, Janus Pyrrhus Pincius, Vigilius de Vescovis, Michaël Angelus Marianus, aliique, quos longum esset enumerare, plura literis consignarunt. Opus proin fuisse *Georgio* nostro, ut eumdem Sigismundum amplius non provocaret, sed quoquomodo posset, demulceret, ac ipsius gratiam iniret, nemo non videt. Quodve nil Fidei Catho-

tholicae adversum, nil Sedi Apostolicae dissentaneum, nil Libertati Ecclesiasticae contrarium, nil Divinis, humanisque Legibus repugnans, nilve demum Sacro Pastore indignum praedictae tabulae praeferrent, id evidentissimo argumento est, quod illas probaverit, subscripseritque *Joannes Sulzbachius* Decanus cum universo Capitulo, nec non proximus *Georgii* nostri Successor *Joannes Hinderbachius*, accedente pariter consensu *Gregorii Andreae* Decani, atque totius Capituli, tum *Conradus* & postea *Georgius* Praepositi S. Michaëlis, ac etiam *Joannes* Praepositus S. Mariae in Gries, suorum appensione Sigillorum munierint; quodque magis est, quotquot ad nostra usque tempora subsequuti sunt Tridentini Episcopi, silentibus, quinimo probantibus ipsis Summis Pontificibus, illas firmas ac ratas semper habuerint, vel ii ipsi, qui Sacra Purpura eminuere, vel hos inter ipse *Ludovicus Madrutius*, quamlibet infanda passus pro suae Ecclesiae juribus sartis tectisque servandis. Accedit, tabulas a *Georgio* nostro admissas, *moderatiores primis* sub *Alberto de Ortenburg* agnosci a supra laudato Vigilio de Vescovis. Insuper si vera sint, quae posteritati mandavit Ethingerus ajens: *Georgium Episcopum bis a Sigismundo Austriae Archiduce fuisse ab Episcopatu depositum*, quaeve ex MS. Catalogo supra retulimus, vel hinc earumdem tabularum conficiendarum necessitas in propatulo est.

IV. Quae autem, inquies, necessitas Georgio Episcopo fuerit semel iterumque *Sigismundo* Archiduci temporalis Dominii cedendi, ac Principatus in ipsum transferendi? Ut faciam satis, hoc non a me, sed a doctissimo Vindice Jurium Tridentinae Ecclesiae in Scriptura Apologetica praefixum habente lemma illud: *Veritas aeternae lucis fugat tenebras &c.*, responsum habeto. Nam ait §. 17. „ *Georgius Hach* legitima electione „ suffectus, vel quia temporale Dominium e manibus *Sigismundi Archiducis* recuperare desperaret, remque arduam cerneret tam Archiduci „ subito ab assueta Tridentinorum dominatione recessum persuadere, „ quam animos Subditorum jam a die qua *Georgium Liechtenstain* carceri „ intruserant, illucusque ab obedientia Episcoporum alienos, vere & „ sincere erga Ecclesiam ejusque legitimum Administratorem, eorum „ naturalem Dominum, & Principem, obedientes, & fideles reducere, „ ex memoria prioris culpae facile reincisuros: hinc non alio gubernandi moderamine primis initiis leniendis aptum remedium existimavit, quam ad tempus *Archiduci Sigismundo* gubernationem ipsius temporalitatis nomine ipsius Episcopi expediendam cedere & confidere, „ ut quae a Cessionario & Delegato gerebantur, ipsius Cedentis, & „ Delegantis nomine ac vice agerentur; sicque & authoritas Episcopi „ conservata, nec Archiduci Dominii Tridentini restitutio ac resignatio,

„ nec

„ nec Subditis successiva erga Episcopum animorum flexio dura accidit.
„ Sed neque hoc suffecit tollendo jam inveterato Subditis contra proprium Dominum tergiversandi studio; quippe mox adepta post quinquennium possessione Episcopatus, subdolas illorum machinationes sensit: & ne malum ultra serperet, Gubernatorem suo nomine denuo *Archiducem Sigismundum* constituit &c. Ita attentis Subditorum fluctibus, modo ipsemet *Georgius* immediate, modo etiam per ipsum *Sigismundum Archiducem* Principatum gessit &c. Illud equidem notandum, „ Diplomate Deputationis *Sigismundi* pro regenda temporalitate Tridenti, „ & desuper Reversali a *Sigismundo* dato de anno 1463. aperte exprimitur, solam administrationem justitiae in *Sigismundum* transferri, reservato nedum Jure Feudorum, & recto ac supremo Dominio ipsi „ Episcopo, sed & redditibus, poenis & teloniis &c. " Haec ille ita in rem nostram apposite ac absolute, ut illis aliquid addidisse, decerpsisse sit. Palam est ergo nusquam *Georgium* nostrum ab se abdicasse Principatum, ut absque ulla reservatione, ac dependentia illum in *Sigismundum* transtulerit.

V. Jam quum satis rejecta arbitrer argumenta a praefatis tabulis, ac cessione petita, nec vacet in illis refellendis longiores moras nectere; reliquum est, ut immoremur paulo diutius confutando alteri ex Bulla Pii II. deducto, quod sane multo majus negotium facessit, haud ita tamen ut de caussa *Georgii* nostri actum conclamatumque putem. Siquidem ejus caussa tam dispar est a caussa *Gregorii Haymburgensis*, quam coelum a terra, quive unam alteri permiscet, res certe multo diversas confundit, mutatque quadrata rotundis. De *Gregorio* quidem *Haymburgensi* dubitare non sinunt Annales Ecclesiastici, & quod auctor fuerit *Sigismundo Austriaco*, ut a Pontifice ad Concilium provocaret; & quod firmarit *Dietherum* Moguntinum Archiepiscopum in rebellione adversus Pontificem, & quod fuerit plures errores, & quod in iisdem obfirmatus permanserit; & quod iteratis Censuris fuerit frustra mulctatus &c. quae omnia Raynaldus prolixius consectatur. Sed ubinam gentium (sciscitor ego) totidem scelera constant de *Georgio Tridentino?* Numquid hujusmodi Bulla hunc aequiparat *Gregorio Haymburgensi*? Imo longe distinguit, dum unice vocat *erroneos Doctores Gregorium de Haymburg* & *Laurentium de Blumenavv*. Per summam ergo injuriam Praesul noster inter *erroneos Doctores* cum *Haymburgio* accusatur, cum ipsa Bullae verba ei dictum *Laurentium* dumtaxat adsocient, de quo miror nec apud Raynaldum, neque apud Pagium ullam mentionem haberi. Adseverat quidem; haud abnuo, eadem Bulla de nostro *Georgio*, quod *idem cum Sigismundo sentire videretur*; ast quis adeo pinguis Minervae fuerit, qui
prima

prima fronte non dispiciat latum discrimen inter *idem sentit*, ac inter *idem sentire videtur*? Primum indicat, quod reapse est; secundum, quod solummodo adparet. Huic autem speciei saepe veritatem non respondere compertissimum est. Idem esto judicium de eo, quod visus fuerit, cum *Censuratum contemptor*, tum *de Fide Catholica vehementer suspectus*.

Ceterum ipse adeo nec contra Censuras, neque contra Fidem Catholicam quicquam deliquerat, ut (teste longe locupletissimo ipsomet *Nicolao Cusano* Cardinali & Episcopo Brixinensi) mox ac Pianae Bullae publicationem Roboreti factam audivit, ea ceu improviso fulmine perculsus continuo praevenerit omnes, quos ipsa tangebat, ac morae omnis impatiens notam sibi inustam absterserit; adeoque idem *Cusanus* ad suum Capitulum Brixinense scribens an. 1461. questus summopere fuit, quod nullus ex suis ad se purgandum hactenus comparuerit, quum tamen *Dominus Tridentinus* perquam aegre ferens adeo probrosam notam, utpote habens alta mente repositum illud D. Hieronymi Lib. *contra Joannem Jerosolymitanum*, ubi ait: *in suspicione haereseos nolo quemquam esse patientem*, ita praecucurrisset omnes, ut *miserit diu terminum Comparitionis* (phrasis est Cusani ejusdem Epistolae) *praevenire*. Unde hoc, amabo, nisi quia ipse Censuras ac suspicionem haeresis maxime verebatur, insontem gerebat animum, ac testimonio bonae conscientiae gaudebat? Si nimia in comparendo mora, quo ad praedictum Brixinense Capitulum, Cusano fuerit argumentum reatus; quid ni mihi sit e contrario indicium innocentiae in Episcopo Tridentino, quod omnium primus Sedi Apostolicae debitum obsequium praestiterit? Si quo crimine, ac censura noster Antistes se vere irretitum una cum ceteris numero pluribus agnovisset, nonne eorum resipiscentiam exspectasset, ut solatio ipsi esset multos numerare Sodales? Certe in palinodia canenda minori tunc fuisset rubore suffusus. Si ergo solus nulla mora sese ad Apostolicam Sedem recepit, coecus sit, qui non videat, ipsum habuisse omnino nihil, quod timeret, aut de quo vel minimum verecundaretur.

VI. Nec dixerint Adversarii, ideo Pianam Bullam, quae manavit an. 1460. die 23. Januarii, *Roboreti*, non autem *Tridenti* publicatam, quia Tridentum sub nostro *Georgio*, non autem *Roboretum* sub Duce Venetorum, Apostolicae Sedi tunc censebatur adversum: non, inquam, id dixerint; siquidem ipse Venetorum Dux tunc *Paschalis Maripetrus* adeo Tridentinum Praesulem non habuit Romano Pontifici contrarium, atque hoc ipso nomine *exauctoratum*, ut ad eumdem literas dederit Venetiis ex Ducali Palatio eodem an. 1460. die ultima Julii, agnoveritque *Dei & Apostolicae Sedis gratia Episcopum Tridentinum*. Quod si (ut ego quidem sentio) hujusmodi Bulla manavit an. 1461. die 23. Januarii, utpote

pote emissa Pontificatus Pii II. anno III. qui incidit in an. 1461., adhuc difficile creditu est, ut qui non ita pridem ita audiebat, & erat apud Rempublicam Venetam *Dei, & Apostolicae Sedis Gratia Episcopus Tridentinus*, rerum statu nihil variato, de repente fuerit in hostem ejusdem Sedis mutatus, atque ab eadem omnino *exauctoratus*. Hinc publicationem hujusmodi *Roboreti* potius, quam *Tridenti* factam crediderim, haud metu Episcopi Tridentini, sed Austriaci Ducis longe potentioris justa formidine. Quod autem nec ante, neque postea, discordarit a catholico Venetorum sensu, vel inde arguitur, quod ipsum Orthodoxum Episcopum, ac Principem testatum faciant Epistolae ad eumdem datae an. 1456. a *Caesare de Martinengo Armorum Ductore*, nec non a *Francisco Foscaro Venetorum Duce;* quodve an. 1462. Beneficium in Plebe S. Mariae Vallis Leudri ipsemet largitus fuerit *Leonardo Contareno* Veneto Patricio, Doctorique Theologo, qui etiam dein in Valle Lagari Archipresbyter Lizanensis ac Muriensis evasit.

Idque magis magisque roboratur ex eo, quod an. 1462. die 5. Julii *Christophorus Maurus* Venetorum Dux, Apostolicae Sedi addictissimus, commendarit *Georgio* nostro *Franciscum Barocium*, per exaltationem *Theodori Lellii de Theramo* ad Infulas Feltrenses, promotum ad Canonicatum Tridentinum. Eo ipso anno 1462. die 10. ejusdem Mensis Julii *Joannes* Episcopus Bergomensis, ac dein Venetiarum Patriarcha, similem commendationem eidem *Georgio* scripserit in favorem ipsiusmet *Francisci Barocii* Germani sui, tamquam a Papa ad Canonicatum Tridentinum evecti. Eodemque anno 1462. die 22. Augusti Paduae ipsemet *Franciscus Barocius* saepe laudato *Georgio* nostro suam insinuarit ad Canonicatum Tridentinum promotionem, a Summo Pontifice factam, quam ita ratam firmamque habuit noster Antistes, ut idem *Barocius* citra contradictionem ullam fuerit eodem anno acceptatus. Nonne haec luculentissima indicia summae in nostro Praesule erga Sedem Apostolicam observantiae?

VII. Neque item objectent, eo ipso nostrum *Georgium* despicatui habuisse Censuras, quibus tenebatur *Sigismundus*, quod velut ad asylum non *in Bulgariam*, ut ait Ughellus, sed Bulzanum confugerit, inibi biennio resederit, ejusdemque *Sigismundi* gratiae implorandae caussa se etiam Oenipontum contulerit, unde redux adhuc in itinere *apud Villam Matran* (Matrejum vocat Geographia antiquior) fato extinctus est. Etenim haec omnia egisse constat ingratiis, ac manifesta adactum necessitate, nempe (secundum coaevum Auctorem Catalogi Antistitum Tridentinorum) *quorumdam Civium factione*, unde *Civibus Castrisque exutus* solum mutare, atque apud *Sigismundum* suae Ecclesiae Advocatum exulare coactus

coactus est, ut ejus ope, quae sibi quo jure, quave injuria nuper praerepta fuerant, restituenda curaret. Haec autem, aliaque plura id genus infausta, non ejus culpa, sed propriae ipsius virtutis odio, accidisse constat, eo videlicet nomine (ut idem Auctor Synchronus fatur) quia humilibus propitius, superbis adversus, *plerosque suae Ecclesiae aemulos castigaverat*. Sicut autem similium aemulorum falsa criminatione, coram Sede Apostolica anteactis temporibus *Simoniae* accusatus legitur si quis alius piissimus noster Episcopus *Altemannus*, ac *Perjurii* praestantissimus item noster Episcopus *Henricus* II.; ita nulla subit animum admiratio, quod par aemulorum odium tantam nostro *Georgio* conflarit invidiam, ut tamquam Censurarum *contemptor*, ac *de Fide Catholica vehementer suspectus*, in jus fuerit coram eadem Sede vocatus. Porro quemadmodum innotuit quidem nobis illorum accusatio, neutiquam vero condemnatio; haud secus nullus dubito, hujus postremi accusationem in fumum omnino abiisse, ipsumque nedum evasisse condemnationem, sed & omnem haeresis suspicionem, ac labem penitus diluisse. Insuper animadvertendum, *Georgium* nostrum in reditu ex Oenipoпto postremum quidem clausisse diem, sed quum *Sigismundi* cum Romana Ecclesia reconciliatio jam esset subsequuta: Bulzanum autem, ubi se se receperat *Georgius*, inter oppida Interdicto, causa ejusdem *Sigismundi*, obnoxia, ut infra patebit, minime recenseri.

A veri etiam similitudine crediderim nihil abludere, si conjectavero, ad cor rediisse *Sigismundum* ipsum, nedum opera *Friderici* III. Imperatoris, verum & nostri *Georgii*, quum certum sit egregiam quoque ad id navasse operam *Joannem Hinderbachium*, tunc Praepositum Tridentinum, qui postea in Infulis Tridentinis *Georgium* eumdem excepit: quemadmodum elicitur ex *Annotatione Articulorum Concordiae*, *& Unionis inter Cardinalem Episcopum Brixinensem*, *& Ducem Sigismundum*, *& Capitulum Brixinense per Imperialem Majestatem confectorum*, *& publicatorum*, manu praedicti Praepositi, sub eodem *Georgio* nostro, exarata. Si autem *Sigismundus* jam diu, inolitis praejudiciis tandem abjectis, meliorem mentem induerit, quanto magis saniora didicerit *Wolfgangus Neidlingerus* Canonicus Brixinensis ac Parochus in Tisens Tridentinae Dioecesis, dignusque proin habitus fuerit, ut ipsum ad sui vices supplendas *Georgius* noster destinaret? Ea autem tempestate, quum nondum Sedi Apostolicae reconciliatus noscitur *Neidlingerus*, adhibiti fuere administrando Principatui ab eodem *Georgio* illi, quos haud constat ullam subiisse ejusdem Sanctae Sedis censuram, aut in eam quicquam peccasse, nempe an. 1462. *Petrus Comes de Lodrono*, *Happen*, *& Conradus Episcopi Fratres*, *Joannes de Thun*, *Ambrosius Schlasperck Canonicus Tridentinus*, *Sigismundus de*

Thun Capitaneus in Stenig, *Rolandus de Spaur Capitaneus in Anaunia*, & *Antonius de Terlago*: quo uno etiam argumentum ex praedicto *Neidlingero* objectum, instar aranearum telae, nullo negotio dissolvitur, atque difflatur.

VIII. Age vero, fuerit (ut libet, ut lubet) *Georgius* noster *notoriae adhaesionis* cum *Sigismundo* reus, de *Fide Catholica vehementer suspectus*, ac etiam alto supercilio aliquando *Censuras contempserit*; quid tum postea? Ergone illud hinc est consectarium certasse cum improbitate ac pervicacia *Hayburgensis Gregorii*, usque ad postremas vitae metas in suo errore praefracte cum ipso perstitisse, in eodem obiisse, nec umquam de seria poenitentia cogitasse? Multa vetant hoc, non dicam credere, sed vel suspicari de praeclaro hujusmodi Antistite. Vetat qui eum de vultu novit, ejusdemque mores probe perspectos habuit, praefatus *Hinderbachius*, ut qui eum laudibus, ac etiam Epitaphio ornavit, nec non ipsiusmet nomen suis Calendariis inseruit. Vetant qui ejus feretrum honestare curarunt, dum a Matrejo Tridentum transferretur, nimirum duo Tridentini Canonici *Joannes de Pabo*, & *Ambrosius Schlasperck*, duo Praepositi *Conradus S. Michaëlis*, & *Joannes Saller Augiensis*; duo Parochi *Hieronymus Saurvvein* in Decretis Licentiatus Bulzani, & *Simon* Salurni; aliique Nobiles numero plures, quibus praeerat Vir illustris Dominus *Christophorus Formianer* Capitaneus Tridenti, ac quot quot ei parentalia justaque persolverunt. Vetant Literae *Pauli* II. PP. an. 1466. inscriptae *Clero Civitatis & Dioecesis Tridentinae*, nec non *Sigismundo Duci Austriae*, in quibus laudatur, tamquam *Bonae Memoriae olim Episcopus Tridentinus*. Quae quidem ipsissima verba, in geminis literis ab eodem Pontifice repetita, eo magis pensi habenda, ac etiam atque etiam apposita in rem nostram censenda sunt, quod e contrario idem ipse Pontifex in aliis literis inscriptis an. 1465. *Venerabili Fratri Episcopo Cremonensi*, & *Dilecto Filio Bartholomaeo de Marasthis Praeposito Mantuano*, ita differat de Reconciliatione *Sigismundi* Ducis, de Cessatione Interdicti, Absolutioneque a Censuris, ut ob animi pervicaciam solum *Gregorium Hayburgium* exceptum voluerit his disertissimis verbis: *Per hoc tamen non intendimus Gregorium Haymburg, qui haeresim extollentem se adversus Orthodoxam, & Catholicam Fidem, & Sanctam Romanam Ecclesiam, astruere, defendere, vel dogmatizare praesumpsit, absolvendi vobis tribuere facultatem*. Audistin' Pontificem tam bene de *Georgio* Tridentino Episcopo, quam male de *Gregorio Haymburgio*, sentientem? Et nihilo tamen secius aeque unum, ac alterum simili errore ac pervicacia infectos facile mihi persuaserim? Volve revolve Ecclesiasticos Annales post an.

1461.

1461. usque ad an. 1465. *Georgio* nostro emortualem, esto licet Argo centoculo magis oculeus, nuspiam ambos pari labe inquinatos, ac pari poena diris devovendos reperies.

IX. Addiderim, ut Adversarii fasces submittant, ac paulo aequiores deinceps sint in nostrum Episcopum, neque amplius eumdem velut Sedi Apostolicae refractarium traducant, ipsum quam maxima fuisse gratia gavisum apud *Fridericum* III. Imp., de Romana Ecclesia optime meritum. Etenim Augustus hic sicut Orthodoxos Praesules Caesareis favoribus prosequi consueverat, ita nostrum Antistitem Regalibus insignivit, eumdemque in Mantuano Pontificio Congressu Oratorem adhibuit, ubi etiam Pii II. PP. laudes promeruisse constat, neque usquam Caesaream gratiam, quam semel adeptus fuerat, deinceps amisisse. Si ergo ex favore *Sigismundi* Austriae Ducis, ac Tirolis Comitis, tamquam Sedis Apostolicae mandatis adversi, liceat Adversariis exsculpere nostrum *Georgium* vehementer de Fide suspectum, quid ni multo magis mihi fas fuerit ex multo majori favore eidem *Georgio* praestito a laudato *Friderico* III. inferre vel ipsum eo quo par erat obsequio, Summo Pontifici morem gessisse, neque usquam contra illum caput suum superbe extulisse? Hinc soluto praefato Mantuano Conventu electus quidem scitur *Dominicus de Dominicis* praeclarus Episcopus Brixiensis ad cognoscenda Acta contra *Sigismundum*, qui carceri mancipaverat *Nicolaum Cusanum* Cardinalem, ac Episcopum Brixinensem; non tamen ad inquirendum contra Tridentinum Antistitem. Et sicut inter praeconia *Dominici de Dominicis* in *Brixia Sacra* Cl. Viri P. Joannis Hieronymi Gradonici pag. 353. refertur, quod gratiam *Friderici* III. Imperatoris sibimet comparaverit; hoc ipsum cedere quoque debet in aequissimam nostri Praesulis commendationem. Ecquis credat hunc a Pontifice *exauctoratum*, quem adeo Caesar ille dilexerat? Quo autem jure *exauctoratus* adfirmatur noster *Georgius*, eodem integrum mihi sit *exauctoratum* negare, quum de hoc ne verbum habeat diligentissimus rerum sui temporis Scriptor *Hinderbachius*, nullusque sciatur in ejusdem *exauctorati* locum suffectus. Unde in rem hanc apte quadrare videtur illud Angelici Doctoris Opusculo XXXIII. ad *Fratrem Gerardum* Lectorem Bisuntinum, ubi sic ad quaestionem 5. respondit: *istud eadem facilitate contemnitur, qua dicitur, cum nullius auctoritatis robore fulciatur*.

X. Quod si quis, ut victas det manus, exigat Bullam, qua declaretur nostri Praesulis innocentia, aut poenitentia, nimis, mea quidem sententia, se morosum censorem ostendit; quum ad id cordatis persuadendum comprobandumque satis superque esse possint jam producta Car-

dinalis ac Episcopi *Nicolai Cusani* , *Pauli* II. PP. ac *Joannis Hinderbachii* Episcopi longe locupletissima testimonia. De nostri autem Antistitis orthodoxia , qua nusquam a Fide descivit , quamve ejuscemodi testimonia mihi videntur evincere , satis jam dixi , dicturus continuo de ceteris qui (praeter relatos, scilicet *Sigismundum Ducem* , *Georgium Episcopum Tridentinum* , *Gregorium de Haymburg* , *Laurentium Blumenavv*, ac *Wolfangum Neidlinger*) in Piana Bulla memorantur , suntque numero sequentes : „ Parzevallis de Annenberg , Jacobus Trapp , Balthassar de Welsperg , „ & Osvvaldus Wolchensteiner , aliique omnes ipsius Sigismundi Consiliarii , & Domestici , atque etiam Oppidani , & Incolae Oppidorum „ de Meran Curiensis , Hallis , Insprugk , & Sterzingen Brixinensis „ Dioecesis , omnes etiam ipsius Sigismundi Subditi Curiensis , Tridentinae , & Brixinensis Dioecesis , Civesque Brixinenses , & illius Ecclesiae Subditi, Stephanus Staynhorn, Christianus de Freiberg Canonici Brixinenses , Georgius in Stams , Ingenuinus in Wiltina , Joannes in Monte Sancti Georgii Abbates , Caspar Praepositus Novecellensis, & Barbara Abbatissa in Sunnenburg Monasteriorum dictae Brixinensis Dioecesis , atque etiam universi , & singuli Canonici ipsius „ Ecclesiae Brixinensis , Plebani sive Vicarii Ecclesiarum Parochialium „ Civitatum , & Dioecesium praedictarum, ac cuncti Presbyteri etiam „ Religiosi , exempti , & non exempti &c. " Hos omnes , dempto nullo , ita in sua pervicacia perstitisse , ut Pius II. eos qua precibus , qua minis , atque Censuris ab errore revocans , eorumdemque poenitentiam opperiens , calendas graecas exspectarit , solus credat Judaeus apella.

XI. Quare circa hujusmodi in eadem Bulla recensitos , atque proscriptos , si quis a me nosse aveat , quae mihi insideat sententia , an scilicet objectum sibi crimen ab se repulerint , aut poenitentia ducti , errati veniam petierint; an potius in semel concepto errore obduruerint? Distinctione opus esse crediderim. Namque si de Consiliariis , Aulicis, sive Domesticis *Sigismundi* , atque id genus aliis ipsi magis addictis , sermo fit , opinor ego , posteaquam sequuti fuerant errantem , sequutos quoque fuisse poenitentem , adeoque saltem ad seram , ac tantopere exspectatam ejusdem *Sigismundi* reconciliationem , tandem aliquando resipuisse. Quis enim nescit , quanta sit exempli, sicuti ad malum, ita ad bonum , in summo Principe efficacitas , ut omnes potissimum Aulicos ad sui imitationem trahat, atque perducat? Si vero de Ecclesiasticis loquamur , poenituisse censuerim longe ante ipsiusmet *Sigismundi* poenitentiam, ad normam scilicet promptissimae Tridentini Praesulis obedientiae , summaeque ejusdem erga Sedem Apostolicam observantiae. Quum enim

Si-

Sigismundus superbia, ac pertinacia posita, ad preces *Friderici* Imperatoris, advoluti genibus Legati Apostolici, absolutionem a Censuris impetravit, adeo paucos sectatores numerabat, ut Jacobus Cardinalis Papiensis laudatus a Raynaldo ad an. 1464. n. 35. memoriae prodiderit: „ Sigismundus ex Principibus Austriae propter Cardinalem Romanae „ Ecclesiae (intellige *Nicolaum Cusanum*) in vinculis habitum damnatus „ judicio, principatuque omni exutus, cum propter amplissimam cognationem, Germanorumque foedera, ultorem facinoris habiturus non „ putaretur, vexatus tamen poenis continuis, atque *odio suis habitus*, „ longa etiam contumacia fatigatus, *a nullisque* interim *in sua consortia* „ *receptus*, Divino tandem est humilitatus miraculo, atque eo quidem „ usque humiliatus, ut Romanorum Imperator Augustus Caesar Orbis „ nostri alterum Caput, consanguinitate illum attingens, cum summa „ Sedis Romanae gloria, ante genua Legati Apostolici procidens, non „ ante surgendum putaverit, vel finem obsecrationis imponendum, „ quam poenitenti & satis pro injuriis facienti poenarum abolitionem, re„ stitutionemque est consecutus. " Itaque si, teste Papiensi, *Sigismundus* erat *odio suis*, *a nullisque in sua consortia receptus*, desertum quodammodo saltem ab Ecclesiasticis, fateamur necessum est, tempore hujusmodi famigeratissimae reconciliationis, quum adhuc in vivis esset noster Tridentinus Antistes, quem omnium primum fuisse obsequutum Apostolicae Sedi a Cardinali ipso *Cusano* intelleximus. Certiores nos etiam reddunt Literae ipsiusmet *Pii* II. datae Romae apud S. Petrum Anno Incarnat. Dom. 1464. 17. Kal. Julii Pontificat. an. 6. tunc ita fuisse in errore obfirmatum *Gregorium de Heymburg*, ut illi *Georgius* Tridentinus Episcopus non adjungatur, utpote de cujus orthodoxia jam antea constiterat, inquiunt enim: *cum nunc quartus annus agatur rebellionis, & contemptus censurarum, & nulla spes boni superfit Gregorio haeretico continue Sigismundo adhaerente, & in perfidia ipsum firmante, animarum saluti expedire judicamus, ut haeretici a Catholicis secernantur, & aliquando ad definitivam Sententiam perveniatur &c.* En tunc *Sigismundum* ita derelictum, ut unus memoretur *Gregorius* Haymburgensis, qui illi *continue adhaereret*, *& in perfidia ipsum firmaret*, atque hinc ab eodem *Gregorio* repetendum, quod tunc idem *Sigismundus* Clarissas nostras Brixinenses ob intermissa sacra pepulerit.

XII. Hactenus autem dicta omnia, aquae hac quali quali lucubratiuncula levi brachio perstrinximus, cum partim veritate, partim verisimilitudine niti videantur, affulget spes fore, ut nedum *Georgii* Episcopi nostri, quem Basileensis Synodus cum ob *generis nobilitatem*, tum *ob morum honestatem*,

neſtatem , *literarum ſcientiam* , *ſpiritualium providentiam* , *temporalium circumſpectionem* , *aliaque multiplicia virtutum dona* impenſe commendavit ; ſed & ſaepe dicti Principis *Sigiſmundi* cauſſam oraverim. Quod ſi utrumque nequiverim pari ratione defendere , ſola , cui unice litandum , veritas obfuit . Si tamen veritas vetuit eumdem *Sigiſmundum* dicere inſontem , nihil prohibuit agnoſcere poenitentem . Et ſicut *Theodoſii Magni* poenitentia effecit , ut immortali illius gloriae nihil per peccatum decederet ; haud abſimiliter *Sigiſmundi* Ducis poenitentia actum , ut nil praeclaro ejus nomini detrahatur . Quod enim alias *Princeps* fuerit *prudens* , *ac ſubditorum amans* , *ad quietem* , *& pacem* , *quam ad bellum proclivior* , uti loquitur Gerardus de Roo Lib. XI. Hiſt. Auſtriac. pag. 399. , nemo inficias ierit . Hoc pacto ſatis conſultum autumo famae , per Pianam Bullam , quam ab ipſo exordio commemoravi , cum laudati *Georgii* noſtri , tum ipſiuſmet *Sigiſmundi* vehementer labefactatae . Neque ad id probandum meam qualemcumque operam male locaſſe putaverim: de quo tamen nolim mihi multum adblandiri , ne videar laureolam in muſtaceo quaerere ; probe enim noſco quam ſim puſillus , quamve modica , ac tenuia illa , quae in rem iſtam perſcripſi . Sed an inſtituto, quod mihi ab initio propoſui , ita reſponderim , ut uſurpare jure queam illud magni Auguſtini Lib. I. contra Julianum : *Sententiis non meis* , *ſed eorum* , *qui fuerunt ante nos* , *argutias* . . . *& elaborata argumenta convici* ; non mea , ſed doctiorum , quorum cenſurae me gratanter ſubmitto , intererit judicare . Unde ſicut ejuſdem Auguſtini verbis coepi , ita iiſdem colophonem addiderim : *Si perſuadere non potui* , *utrum tamen ea dixerim* , *quae perſuadere debuerint* , *qui legent* , *potius judicabunt* .



JO-

JOANNIS HINDERBACHII
EPISCOPI TRIDENTINI
COLLECTANEA IN JUDAEOS
B. SIMONIS TRIDENTINI PUERI
INTEREMPTORES

Ex ipsis autographis in Episcopali Tabulario exstantibus, servata ferme illorum antiqua phrasi, in ordinem chronologicum, & in compendium redacta, notisque illustrata.

COLLECTANEA IN JUDAEOS B. SIMONIS INTEREMPTORES.

I. ANno 1475. Indict. 8. die Ven. Sancto 24. Martii, praesentibus Domino *Johanne de Salis de Brixia* Potestate Tridenti, Dominis Legum Doctoribus *Antonio de Terlaco*, *Johanne Antonio de Vaschetis*, & *Calapino de Calapinis*, Discretus vir Magister *Andreas Cerdo* Civis & habitator Tridenti, (*a*) patefecit exposuitque Domino *Johanni* Episcopo Tridentino, qualiter filius suus, *Simon* nomine, deperditus est, nec inveniri potest. Unde Dominus Episcopus mandavit dicto Domino Potestati sedulam perquisitionem, quam fecit in Domo Judaeorum, ubi etiam repertum fuit dicti *Simonis* pueri cadaver, quod in propatulo exhibitum fuit in Hospitali S. Petri, ac demandata fuit ejus diligentissima examinatio Dominis Medicinae Doctoribus *Archangelo de Balduinis*, (*b*) & *Johanni Mathiae de Tiberinis de Brixia* (*c*) nec non *Christophoro de Fatis de Terlaco* Cyrurgicae Artis Magistro, qui omnes suo juramento retulerunt, dictum Puerum non morte naturali, sed violenta periisse, adductis rationibus &c.

II. Die 27. ejusdem Mensis Martii carceri mancipati fuerunt Israël filius Samuelis, Moyses antiquus de Saxonia, Mohar filius Moysi, Salomon quondam Mendelini de Isprocho, Lazarus de Seravalle de Friolo Familius Angeli, Moyses filius Salomonis de Hoz-

(*a*) Vidi Epistolam anno 1532. ad *Bernardum Clesium* Episcopum Trid. & Card. scriptam a *Jacobo f. q. Magistri Andreae Garbarii*, & *Fratre consanguineo Beati Simonis*, in qua refertur, primo, quod idem *Andreas Alemannus a puero ductus fuit Tridentum*, quodque *dum vixit duas habuit Uxores, ex quarum prima, nominata Dominica de Buratis de Comajo Judicariae, plures filios & filias genuit, inter quos ipsum Jacobum: ex altera vero, scilicet Domina Maria, procreavit unicum filium beatum Simonem, qui martyrio Hebraeorum morti traditus fuit regnante piae memoriae Episcopo & Principe Johanne*. Secundo, quod *ipso Magistro Andrea defuncto, dicta Domina Maria nupsit Juliano Cerdoni Alemano, cum quo genuit quamdam Maxentiam, quae nupta habuit unum filium*. Tertio, quod tunc *ex dictis Magistro Andrea, & Domina Maria nullus supervivebat nisi ipse Jacobus, & ejus filii & filii filiorum*, & quod pariter obierant praefata *Maxentia*, & ejus filius.

(b) Ejus Epitaphium retulimus supra pag. 175.

(c) Hujus memoriam servat lapis erectus Tridenti in Claustro S. Marci Ord. Erem. S. Augustini, ajens: *D. I. Raphaeli Germanico filio formoso & jucundissimo, qui vixit Annum I. Menses II. dies XI. Joannes Mathias Tiberinus Pater, Philosophus, & Medicus H. L. M. P.* Haud longe jacet alius lapis, cum hac Epigraphe: *IO.* (Heic sunt Insignia) *MA. Diva Angela Tiberina Brixiana hoc loco requiescit MCCCCLXXXII. III Nonas Septembris*.

poch Magister Filiorum Tobiae, Isaac filius Jacob de Vedera Familius Angeli, Brunetta uxor Samuelis, Vitalis filius . . . . . Familius Samuelis, Israël filius Mohar de Brandenburg. Examini subjectus est etiam Antoniolus de Tridento, qui deposuit, se audivisse vocem *Simonis* ejulantis, pertranseundo per vicum domui Samuelis proximum &c.

III. Die 28. Martii per D. Potestatem simile examen subire coacta est Anna uxor Israëlis filii Samuelis Hebraei in lecto decumbens, quae nihil se scire respondit, nisi quod audierit, repertum fuisse cadaver in aqua per domum Samuelis praeterlabente. Haud secus examen indictum est aliis Testibus, circa individua cadaveris & pueri Simonis, qui unanimiter deposuerunt ex certa scientia, & notitia, reapse illud ipsum esse.

IV. Eodem die 28. Martii, Tridenti in Turri a Vanga, in Sala, in loco Torturae, praesentibus Ser *Antonio Gervasio* Gastaldione (*a*), D. *Odorico de Bretio*, D. *Johanne de Calapinis* (*b*), coram D. Capitaneo Tridentino *Jacobo de Sporo*, coeptus fuit Processus contra Bonaventuram Cocum Samuelis, qui post varios cruciatus (*c*) confessus est, e vivis sublatum fuisse puerum *Simonem* a Judaeis supra relatis. In eumdem autem Bonaventuram, ceu delicti participem, mortis Sententia lata est die 22. Junii, praesentibus praedicto Magnifico Domino Capitaneo Tridentino, & Magnificis Militibus D. *Georgio de Clexio* (*d*), *Simeone de Thono*, *Orlando* (sive *Rolando*) *de Sporo*, Dominis LL. DD. *Antonio de Fatis de Trilaco* (*e*), *Calapino de Calapinis* (*f*) &c., quae Sententia non fuit executio-

(a) Constat nobis *Antonium Gervasium de Nigris* fuisse Urbis Tridentinae Consulem ad annos 1451. 1456. 1462. 1466. 1471. & 1476.

(b) Hic quoque fuit Consul ad an. 1469. & 1475.

(c) Hos aliosque similes cruciatus, de quibus in sequentibus; puram putamque extorsisse veritatem, vel inde palam est, quod non nisi post vehementissima judicia inflicti fuerint, quodve omnium adeo atrocis facinoris sociorum confessio fuerit uniformis, quamvis singulatim rei fuerint in quaestionem de pueri interitu postulati. Certe si falsa fuisset eorum confessio, utique in circumstantiis admissi sceleris insigniter variassent, nec post tormenta id ipsum ratum firmumque habuissent. Quid quod *Brunetta*, de qua postea, tormenta omnia superaverit, ita ut nulla eorum vis potuerit ab ea patrati sceleris confessionem illam exsculpere, quam tamen ab ejusdem ore sola veritas tandem obtinuit? Qui de hoc plura nosse avet, adeat nostram Dissertationem Apologeticam Martyrii ejusdem B. Simonis contra Jo. Christophorum Wagenseilium, Jacobum Basnagium, & alios, editam Tridenti an. 1747. in 4. pag. 111. & seqq.

(d) Sub sacra Aede, atque Eremo S. Romedii in Anaunia est Sacellum ab hoc Clesiade erectum, uti praefert lapidea Inscriptio inibi posita hujus tenoris: *Strennus Miles Dñs Georgius de Castro Glesii ad honorem Sancti Georgii Martiris, & Sancti Romedii Confessoris, Kapellam istam fieri fecit in ejus memoriam & successorum suorum Anno Dñi M. CCCC. LXXXVII.*

(e) Ejus Epitaphium vide supra pag. 161. Fuit Consul Tridenti ad an. 1435. 1442. 1447. & 1456.

(f) Tridenti in Ecclesia Cathedrali prope Aram B. M. V. Dolorosae vidi ejusdem *Calapini* tumulum, cum hac Inscriptione: *Donatus Calapino Fratri Benemerenti faciendum curavit Anno Salutis MCCCCLXXXV.* Fuit J. U. D. & Consul Tridenti ad an. 1461. 1463. & 1470. Anno 148?

cutioni mandata, eo quod dictus Bonaventura, Judaismo valere jusso, petiit Christianis sacris initiari.

V. Item eodem die praesentibus suprascriptis institutus fuit Processus contra Bonaventuram filium Mohar Judaei, qui confessus & convictus per Dominum Potestatem, capitis damnatus est, atque combustionis.

VI. Pariter ipso die Inquisitio facta est contra Zanesum, sive Janesum Svveyzer suspectum de reatu Infanticidii praedicti, cum sua uxore; sed deprehensi omnino insontes, mox liberati fuerunt. Eidem Zaneso fuerat per summam injuriam Infanticidii crimen affictum a Bonaventura Hebraeo filio Mohar.

VII. Die Mercurii 29. Martii formatus fuit Processus contra Israelem filium Samuelis Judaei, qui veritate vi tormentorum extorta, fassus infanticidium Simonis, mortem turpissimam oppetiit; nam ad caudam equi ligatus, & per Civitatem usque ad locum supplicii tractus, dein in rota positus, & crematus est die 21. Junii.

VIII. Item fuit constructus Processus contra Vitalem famulum Samuelis, qui Domino *Conto de Terlaco* (a) interprete, post tormenta crimen confessus, lata ab eodem Domino Potestate postrema sententia, subinde mortis super rotam, & ignis poenam luit.

IX. Ab eodem die 29. Martii usque ad 9. Junii occurrunt depositiones Vitalis, Brunettae Judaeae (b) Actoris, sive Factoris, qui post tormenta, pueri Simonis saevissimam necem a Judaeis patratam prodidit.

X. Die Jovis 30. Martii novum orsus est Praetor Processum contra Samuelem Judaeum, qui post varia tormenta crimen est fassus, ac inde merita morte punitus; nempe positus fuit in curru, & per Civitatem ductus, calidis rubentibusque forcipibus laniatus, & postea ad locum supplicii ductus, ac in rota positus, igne consumptus est. Facta etiam fuit Inquisitio contra Angelum Hebraeum, qui post tormenta Infanticidium confessus, eidem Samuelis supplicio fuit obnoxius, pariterque de superficie terrae deletus.

XI. Die Veneris 31. Martii Tridenti in Turri a Vanga in loco Torturae, praesentibus Ser *Antonio Gervasio* Gastaldione, & *Conto de Terlaco*, coram

1480. erat Massarius Domini Episcopi in Tridento. Vidi ejusdem bina *Consilia* impressa Vol. 2. pag. 95. & seqq. *Consiliorum Criminalium*, & *Responsorum* &c., quae Jo. Bapt. Zilettus collegit, edidítque Venetiis an. 1560.

(a) Hic itidem fuit Consul Tridenti ad an. 1499.

(b) In commendationem hujus *Brunettae* sero quidem, sed mirifice ad Christi fidem conversae, lectu digna est clausula libri secundi *Symonidos* Ubertini Pusculi Poëtae Brixiensis, quam exscripsimus pag. 158. cit. Differt. Satis heic fuerit meminisse, ipsam Brunettam ante fores Ecclesiae S. Petri fuisse tumulatam.

coram DD. Capitaneo & Potestate, constructus fuit Processus contra Joaf Hebraeum, qui post tormenta Infanticidium more ceterorum confessus; reassumpto dein ex mandato Domini Capitanei Trid. Processu, ad laquei supplicium damnatus est, praesentibus dictae Sententiae D. *Jacobo de Rocabruna* (a) *Johanne de Calapinis*, *Vigilio de Pabo* (b), *Sigismundo Saraceno* (c) &c. die 15. Januarii 1476. Eodem die primum B. *Simonis* miraculum recensetur, & deinceps alia 121. describuntur, cum juridica Testium depositione, & assertione jurata.

XII. Anno 1475. Indict. 8. die Lunae 3. Aprilis editus fuit Processus contra Tobiam Judaeum, qui post multa tormenta raptum pueri Simonis, callidissima arte excogitatum, nec non a se executioni mandatum, ejusque diram occisionem confessus, digna morte plexus est: videlicet ductus in curru per Civitatem, ante domum paternam *Simonis* dextera ei manus amputata, & per Civitatem inflammatis forcipibus cruciatus: deinde in rota positus, crematus est.

XIII. Die 4. Aprilis ventum est ad Processum contra Moysen Judaeum antiquum, qui post varia tormenta crimen confessus, & post confessionem in carcere mortuus est; ejus tamen cadaver in rota positum, & igne in favillas cineresque redactum est die 19. Junii.

XIV. Die 7. Aprilis institutus est Processus contra Mohar filium Moysi Judaei, qui post tormenta Infanticidium eo, quo illatum fuit, ordine manifestans, rotae, ignisque morte mulctatus est die 22. Junii.

XV. Die 11. Aprilis Tridenti in Turri a Vanga in loco Torturae, praesentibus Ser *Antonio Gervasio* Gastaldione, *Conto de Terlaco* &c. formatus est Processus contra Isaac filium Jacob Hebraei, qui post tormenta reatum dicti Infanticidii prodens, laqueo interemptus est an. 1476. die 13. Januarii: praesentibus *Johanne Maria de Lippis* (d), Ser *Antonio Schratemperger* (e), & aliis.

XVI. Die 12. April. Tridenti in Turri Episcopalis Palatii in loco Torturae, coram DD. Capitaneo, & Potestate inquisitio facta est contra Moysen Hebraeum filium Salomonis de Saxonia, qui post tormenta se complicem Infanticidii fassus, itidem laqueo animam clausit an. 1476. die 15. Januarii.

XVII.

(a) Fuit Consul Trid. ad an. 1446. 1453. & 1491.
(b) Consul & iste ad an. 1467. & 1491.
(c) Consul ad an. 1470. & 1477.
(d) Consul ad an. 1476.
(e) Consul ad an. 1461. & 1467.

XVII. Eodem die 12. April. processum fuit contra Lazarum Hebraeum filium Aaronis Hebraei de Seravalle, qui post tormenta pariter confessus, etiam laqueo suffocatus est die 23. Jan. 1476.

XVIII. Item eodem die 12. April. Tridenti in Turri a Vanga in loco Torturae, coram Magnifico Capitaneo Tridenti, & Domino *Johanne de Salis* Potestate Tridenti, Israël Judaeus post tormenta se Infanticidii reum agnoscens, & simulate Fidem Christianam amplexus, proptereaque a carcere liberatus, sed postea iterum carceri traditus, aliisque tormentis multa furta, molimen venenandi Dominum Episcopum, Capitaneum, & Potestatem, nec non manifestationem eorum, quae fiebant contra Hebraeos, factam coram Episcopo Vintimiliensi Commissario Apostolico, ab Hebraeis pecunia corrupto, confessus, meritae mortis poenas luit: videlicet ad caudam equi ligatus, & ad supplicii locum raptus, rotaque expetitus, non tamen combustus, die 19. Jan. 1476., praesentibus Domino Capitaneo Castri Perzini *Martino Naydecher* (*a*), *Georgio de Clesio*, *Antonio de Fatis de Terlaco*, *Melchiore de Facinis* (*b*), *Calapino de Calapinis*, *Francisco Celso* (*c*), *Balzano de Balzanis* (*d*) &c.

XIX. Die 14. April. formatus est Processus contra Moysen filium Aaron de Anelspach, qui post tormenta se dicti Infanticidii participem fassus, & in carcere mortuus, ad caudam equi cadaver ejus ligatum, & ad locum supplicii tractum, igne tandem absumptum est die 2. Decembris 1475.

XX. Die 30. Aprilis Tridenti *Johannes* Episcopus Trid. scribit *Raphaëli Zovenzonio* Tergestino Poëtae Laureato (*e*), eumque invitat ad visitandum *Beatum Simonem* miraculis clarum, & ad concinnandos Versus in ejus honorem: monet de confluxu populi ad eumdem Martyrem: dolet, quod convictos Judaeos justissimis poenis punire non possit propter varia impedimenta interposita ab eisdem Judaeis apud Ducem Austriae,

(*a*) Vide supra pag. 171.

(*b*) D[illegible] *de Padua*. Fuit J. U. D. & Consul Trid. ad an. 1450. 1454. 1457. 1462. 1463. 1469. & 14[illegible]. Fuit quoque Potestas, seu Praetor Trid. ad praedictum an. 1457. Quinque ejus *Consilia* vulgavit Zilettus in cit. Collectione.

(*c*) Fuit Consul Trid. ad an. 1476. & 1493.

(*d*) Fuit Jurisperitus, & Consul Trid. ad an. 1473. & 1487.

(*e*) Iste Poëta Hinderbachio nostro suam dicavit *Istriadem*, in tres libros variorum carminum tributam, cujus exemplum in nitidissima membrana exaratum, eidemque Hinderbachio oblatum, ego quoque vidi in Arce Tridentina. Ejus Carmen de Simone puero Tridentino, quod incipit: *Dic, age, Sancte Puer*, una cum Carmine Jo: Mathiae Tiberini, praemissum legi praefatis duobus libris Symonidos edit. August. Vind. 1511. Ad meas insuper manus pervenit laudati Zovenzonii Carmen eidem Hinderbachio inscriptum, Concitatorium ad Principes Christianos in Turcas, cujus initium: *Heu nimis Europae* &c. Vide nostrum Vol. 3. part. 1. pag. 272. nec non To. 1. pag. 304. Hist. Script. Venet. P. Jo: de Augustinis.

ſtriae, & apud Imperatorem. Oſtendit, quod quidam (*Conradus Saja*) eorum Protector Roboretanus a Deo vindice punitus ſit, pene vivus exuſtus, & a Chriſtianis domibus expulſus, inter Judaeos, quorum eſt fautor, miſer, ejulanſque baculo deambulat. (*a*) Sperat Ducem Auſtriae meliora edoctum, opinionem ſuam mutaturum, & de juſta punitione penitus informandum. (*b*)

XXI. Eodem menſe Aprili, ac ſequentibus; jubente praedicto Epiſcopo Tridentino, confectum eſt Regiſtrum eleemoſynarum, & donariorum multorum, quae ad B. Simonis Capſam a Fidelibus deferebantur.

XXII. Anno 1475. die 19. Maji, ex Inſpruk. *Gregorius Emps* Presbyter certiorem reddit D. *Johannem* Epiſcopum Trid., quod Hebraei omnem movent lapidem, ac nihil intentatum relinquunt pro ſua vindicanda (ſi Superis placet) innocentia contra eumdem D. Epiſcopum, apud omnes Principes, etiam in Inſpruk, nullis auri, & argenti ſumptibus parcendo.

XXIII. Alia poſteriori Epiſtola memoratus *Gregorius* eumdem Epiſcopum monet, Oeniponti a Judaeorum Fautoribus actitatum, ut ipſi Judaei non cogantur exulare a civitate Tridenti: ut publicata eorum bona cedant in communem utilitatem: quodque inibi praetenſum, teterrima multa inuri Judaeis quo jure quave injuria.

XXIV. Die 21. Maji. Tridenti. D. *Johannes* Epiſcopus Trid. praedictum *Zovenzonium* informat de Miraculis Beati Martyris Simonis, de quibus informatus Dux Auſtriae, ſperat non amplius aurem praebiturum malevolis, qui Judaeorum auro corrupti, in eorum favorem plus aequo ſeveram Epiſcopi punitionem exaggerant. Inſuper rogat, ut *Titum Livium* per Gerardum Aromatarium ſibi tranſmittat.

XXV. Anno 1475. die 3. Junii. *Guilbelmus Pajelus* Eques Vicentinus, & Secretarius Apoſtolicus, ſcribit D. *Johanni* Epiſcopo Trident., cumque commendat pro zelo Catholicae Religionis contra Judaeos: laetatur de intellectis prodigiis novi Martyris Simonis, ac pro ulteriori informatione ſignorum praedicti Martyris eumdem exorat.

XXVI.

(a) In hanc rem vide miraculum per Epigramma deſcriptum in Libro, quem novis curis, & auctionibus hoc ipſo anno, iiſdemque typis publicavimus: *De Cultu Sancti Simonis Pueri Tridentini & Martyris, apud Venetos pag.* 18.

(b) Haud feſellit Hinderbachium noſtrum ſua ſpes; namque vel ipſe Auſtriae Dux in cit. lib. Symonidos inter eos laudatur, qui Judaeorum munera ex alto contempſere. Ibidem enim canitur:

Duxque illos, Praeſulque pius, Praetorque ſeverus
Conſtantique animo Sporus Praefectus, ut hoſtes
Reppulit &c.

XXVI. Anno 1475. die 23. Julii. Romae. *Sixtus* Papa IV. Episcopum Trident. monet, ut ab ulteriori inquisitione in causa Hebraeorum supersedere debeat usque ad adventum Commissarii a se deputati.

XXVII. Anno 1475. die 3. Augusti. Romae. *Sixtus* Papa Quartus scribit *Johanni* Episcopo Tridentino, quod quamquam dubitare non possit, poenas Judaeis inflictas fuisse justissimas; quia tamen multi etiam Principes factum hoc improbant, ideo destinavit Commissarium Vintimiliensem Episcopum, virum doctum, qui una secum factum illud melius expendat. Proindeque eum hortatur, ut illum benigne suscipiat.

XXVIII. Die 6. Aug. Vincentiae. *Bartholomaeus Pajarinus* J. C. Vincentinus congratulatur Senatui Tridentino pro novo Martyre acquisito, & pro zelo contra Judaeos habito, hortaturque illum, ut minime cedat machinationibus eorumdem Judaeorum, & ut vindicet Martyrem suum, afferens etiam exemplum akerius Infantis ab ipsis trucidati in Galliis, ac propterea saeviter punitis.

XXIX. Ipso die ac mense idem *Pajarinus* mittit Consulibus Tridentinis Monumenta pro suffulcienda causa B. Simonis, eosque animat ad defendendum pro virili parte decorem Patriae suae contra Judaeos, qui Acheronta movent, ut impetrent Pontificium Commissarium sibi propitium &c. Multos etiam sibi Patronos pecunia conquirunt.

XXX. Anno 1475. die 5. Septemb. Vincentiae in Episcopatu. P. *Mussolinus* Doctor, & Pontificis Cubicularius D. *Johanni* Episcopo Trid. significat mentem Senatorum Venetorum circa Judaeos: cupit scire ad quid Episcopus Vintimiliensis Tridentum accesserit, qui male exceptus a Venetis, tribus comitantibus Judaeis insalutato hospite abivit. Transmittit etiam Documentum in favorem causae B. Simonis.

XXXI. Die 18. Septemb. Roveredi. *Ludovicus Quirinus* Potestas Roveredi, & Capitaneus Vallis Lagarinae indulget Salvumconductum Anzelino habitatori Tridenti, ut libere Roveredum adire possit, stare, & ad placitum abire absque ulla molestia.

XXXII. Die 20. Septemb. Insprugg. *Sigismundus* Austriae Dux scribit Episcopo Vintimiliensi, quod suos Oratores Tridentum miserit, a quibus intelliget mentem suam, & quod est paratus ad parendum omnibus, quae dictus Episcopus Pontificis nomine fuerit mandaturus.

XXXIII. Die 24. Septemb. Roveredi. Episcopus Vintimiliensis scribit Domino Episcopo Tridentino, quod Advocati Hebraeorum cum magna turma ad ipsum confluxerunt, petentes causae suae defensionem: quod Veronam salutis suae requirendae causa recedere non deberet, sed

ibi

ibi manere, promittentes provisionem necessariorum ad salutem suam recuperandam; & quod ipsis dari debeant Processus, & Salviconductus ad causam propriam defendendam: ad quae respondit, quod Veronam ire vellet pro majori commoditate; quod Salvumconductum habebunt: quod vero Processus spectat, suo tempore illis dabuntur, tamen ita clausi, ut aperiri non possint juxta mandatum Pontificis.

XXXIV. Die 26. Septemb. Rovereti. Idem B. (*Baptista*) petit a Domino Episcopo Tridentino relaxationem Judaeorum in carcere detentorum, idque in gratiam Summi Pontificis.

XXXV. Die 29. Septemb. Roveredi. Idem B. Episcopus Vintimiliensis Commissarius Apostolicus gratias agit Domino *Johanni* Episcopo Trid. pro transmissis muneribus: cumque advertit, quod Processus Romam portabit, ubi melius perpendi poterunt. Desiderat insuper secum ducere D. *Johannem*, & *Aprovinum*, ut eorum consilio uti possit.

XXXVI. Anno 1475. ineunte Octob. Jacob de Brixia, & Jacob de Rippa Hebraei supplicibus literis Commissarium Apostolicum interpellant, eique exponunt calumnias Hebraeis Tridentinis de puero occiso impositas; propter quod ad carceres, & ad mortem turpissimam cum bonorum publicatione, sive confiscatione damnati sunt. Unde rogant, ut eorum rationes audire ei placeat, & justitiam in favorem innocentium administret.

XXXVII. Die primo Octob. Tridenti. D. *Johannes* Episcopus Trid. memorato *Zovenzonio* notificat adventum Episcopi Vintimiliensis Legati Pontificii, quem suspectum habet, eo quod Roboretum praetextu infirmae valetudinis accesserit, ubi non solum Judaei, sed ipse Potestas causam Hebraeorum defendit. Rogat, ut informet Ducem Venetum, aliosque Nobiles de justa causa, quibus etiam, si opus fuerit, Nuncium mittet cum Processu. Dicit, omnem rumorem provenire ex fautoribus Judaeorum auro obcaecatis. Protestatur se nihil timere; cumque iterum invitat, ut quamprimum accedat Tridentum ad videnda novi Martyris portenta.

XXXVIII. Die 7. Octob. Venetiis. *Zovenzonius* respondet D. *Johanni* Episcop. Trid. gratias agens de pulcherrima ei transmissa Imagine B. Simonis: laudat ejus zelum, animatque, ut iniquis Judaeorum Protectoribus obsistat, sperans B. Martyrem causam suam optime defensurum.

XXXIX. Die 8. Octob. Roveredi. Jacobus a Rippa Affinis, & Procurator Hebraeorum coram Episcopo Vintimiliensi Commissario Apostolico instat, ut Episcopus Tridentinus, Capitulum, & Potestas

ſtas reſpondeant ejuſdem inſtantiis; unde dictus Commiſſarius haec illis inſinuat.

XL. Die 9. Octobr. Venetiis. *Gabriel Bertuccius* notificat Domino Epiſcopo Trident., quod ſanitate recuperata nullo parcet labori pro vindicanda cauſa contra Hebraeos; eumque rogat pro aliqua Reliquia Sancti Innocentis.

XLI. Die 12. Octob. Veronae. *Johannes Marcus Raimundus* Juriſconſultus D. *Johanni* Epiſc. Trid. ſcribit, quantum adlaboraverint Judaei pro habendo ejus patrocinio, oblatis eidem multis pecuniis, quas recuſavit, tum pro eorum reitate, tum etiam pro obſervantia erga ipſum D. Epiſcopum.

XLII. Eodem die. Roveredi. Epiſcopus Vintimilienſis certiorem reddit D. *Johannem* Epiſcop. Trid. de Nunciis ejus *Johanne*, & *Aprovino* benigne ſuſceptis, & quod in omnibus ad ejuſdem Epiſcopi honorem habebit omnem reſpectum.

XLIII. Die 14. Octob. Roveredi. *Baptiſta* Vintimilienſis Epiſcopus, Commiſſarius Apoſtolicus, citat *Johannem de Salis* Poteſtatem Tridenti ad inſtantiam Jacobi de Rippa Procuratoris Judaeorum, ad reſpondendum iis, quae ab illo ſibi objiciuntur in Cauſa contra Judaeos habita.

XLIV. Die 18. Octob. Roveredi. D. *Johannes Menchey* Secretarius, & Procurator D. *Johannis* Epiſc. Trid. proteſtatur coram D. *Baptiſta* Vintimilienſi Epiſcopo, Commiſſario Apoſtolico, quod citatio Jacobi de Rippa nullius ſit valoris, utpote Judaei, & Judaeorum fautoris, quam clauſulam Dominus Commiſſarius in citatione reticuit. Item quod Proceſſus nullo modo aperiri debeant a Domino Commiſſario, cum cautum ſit, eos ſigillatos ad Summum Pontificem tranſmittendos eſſe. Item dictus Procurator inſtat apud eumdem Commiſſarium, quod Tridentum accedere debeat, ubi melius, cum ibi delictum fuerit commiſſum, veritatem indagare poterit, & ubi Dominus Epiſcopus omnia pro ejus perſona conſervanda providebit: ubi etiam cum ſit aſſignatus a Summo Pontifice tamquam Socius in illa Cauſa, alter alterum melius illuminare poterit, alias ſe ſuſpectum reddere dignoſcitur.

XLV. Eodem die. Romae. *Sixtus* IV. ſcribit Epiſcopo Trid. quod Literas Commiſſarii ſui, *Sigiſmundi* Ducis Auſtriae, & ejuſdem Domini Epiſcopi Trident. receperit circa examinationem obitus, & miraculorum pueri Simonis, ut dicitur, a Judaeis interempti, quam laudat, & laetatur &c. Ad inſtantiam autem Judaeorum monet ipſum Epiſcopum, ut ſi culpa careant pueri, & foeminae, de quorum innocentia nullum du-

bium esse dicitur, eos ex carceribus relaxet, eo vel maxime quia sunt infirmi, & cum vitae periculo.

XLVI. Die 21. Octobr. Roveredi. Episcopus Vintimiliensis certiorem reddit Dominum Episcopum Trident., quod habuerit certam notitiam, ad Summum Pontificem pervenisse Literas suas, in quibus multa in laudem dicti Domini Episcopi scripserat, & praesertim quanta humanitate fuerit exceptus, & quanti auxilii fuerit in investiganda veritate Commissionis suae &c.

XLVII. Die 23. Octob. Roveredi. Episcopus Vintimiliensis insinuat Domino Episcopo Trid. Delegationem suam Apostolicam in Causa Judaeorum, auctoritatemque citandi quamcumque personam ad comparendum, & deponendam veritatem, & ut hanc suam Delegationem communicare debeat Capitulo, & Potestati, aliisque interesse habentibus, additque Exemplum Delegationis &c.

XLVIII. Die 25. Octobr. Ex Inspruk. *Gregorius Pladec* informat Dominum Episcopum Trid., quod Judaei variis machinationibus utuntur, ut ad suas partes trahant Dominum Ducem, ejusque Consiliarios.

XLIX. Die 28. Octob. Tridenti in Contrata Belenzanorum, ante portam domus Dominorum de Thono, in qua habitat Dominus Potestas Tridenti, praesentibus D. *Conto* q. D. *Antonii de Fatis de Terlago*, & Ser *Sigismundo* q. *Michaelis de Saracenis* Civibus Tridentinis, Ser *Johannes* Notarius *de Fundo* instat coram D. *Johanne de Salis* Potestate Trid., ut alium Notarium assignet ad scribendum in Causa Judaeorum, quia Dominus Episcopus Vintimiliensis Commissarius Apostolicus in eadem Causa dixit, quod contra Judaeos scripserit aliter quam veritas se habeat: sed Dns Potestas eidem Notario mandavit, quatenus ipse, & non alius, scribere debeat. Nihilominus tamen dicto Notario Johanni assignavit tamquam Socium ad progrediendum in Processu contra Judaeos Ser *Petrum de Maleferratis* Civem Trid. Notarium Italicam & Germanicam Linguam callentem.

L. Eodem die Rovereti: *Antonius de Facinis* (a) refert Domino Episcopo Trid., quod Famulus Capitanei Petrae noluerit aperire Portam, ut posset Roveretum pervenire cum Processu, nisi solverit; quod facere recusavit, ne esset in praejudicium Episcopi. Item quod Commissarius Apostolicus est multum suspectus, & timet, quod a Judaeis sit corruptus: Quod Potestas Rovereti modo est bene informatus de recta justitia con-

(a) Fuit Jurisperitus, & Consul. Trid. ad an 1494. & 1498.

contra Judaeos ex depositione Anzelini retenti: Quod Episcopo Ratisponensi concredere nequivit Processus, quia summo mane Rovereto recessit.

LI. Die 29. Octob. Roveredi. Episcopus Vintimiliensis Episcopo Trid., Capitulo, Potestati, & Magistratui Trid. praecipit, quod nihil innovetur circa Judaeos retentos, quinimo ut quantocius relaxentur pueri, & milieres innocentes, dolens, quod alteri suo mandato non obedierint. Episcopo mandat executionem hujus Decreti sub poena prohibitionis ab ingressu in Ecclesiam.

LII. Idem Episcopus Vintimiliensis alio speciali Mandato praecipit Potestati, *Jacobo de Sporo* Capitaneo, & Gastaldionibus Tridenti, quatenus intra trium dierum spatium relaxare debeant, et in loco tuto ponere pueros, & mulieres Hebraeas in carceribus detentos, nec eos tormentis afficere sub poena excommunicationis &c.

LIII. Eodem die Tridenti. D. *Johannes de Salis* Potestas Trid. constituit suum Procuratorem, & certum Nuntium ad comparendum coram D. *Baptista* Vintimiliensi Episcopo, & Commissario Apostolico, Dominum *Jacobum Cortesii* de Verona, ad protestandum, quod dictus Commissarius est suspectus, & perfidorum Hebraeorum Protector, causas suspicionis allegando &c.

LIV. Die ultimo Octob. Tridenti. D. *Johannes* Episc. Trid., *Jacobus de Sporo* Capitaneus Trid., *Johannes de Salis* Potestas Trid., & Magistratus Trid. ad Monitorium *Baptistae* Episcopi Vintimiliensis, & Commissarii Apostolici respondent, & protestantur, nullum esse, & nullius roboris, tum quia directionem Pontificiam circa Temporalitatem idem Commissarius nullam habet, nec est Pontificis mens in his se ingerere, quae ab Imperio Episcopus habet: tum quia nimis suspectus est, & a Judaeis Roveredi existentibus corruptus: tum quia operatur contra Instructionem Pontificis, cujus intentio est, quod justitia administretur: mandare, ut Hebraei relaxentur antequam Processus sit completus; non est actus Justitiae: tum quia Pontifex destinavit eum Commissarium, ut una cum Episcopo Tridentino rem melius examinet, quod dictus Commissarius non facit. Quare tamquam suspectum habentes illum, ad ipsum Pontificem, vel alium Legatum appellant.

LV. Año 1475. die 2. Novemb. Roveredi. Cum Vintimiliensis Episcopus ab Episcopo Trid., Capitaneo, & Potestate intellexisset, pueros Hebraeorum esse sub eorum Matrum potestate, nec posse libere per civitatem exire, idem Commissarius mandat eis, quatenus permittant illis loqui cum harum Latore; & quando illi cuperent, cum eodem exire libere permitti debeant.

LVI. Eodem die, ac loco. Memoratus Commissarius insinuat Episcopo Trid., Capitaneo, ac Potestati Encyclicas Literas *Sixti* Papae Quarti, quibus prohibet praedicari Martyrium B. Simonis usque ad agnitionem Causae sui Commissarii.

LVII. Die 3. Novemb. Tridenti in Turri Palatii Episcopalis in loco Torturae institutus fuit Processus coram D. *Johanne Kyrliez* Capitaneo Tridenti, & D. *Johanne de Salis* Potestate, contra Saram uxorem quondam Tobiae Hebraei, quae post iterata tormenta Infanticidium Simonis in odium Christi commissum confessa, sicut & alia Infanticidia a Judaeis perpetrata, (a) eo quod Christianam Fidem amplexata est, a morte liberatur, cum Bella Hebraea uxore quodam Mohar, quae pariter post varia tormenta illud ipsum confessa, & ad Fidem conversa, in libertatem asseritur.

LVIII. Eodem die. Tridenti. Factum est examen Sarae uxoris Tobiae Judaei, Bellae, & Bonae, quae post tormenta B. Simonis Infanticidium confessae sunt.

LIX. Item eodem die. In Castro Ravenspurg Constantiensis Dioecesis. D. *Johannes Fogt de Somorovv* ad instantiam Fratris *Henrici* Ordinis Praedicatorum Theol. Professoris a D. *Johanne* Episcopo Trid. Delegati, eidem Dño Episcopo autenticum Monumentum mittit de Infante in partibus illis occiso a Judaeis, qui illum emerunt, & crudeliter interemerunt, quemadmodum per Juridicum Processum relevatum fuit.

LX. Ipso die. In Castro prope Civitatem Ravenspurg. D. *Johannes Truchses de Walburg*, S. R. I. Praefectus Svveviae, suo juramento testatur Fratri *Henrico* Ord. Praed. Dñi Episcopi Trid. Delegato, Infanticidium supra relatum, commissum an. 1430. a Judaeis in Ravenspurg, qui merita poena etiam puniti fuerunt.

LXI. Pariter in Oppido Ravenspurg. Magister Civium dicti Oppidi attestatur eodem modo dictum Infanticidium.

LXII.

(a) De hujusmodi infanticidiis ab ipsis Judaeis admissis, nedum ante necem B. Simonis, sed etiam postea, in Anglia, Gallia, Hispania, Italia, Germania superiore, & inferiore, Helvetia, Polonia, Lituania, Hungaria &c. vide Acta Sanctorum To. 2. April. Edit. Ven. 1738. a pag. 504. ubi *de B. Rudolpho puero a Judaeis occiso Bernae in Helvetia*; a pag. 697. ubi *de S. VVernhero puero VVesaliae a Judaeis occiso, Bacharaci deposito ad Rhenum in Dioecesi Trevirensi*; a pag. 835. ubi *de Alberto puero in Polonia a Judaeis occiso, deposito in Collegio Lublinensi S. J.*; a pag. 838. ubi *de pluribus Innocentibus per Judaeos excruciatis*. Item To. 3. Mart. pag. 502. ubi *de S. Joannetto puero in Dioecesi Coloniensi a Judaeis necato*; a pag. 588. ubi *de S. VVillelmo puero Martyre Norvvici in Anglia*; a pag. 591. ubi *de S. Richardo puero Martyre in Francia*. Nec non To. 3 Julii a pag. 462. ubi *de B. Andrea puero a Judaeis trucidato in Valle OEnana prope OEnipontum in Comitatu Tyrolensi*, ac etiam de *aliis sex Ratisbonae*, & de *Michaele novdum quadrimestri in Palatinatu Bavariae novo &c.*

LXII. Die 4. Novemb. in Oppido Ravenspurg: *Franciscus Sproll* Civis dicti Oppidi juridica atteſtatione confirmat idem Infanticidium.

LXIII. Die 5. Novemb. Tridenti. *Jacobus de Sporo* Capitaneus Trid. ſcribit *Ludovico Quirino* Poteſtati Roveredi, atque conqueritur, quod ad inſtantiam Vintimilienſis Epiſcopi indebite incarcerarit Anzelinum Civem Trid. & hucuſque illum detineat, de qua re Subditi Tridentini multum ſe gravatos ſentiunt, eo quod nullam directionem circa hoc dictus Vintimilienſis a Summo Pontifice habeat. Unde pro ea bona amicitia, & vicinitate, qua ſemper conjuncti fuerunt cum Domino Epiſcopo Tridentino, & Dño Duce Auſtriae, rogat, ut quam primum dictum Anzelinum e carcere dimittat.

LXIV. Eodem die. Gargnani. Frater *Dominicus de Gargnano* Ord. Praed. reſpondet *Johanni de Salis* Poteſtati Trid. conquerenti, quod ipſe Fr. Dominicus ſuo juramento affirmarit Epiſcopo Vintimilienſi, quod idem D. Poteſtas Sedi Apoſtolicae, & Pontifici detraxerit, eumdem maledicendo, & ulterius dicendo, quod ſi Pontifex eidem mandaret ſub poena excommunicationis ut deſiſteret a torquendis Judaeis non ceſſaret. Negat haec unquam ſe dixiſſe, nec credere poteſt ab Epiſcopo Vintimilienſi talia dicta fuiſſe, ſed a malis linguis ea fortaſſe relata eſſe. Hoc unice dixiſſe fatetur, quod Poteſtas Trid. non indiget gratiis Dñi Commiſſarii, ſed ſola Dei gratia, & quod idem Dñs Poteſtas paratus erat ire Venetias, Romam, & ad Sedem Apoſtolicam pro Fide, & Veritate tuenda, pro qua mori erat paratus: quae quidem omnia ſuo juramento aſſeruit.

LXV. Die 7. Novemb. Roveredi. *Ludovicus Quirinus* Poteſtas Roveredi reſpondet D. *Jacobo de Sporo* Capitaneo Trid., quod ipſe fecerit diligentem inquiſitionem de his, qui de mandato Commiſſarii Apoſtolici in carcerem conjecti ſunt, & invenit, quod Johannes Alemanus Hoſpes in Roveredo conduxerat illuc quemdam Anzelinum, & pro eo impetraverat publicam fidem, ſive certum Salvumconductum, quem dictus Anzelinus ſe unquam habuiſſe, aut petiviſſe ſibi concedi negabat. Unde uterque de mandato dicti Commiſſarii in carcerem detruſus eſt. Sed poſtea re intellecta uti erat, mox ambos relaxare fecit; ac proinde ei teſtatum facit, quod nullum ipſe contra ejus voluntatem retinuerit. Quod autem id fecerit dictus Commiſſarius, prohibere non potuit, quia eſt Superior: ſcribet tamen Venetiarum Duci quid in poſterum ſibi ſit agendum.

LXVI. Eodem die. Roveredi. *Johannes Antonius Guaſcheta*, ſeu de Vaſchettis, Legum Doctor, (a) certiorem reddit Dominum Epi-ſcopum

(a) Fuit Conſul Trid. ad an. 1467, 1473. & 1477.

ſcorum Trid. de variis rebus Commiſſarii Apoſtolici in Roveredo: quod multum laborat in favorem Judaeorum: quod occulte mittit Tridentum ad exploranda vulnera corporis B. Simonis, & poſtea in depoſitione Teſtes ad deponendum aliter, ac ſe res habeat, inducere tentat: quod viderit Bullam Pontificiam prohibentem Cultum, & Imagines B. Simonis, tamquam Martyris: quod idem Commiſſarius dixerit, quod Epiſcopus Trid. ubique miſerit ad eleemoſynas corrogandas, ut haberet cauſas ducendi perſonas ad devotionem Beati Simonis: quod ad mortem damnavit Judaeos cauſa habendi eorum bona: quod multa facit in contemptum Bullae Pontificiae; & quod Proceſſus contra Judaeos nulli ſunt &c., ad quae tamen omnia ipſe reſpondit, eaque prorſus exploſit.

LXVII. Die 8. Novemb. Roveredi. Epiſcopus Vintimilienſis Commiſſarius Apoſtolicus, aliud Monitorium mittit *Johanni de Salis* Poteſtati Trid., in quo eum declarat incurriſſe poenam excommunicationis, quia ſub frivolis praetextibus recuſavit obedire aliis Monitoriis. Unde iterum eum in jus vocat, ut trium dierum ſpatio comparere debeat ad reſpondendum circa occiſionem Infantis Simonis ab ipſo Judaeis attributam.

LXVIII. Die 12. Novemb. In Oppido-Pfullendorff Conſtantienſis Dioeceſis. Magiſter Civium & Conſulum dicti Loci publicum teſtimonium ſuo juramento firmatum dat Fratri *Henrico de Sletſtat* (a) Ord. Praed. Dñi Epiſcopi Trid. Delegato, de Infanticidio cujuſdam pueri a Judaeis patrato in odium Chriſti in illis partibus an. 1461., quem variis vulneribus, & inciſionibus ſauciarunt, & occiderunt, ut ſanguinem pro ſuis uſibus colligerent.

LXIX. Die 13. Novemb. Tridenti: Johannes Sguaizer carcere clauſus fuerat, tamquam ſuſpectus de Infante Simone Judaeis tradito, quemadmodum eorum aliquis per ſummam injuriam depoſuerat, ſed innocens cum ſua uxore inventus, dimitti meruerat. Nunc intelligens quod Commiſſarius Apoſtolicus aſſertus eumdem cum ſua uxore dicti Infanticidii reum ſuſpicetur, & vehementer inſtaret pro iis in carceres conjiciendis, rogat Dñm Epiſcopum Trid., ut varios teſtes ad examinandum aſſumat: quod fecit, & D. *Johannem Vogler* Canonicum & Vicarium Generalem Tridenti ad hoc examen inſtituendum deſtinavit. Teſtes vero depoſuerunt, quod eo die, in quo captus fuit B. Simon, una cum eodem Sguaizero fuerunt ad laborandum in vineis Malvaſiae a ſummo mane

(a) Ad hunc Henricum ſpectare videtur *Commiſſio data Magiſtro Henrico de Sleſtat a Rudolpho Epiſcopo Lavantino, ut Crucem praedicet in Luſatia & Miſnia contra Georgium Bohemiae Regem*. De qua re Caſ. Oudinus To. 3. de Script. col. 2579.

mane usque ad noctem, cum ejusdem uxore, quae tamen fuit in civitate ad sumendum Antecoenium sive Merendam, & una hora ante noctem ad parandam coenam, & a praedio, ubi fuerunt, post *Ave Maria* ad domum Sguaizeri accedentes, una simul ibi coenarunt.

LXX. Die 19. Novemb. Tridenti. D. *Johannes* Episcopus Trid. delegavit *Jacobum de Corigio* Vicarium Roveredi pro D. *Leonardo Contareno* Archipresbytero S. Floriani de Lizana, in qua Delegatione continebatur, quod obtenta facultate a Dño Potestate Capitaneo Roveredi, examinare deberet Castellanos illius Castri, & Rochae Roveredi circa detentionem Anzelini. Praesentata D. *Ludovico Quirino* Potestati & Capitaneo Roveredi pro Illustrissimo Dominio Veneto Delegatione praedicta, & habita facultate eosdem omnes Castellanos examinandi, singillatim examinati sub juramento deposuerunt, quod de mense Octobri quidam Anzelinus fuit Castellano consignatus per Dñm Commissarium Apostolicum, & eidem commendatus, ut sub bona custodia teneret cum licentia Dñi Potestatis, quem tenuit tribus diebus vel circa, quo tempore dictus Anzelinus saepius secum allocutus fuit dicendo, quod referebat gratiam Deo, quod evasisset e manibus dicti Dñi Commissarii, qui ipsum quotidie sollicitabat, ut diceret, & deponeret ea, quae nesciebat, & juxta voluntatem suam, & quod volebat se commendare Dño Potestati Roveredi, ut a praefato Commissario continuo ipsum eriperet: dixitque, quod dictus Commissarius tenuerat ipsum clausum & occultum, ne videretur a Christianis ad ipsum Commissarium accendentibus, sub certa Lectica, & cum dicti Christiani recedebant, ipsum ad se venire faciebat, & omni sero Hebraei quamplures accedebant ad ipsum Dominum Commissarium, & secum conferebant, & ignorabat quid dicerent: & pluries vidit ipsum Legatum, & Hebraeos numerare pecunias, sed qua de causa nescit: & quando ipsi Hebraei illuc accedebant, ipse Anzelinus stabat palam coram ipsis: quod postea a Dño Capitaneo, & Commissario fuit examinatus, & inde eidem Dño Commissario consignatus.

LXXI. Die 20. Novemb. Roveredi. Presbyter *Jacobus de Corigio* Vicarius Roveredi certiorem reddit Dñm Episcopum Trid. de executione sui mandati, seque examinasse Castellanos Roveredi circa Anzelinum detentum mandato Commissarii Apostolici, scribente Cancellario Dñi Potestatis Roveredi.

LXXII. Die 21. Novemb. Ex Endigen Constantiensis Dioecesis, Magister Civium Endigensium authenticum Documentum tradit Fratri *Henrico* Ordinis Praedicatorum Delegato Dñi Episcopi Trid. super occi-

sione

fione duorum Infantium a Judaeis facta in eodem loco in odium Christi, eos variis vulneribus afficiendo, ut Sanguinem pro eorum Paschate elicerent.

LXXIII. Die 25. Novemb. Tridenti in Castro Boni Consilii, praesentibus D. *Johanne de Aretio* Medicinae Doctore Cive Trid. (a) &c. Coram D. *Johanne* Episcopo Trid. constituta Dña *Agnola*, uxor quondam *Zorzi* olim Castellani Castri Roveredi, manifestavit dicto Dño Episcopo de Anzelino eo tempore in carcere detento ex mandato Commissarii Apostolici in Castro Roveredi, quod pluries tortus, ut deponeret, quod Svvaizer Infantem Simonem occiderit, & postea posuerit in domo Hebraeorum, numquam hanc falsitatem deponere voluit, declarans se potius mori velle. Et videns dictus Commissarius, quod id testari ullo pacto nolebat juxta suam voluntatem, eum liberavit ea lege, ut nihil diceret de his, quae a Commissario quaesita fuerant. Narravit etiam, quod Hospes a Corona Roveredi induxit dictum Anzelinum ad veniendum illuc, multa bona ei promittens, eique numerando 27. Ducatos auri, & postea illum consignando Commissario, qui eumdem Anzelinum in sua Camera tenebat, & quando veniebant Christiani, eum sub lecto abscondebat: venientibus autem Judaeis, etiam ipsum cum illis coram se stare faciebat, ut dein deponeret, Svvaizerum interemisse Infantem Simonem, sed postea in carcere positus, falsum deponere numquam voluit. Narravit insuper duas Gratias ob merita B. Simonis obtentas, Filiam suam a tumore nulla mora fuisse liberatam, & aliam Filiam suam ab acuta Febri mox convaluisse.

LXXIV. Die 29. Novemb. Roveredi. Presbyter *Jacobus de Corigia* respondet Dño Episcopo Trid. Scripturas requirenti factas in examine Castellanorum; & aliorum a Cancellario Roveredi, quod nullo modo Cancellarius illas dare velit secundum ordinem & consuetudinem, eo quod sunt Scripturae magni momenti, nec in aliarum Scripturarum numero sunt ponendae. Hinc petit quid sibi agendum.

LXXV. Anno 1475. desinente Novembri, vel ineunte Decembri. *Franciscus Sanutus* Veronae Potestas conscium reddit D. *Johannem* Episc. Trid., quod eo tempore, quo Commissarius Apostolicus Vintimiliensis fuit Veronae, ab eo aufugit quidam Anzelinus, qui postea captus, eidem fuit restitutus, & illum Dñs Potestas capi fecerat, quia a suo Principe in mandatis habebat, omnem opem dicto Commissario praestandi.

LXXVI.

(a) Fuit Consul Trid. ad an. 1472.

LXXVI. Anno 1475. die 4. Decemb. Veronae . *Antonius de Pelegrinis* Jurisconsultus compatitur Dño Episcopo Trid. quod tantas patiatur molestias, neque causa, ut meretur, statim effectum suum obtinere possit, praecipue occasione Anzelini opera Commissarii Apostolici detenti. Condemnat examen factum dicto Anzelino a Potestate Roveredi ad instantiam dicti Commissarii; eum quippe examinare non debuerat, licet Ducales dictus Commissarius ostenderit. Nihil tamen dubitat, quin Causa sit ad bonum finem perventura. Quid Veronae sentiat Populus declarat ex ipsis pueris Judaeos saxis ac clamoribus insequentibus. Concludit, quod Judaei varios habent defensores.

LXXVII. Die 10. Decemb. Roveredi. Presbyter *Jacobus de Corigia* a Notario Dñi Potestatis Roveredi magnis precibus, & pecunia impetravit Scripturas factas in examine Anzelini, quas mittit, & commendat Dño Episcopo Trid. pro bona custodia.

LXXVIII. Anno 1476. die 12. Januarii. Romae. *Wilhelmus Rottaler* (a) & *Approbinus de Approbinis* (b) Oratores Dñi Episcopi Trid. apud Sanctam Sedem, scribunt eidem Dño Episcopo de subrogatione Domini Papiensis in locum Domini Ravennatensis, cui praestarunt informationes pro Causa B. Simonis: quod locuti sint cum Dño *Christophoro de Ruvere* Archiepiscopo Tarantasiensi Nepote Dñi Papae, a quo benigne excepti sunt, & singula audire cupiebat, qui primum Processum habuit, & Summarium alterius ei dederunt; promisitque, quod non deerit pro viribus apud Sanctissimum Dominum, & de multis eos admonuit: quod videlicet Pontifex vellet terminare hanc Causam: quod Vintimiliensis Episcopus velit habere Anzelinum bene custoditum, quia multum necessarius consebatur in hac Causa: ad quod respondit, quod dictus Anzelinus fuit examinatus, sed nescit si adhuc sit in potestate D. Commissarii, qui multum videtur favere Judaeis, quia multum ab eis recepit, quamquam causetur dicendo, quod habuerit commissionem a Pontifice recipiendi pecunias pro expensis necessariis. Dixit etiam, quod Pontifex dictum Commissarium exclusit a sua praesentia, praecipiendo Ostiariis, ut amplius eum non admitterent. Admonet, quod Dominus Sancti Marci est Protector hujus Causae, & si Dominus Episcopus Tridentinus non esset qualis est, timeret de hac Causa, tot enim fautores sibi acquirunt Hebraei suis pecuniis. Salamonem Hebraeum, qui

(a) Iste fuit Clericus Ratisbonensis Dioecesis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, Episcopi Tridentini Johannis Hinderbachii Secretarius, & Parochus Medio-Coronensis.

(b) Fuit Jurisperitus, & Consul Trid. ad an. 1463.

qui se recedere simulavit, reversum esse. Expectant Aretinum, qui hanc Causam protegit, & cui Dominus Sancti Marci multum defert. Sperant, quod hac hebdomada Deputati pro hac Causa convenient, quamquam Dominus Sancti Marci non vellet, quia ait, quod prius melius informari debeat. Accusatur etiam Episcopus Tridentinus, quod bona Hebraeorum Fisco addixerit ante Sententiam, ad quod responderunt, quod illa bona fuerint impensa in necessariis sumptibus hujus Causae, & quod Dominus Episcopus mittet Indicem sive Inventarium omnium &c.

LXXIX. Die 16 Jan. Tridenti ad Pontem Fossati, sive Malvasiae. Cum Jos, & Moyses Habraei pro eorum delictis, praecipue pro occisione Infantis Simonis, pedibus in Furca die 15. Jan. suspensi fuissent, & periissent baptizari, baptizati sunt a Fratre *Henrico* Ord. Praedic., & nominati sunt Antonius, & Marcellus. Postea a Presbytero *Johanne Wisser* Plebano Thioni, & Capellano Domini Episcopi (a) interrogati, an vere essent Christiani, protestati sunt se tales esse, & ut Christianos velle mori, & recitarunt Orationem Dominicam, & Symbolum Apostolorum: eos insuper adhortatus est, ut B. Simonem Martyrem invocarent pro eorum salute, statimque ipsum invocarunt, & rogarunt, ut a Deo veniam impetraret pro ipsis, qui tot tormenta eidem intulerunt, coram toto populo suum delictum, prout jam confessi fuerant, iterum declararunt, quam confessionem multi testes ibidem praesentes suo juramento confirmarunt.

LXXX. Eodem die. Illi qui astiterunt dictis duobus Judaeis, juratum testimonium perhibuerunt, quod ante eorum mortem signa bonorum Christianorum dederunt, ac in bona opinione decesserunt.

LXXXI. Die 19. Jan. Vincentiae, *Bartholomaeus Pajarinus* Jurisconsultus Vincentinus pulchram Orationem scribit in laudem D. *Johannis* Trid. contra Judaeos justissime, & intrepide agentis.

LXXXII. Die ultimo Jan. Idem *Pajarinus* certiorem reddit laudatum Episcopum Trid., quod Vintimiliensis Episcopus exauctoratus sit a Pontifice, eo quod, ut ipse judicat, nimium Judaeis favisset. Laudat insuper Episcopum Trid. de administrata justitia contra Judaeos, pro qua apud Deum grande meritum, & apud posteros immortalem gloriam sibi comparasse asseverat.

LXXXIII.

(a) Johannes Wisser de Monaco Frisingensis Dioecesis ad ann. 1459. fuit Magister & Rector Scholarum in Civitate Tridenti.

LXXXIII. Anno 1476. die 22. Febr. Tridenti in Castro Boni Consilii. D. *Johannes* Episcopus Trid. Romam mittit Epistolam Domino Sancti Marci, in qua innuit binas ejus Epistolas, quibus ipsi gratias ajebat de admissione D. B. (*Bartholomaei*) de Massa ad Canonicatum & Praebendam Ecclesiae Trid. Ait autem quod libenter ei gratificari cupit, & ulterius se exhibet pro tot beneficiis acceptis, praecipue pro defensione Causae B. Simonis contra Judaeos, & contra Episcopum Vintimiliensem, eorum fautorem. Confidit insuper in summa justitia S. Sedis, quae dolis & artibus Judaeorum circumveniri non poterit, nec falsis calumniis contra ipsummet Episcopum Tridentinum, cum accusando, quod ideo contra eosdem Judaeos processerit, ut eorum bona corraderet: nam Deum testem invocat, se nihil consequutum esse, praeter unum Numisma, sive Medaleam Theodosii, & aliqua Biblia paucissimae aestimationis pro Bibliotheca publica apud Ecclesiam constituenda: cetera autem bona Judaeorum expensa fuisse pro victu eorumdem Judaeorum, Custodum, & justitia facta de eisdem Judaeis, ac pro defensione Causae B. Simonis. Ad querelam, quod pendente lite nihilominus diebus praeteritis alios Judaeos morti dederit, respondet, quod hoc non in contemptum S. Sedis fecerit, sed ad tollendas Civitatis Tridentinae, vicinorum Locorum, Principis Austriae, & omnium populorum instantias id facere debuit, alias ipsi turmatim convenientes eos occidissent. Unde ad tollenda majora mala, confessis jam & convictis Judaeis, illos damnare debuit: & quia Commissarius Apostolicus omnes Judaeos & Judaeas animabat, atque eorum liberationem promittebat. Mittit etiam Processus ultimorum Judaeorum ad mortem damnatorum. Tandem commendat ipsi, & aliis Cardinalibus hanc Causam pro honore Domini nostri Jesu Christi, exaltatione Sanctae Ecclesiae, & Beati Martyris Simonis, pro qua nec ipse ulli parcit labori, nec veneni mortem sibi intentatam timet, nec oblationem multae pecuniae curat, sed tantum ut justitia triumphet &c.

LXXXIV. Anno 1476. Indict. 9. die Veneris primo Martii. Tridenti in Contrata Mercati veteris in Domo Heredum Ser *Michaëlis a Rosa* habitata a Sartore Hebraeorum, coram DD. Capitaneo, & Potestate Trid. formatus fuit Processus contra Bonam Judaeam filiam Solomonis de Verona, & sororem Angeli, quae post tormenta Infanticidii reatum, cui se implicuerat, confessa est.

LXXXV. Eodem die pariter institutus fuit Processus contra Annam filiam Abrahae, uxorem quondam Israëlis quondam Samuelis Hebraei,

 quae

quae post tormenta idipsum confessa, sed Fidem Christianam amplexa; mortem evasit.

LXXXVI. Die 28. Martii. Romae. Episcopus Castelli Magister Domus Sacri Palatii certiorem reddit D. Episcopum Trid. de Causa B. Simonis bene introducta, de sollicitudine Oratorum ejus, scilicet Aprovini, & Socii, qui adversantes mirifice oppugnant, & quod ipse quoque omnem navabit operam in favorem ejusdem Causae.

LXXXVII. Anno 1476. die 3. April. Romae. *Sixtus* Quartus *Johanni* Episcopo Trid. mandat, ut in Causa Judaeorum nihil innovet, & Hebraeos viros, ac mulieres, in carceribus detentos, in loco tuto, & non incommodo servari faciat, usque dum a Delegatis Cardinalibus Causa fuerit rite perpensa, rationesque omnes ultro citroque dispunctae.

LXXXVIII. Anno 1476. Indict. 9. die Martis 14. Maji. Tridenti in Castro Boni Consilii, praesentibus D. *Johanne de Kiteliz* Capitaneo Trid. &c. Formatus est Processus contra Presbyterum Paulum de Novaria detentum jussu D. *Johannis* Episcopi Trid., qui post tormenta confessus est intelligentiam, quam habebat cum Judaeis Novariae, Mutinae, Brixiae, Venetiarum, Bassani, Roveredi &c., ad quos pluries accessit &c., de venenando Domino Episcopo Trid., Capitaneo, & Potestate; de liberandis Judaeabus custodiae traditis, quibus etiam Literas per foramen Latrinae dedit; de levanda Crate Fossati, ut deponi a Testibus posset, Simonem in Fossatum projectum, ad domum Samuelis per aquam devenisse; de accedendo Romam, & deponendo coram Summo Pontifice, factam fuisse contra Judaeos injustitiam manifestam, qui puerum nullo modo occiderunt, sed quidam Svvaizer reus est Infanticidii. Unde pluries tentavit machinationes suas exequi, & modum meditabatur, videlicet corrumpendi pecunia Camerarium, vel Abaci Custodem, sive Credenzerium, quibus daret venenum jam praeparatum, ut ipsum praeberent Episcopo. Pro quibus omnibus pluries pecunias accepit a Judaeis, & effectu secuto 400. Ducati ei promissi fuerant. Ut autem hujusmodi molimina sua melius exequi posset, gratiam Episcopi inire curavit, eidem manifestando, quod Judaei deliberarunt veneno inficere Fontem Castri, unde sibi caveret. Notandum, quod tamquam de crimine accusabatur iste Presbyter, quod visus fuerit Levici absque Veste Talari, & pluries etiam in Civitate absque eadem Veste comparuerit. Ad formandum hunc Processum Dominus Episcopus destinavit D. *Gulielmum Rottalerum* Plebanum in Mezio, Capellanum & Secretarium suum: sed

sed hoc postea infirmitate impedito, delegavit *Gregorium Platnerum* Secretarium suum, & Plebanum Maleti. (a) In quodam Constituto dictus Presbyter Paulus noluit prodere Cancellario scribenti ea, quae dicere volebat, sed a Domino Delegato petiit licentiam scribendi, ita tamen ut nullus ibi esset praesens. Unde omnibus exeuntibus, ac duobus tantum Custodibus ibidem relictis, & hos pariter exire jussit, causa, ut dicebat, corporis exonerandi. Et istis igitur exclusis, cum uno scalpro librario, vulgo *Temprarino*, quod ibi erat in Capsula Atramenti Scriptorii, particulam linguae sibi abscidit, eadem postea cum scalpro librario in Latrinam projecta, ut mutus fieret. Deinde intrantibus Custodibus, & aliis, rem confessus (satis enim adhuc loqui poterat) in Latrina reperta est particula linguae cum dicto scalpro librario.

LXXXIX. Anno 1476. pridie Kalendas Julii. Tridenti in Castro Boni Consilii. *Johannes* Episcopus Trid. scribit *Bartholomaeo Pajarino* J. C. Vicentino, eique gratias agit de transmissa Epistola, seu potius pulchra Oratione, per Fratrem *Nicolaum* Ordinis Sancti Francisci de Observantia in ea Quadragesima Concionatorem, & in qua eum admonebat, ut sibi caveret ab Episcopo Vintimiliensi ab Hebraeis corrupto. Eum laudat de nitido, ornato, comptoque stilo, de suo contra Judaeos zelo, cupitque ut illius Epistolae exemplaria per totum mitterentur orbem. Gaudet, quod modo tam in Curia Romana, quam alibi, Vintimiliensis artes in lucem venerint, nec celari ullo modo possint, Deo justam causam protegente.

XC. Anno 1476. die 29. Augusti. Tridenti in Castro Boni Consilii. Idem *Johannes* Episcopus Trid. in tabulas referre facit authenticum Testimonium unius Miraculi B. Simonis: cum enim *Georgius de Lack* prope Subiacum Carniolae votum emisisset Beato Simoni Tridentino, ut ipsum eriperet a manibus cujusdam Aggressoris, qui ut pecunias ei auferret, variis vulneribus sauciatum, & velut mortuum relictum, sub lapidum strue sepeliverat, postea apparuit ei quidam Puer, qui ab eo saxa removit, oculosque lenivit, atque injunxit, ut voto suo satisfaceret, eumque per dimidium miliare comitatus est, ac promisit ei, quod omnem opitulationem deinceps habebit: quod & factum est; nam duo homines ipsum conduxerunt ad Villam Furni in domum *Nicolai de Ceris*, ubi ejus curam habuerunt: postea petiit Scledum, ubi a quodam Chirur-

(a) Fuit Jurisperitus, Secretarius Episcopi, & Plebanus Maleti ad an. 1468, & 1478.

surgo curatus fuit, ac tandem venit Tridentum ad explendum votum suum; quae omnia suo juramento deposuit, & confirmavit.

XCI. Anno 1476. die 2. Septemb. Tridenti in Castro Boni Consilii Johannes Episcopus Tridentinus scribit Fratri *Michaëli de Mediolano* Concionatori Ordinis Minorum longe celeberrimo, a quo petit informari de praedicatione sua, praecipue B. Simonis, eumque certiorem reddit de Miraculo Georgii de Lack supra relato. Ejus orationibus sese commendat, & praesertim P. *Raymundi* Provincialis Vicarii, cui Cyathum, Scyphum, sive Bicherum argenteum dono dedit, in quo fuit receptus Sanguis B. Simonis, ut posset illud cunctis ostendere, signanter Nobilibus Venetis. Vult insuper certior reddi, an verum sit, quod ab Illustrissimo Dominio Veneto, Judaeorum opera, prohibitus fuerit concionari de B. Simone. Quod si verum est, rogat eum, ut ad locum, ubi Pontifex cum Curia sua moratur, accedat, ibique Pontificem, & Cardinales Delegatos in hac Causa informet de his, quae vidit, audivit, & comprobavit, praecipue de miraculis visis, & auditis &c.

XCII. Die 9. Septemb. Venetiis. Idem Fr. *Michaël de Mediolano* Ord. Min. rescribit praefato Domino Episcopo Trid., quod nunquam cessabit a praedicando B. Simonis martyrio; illumque hortatur ad prosequendum eodem zelo in hac Causa contra Hebraeos. Dicit, quod brevi Romam versus ibit; promittitque se omnem operam adhibiturum usque dum Causa ad felicem exitum deducatur.

XCIII. Die 12. Septemb. Tridenti in Castro Boni Consilii. *Johannes* Episcopus Trident. Domino *Federico* Duci Urbinatensi per Oratorem suum Fratrem *Bartholomaeum Bellatum* Feltrensem commendat Causam B. Simonis, ut agat apud Pontificem, & Cardinales pro expeditione dictae Causae, neque Judaeorum figmentis auditum praestent, qui rei adeo perspicuae, ac comprobatae, tenebras nituntur offundere.

XCIV. Die 13. Septemb. Tridenti in eodem Castro. Dictus *Johannes* Episcopus Trid. scribit *Bartholomaeo Pajarino* J. C. Vicentino, quod sibi displicet Praeturam Tridentinam, quam petebat, alteri jam fuisse datam: promittit tamen, quod data occasione ipsum providebit, ut ejus gratissima, & erudita conversatione frui valeat.

XCV. Eodem die, ac loco. Praefatus Episcopus gratulatur Domino *Paulo Mauroceno* Patricio Veneto pro elegantissimo ejus *Tractatu contra Perfidiam Judaeorum*, eum hortatur, ut tamquam de Senioribus Senatus propugnet B. Simonis Causam, illuminando quosdam Senatores, qui Judaeos justificare praetendunt. Ait se laetanter accepisse a D. *Jacobo Sceba* de Cypro, viro notabili, docto, & gravi, Canonico Tridentino, olim Domi-

Domini Cardinalis Nicaeni (*Bessarionis*) Magistro Domus, & intimo servitore, quod sperabat ipsum *Paulum* proxime ad Metropolitanam Ecclesiam Nicosiensem promovendum. Eidem notificat, Beatum Simonem reddidisse visum cuidam mulieri de longe venienti ad visitandum ejus corpus, & hoc miraculum accidisse in multorum praesentia, praecipue vero Fratris *Michaëlis de Mediolano* Ord. Minorum Observ. Concionatoris famosissimi, qui per plures dies in civitate Conciones habuit, & omnes Judaeorum Processus vidit, & cum Judaeabus retentis locutus est.

XCVI. Die 25. Septemb. Venetiis in Conventu S. Francisci a Vite. Frater *Raymundus* Vicarius Provinciae Venetae Ordinis Minorum gratias agit Domino *Johanni* Episcopo Trid. de Epistolis sibi datis, & de benevolentia erga ipsum; eumque certiorem reddit, quod non cessat ubique praedicare, & exaltare B. Simonem Martyrem, & quod multis Patriciis Venetis persuasit rei veritatem, & Cyathum Sanguinis ejusdem Sancti Innocentis ubique ostendit, quodque non cessabit ejusdem Causam ubique defendere.

XCVII. Anno 1476. Kalendis Octob. Vincentiae. *Bartholomaeus Pajarinus* Domino *Johanni* Episcopo Trid. scribit, quod Praeturam Trid. petierit, non quidem ambitione ductus; nam multae aliae, si illas amplecti vellet, ei non deessent, sed tantum occasione tractandi cum ipso Domino Episcopo; quodque jam antea alteri fuisse collatam intellexit. Eumdem certiorem reddit de Opere, quod in suis manibus versatur, & Pontifici dedicare meditatur, de Martyrio B. Simonis, quem verum Martyrem multis rationibus demonstrat; & Apologiam in favorem ipsius Domini Episcopi scribit, a quo petit consensum edendi in lucem hujuscemodi Librum.

XCVIII. Die 3. Octob. Tridenti. *Johannes* Episcopus Trid. scribit *Leonardo Contareno* Archipresbytero Plebis Lizanae, doletque quod posteaquam pervenit Romam adversae sit valetudinis, & ei gratias agit pro rebus Romae gestis contra Hebraeos, & Episcopum Vintimiliensem in favorem B. Simonis.

IC. Die 4. Octob. Venetiis ex S. Francisco de Vinea. Fr. *Michaël de Mediolano* respondet Domino Episcopo Trid., quod Judaei omnem quidem moverint lapidem apud Venetum Dominium, ut ejus praedicationem impedirent, sed nihil effecerunt, quinimo in quolibet Festo concionatur. Displicet insuper sibi, quod juxta desiderium Domini Episcopi Romam ire nequeat propter pestilentiam in variis civitatibus grassantem; cum tamen bono animo esse vult, quia Deus justam causam defendet.

C.

C. Die 7. Octob. Tridenti in Castro Boni Consilii. *Johannes* Episcopus Trident. gratias agit Fratri *Michaëli de Mediolano* Ordinis Minorum pro zelo suo in vindicanda Causa Beati Simonis, ejusque Martyrio praedicando; cui denuo commendat, ut Romae causam eamdem sollicitet: & quamquam Hebraei duos Mulos denariis onustos Romam iterum duxerint ad obcaecandos Curiales, sperat nihilominus in ejus zelo, doctrina, & eloquentia, quod nihil obtinebunt. Promittit quamprimum mittere *Approvinum*, aliosque pro eadem Causa.

CI. Aliis suis literis idem Episcopus grates rependit plurimas laudato Fratri *Michaëli* pro labore ab eo suscepto in Causa B. Simonis, de qua bonum sperat exitum, praecipue si ipse cum aliis suis Fratribus prosequatur Pontificem informare: rogatque ne desistat praedicare Martyrium B. Simonis, & Judaeos confundere, qui pecuniis multos excaecarunt, aliosque excaecare moliuntur.

CII. Die 20. Octob. Paduae. (*Jacobus*) Zeno Episcopus Paduanus (a) commendat Domino *Johanni* Episcopo Trid. *Johannem Petrum* Ordinis Minorum Provincialem Ministrum Provinciae Venetiarum, amicum suum, ut ipsum benigne recipiat in ea causa, pro qua Tridentum venit.

CIII. Die 21. Octob. Paduae. *Franciscus Sampson* Minister Generalis Ordinis Minorum significat Domino Episcopo Trid. adventum Ministri Provincialis Venetae Provinciae Tridentum ad reformandum Conventum, & Monasterium S. Clarae, eumque dicto Domino Episcopo impense commendat.

CIV. Die 31. Octob. Tridenti in Castro Boni Consilii. *Johannes* Episc. Trid. respondet Zeno Episcopo Paduano, libenter suscepisse Ministrum Provincialem Venetum, eidemque operam suam in negotio, pro quo Tridentum venerat, exhibuisse, ei partem quoque Indumentorum B. Simonis donasse. Laudat zelum ejusdem Episcopi Paduani in favorem B. Simonis, cui propterea mittet Processus contra Judaeos confectos, ut facti veritatem agnoscat.

CV. Eodem die, ac loco. Praedictus *Johannes* Episc. Trid. respondet Fratri *Sampsoni* Generali Ministro Ordinis Minorum, quod omnem opem praestabit dicto Patri Ministro Provinciali pro reformatione praedicta, tum propter amorem Religionis, tum propter zelum, quem sui Reli-

(a) Hic Patavinus Praesul ipsissimus est, cui Georgius Summaripa suam dicavit Enarrationem Sententiae latae a Serenissimo Venetorum Imperio in Hebraeos patratores atque participes Martyrii B. Sebastiani Novelli in Portu Buffoletto Tarvisino trucidati,

Religiosi habent in Causa Beati Simonis; cui Ministro etiam aliquas Reliquias donavit. Commendat insuper eidem Ministro Generali, ut & ipse hanc Causam juvare procuret Romae apud Cardinales, praecipue vero apud Archiepiscopum Spalatensem, quondam Ministrum Generalem ejusdem Ordinis Minorum. (a)

CVI. Anno 1476. die 5. Novemb. Feltri. *Angelus* Episcopus Feltrensis monet Dominum Episcopum Trident., ut Romam mittat Nuncios suos ad agendam Causam B. Simonis, quia, ut audivit a Domino Sancti Marci Patriarcha Aquilejensi (*Marco Barbo*) si bonum Advocatum habebit, brevi victoriam consequetur.

CVII. Die 8. Novemb. Tridenti in Castro B. C. *Johannes* Episcopus Triden. respondet Episcopo Feltrensi, quod jam dudum Romam misisset *Approvinum*, & alium pro Causa B. Simonis, sed differre debuit propter varias eorum occupationes: quam primum tamen iter suscipient. Ei gratias agit pro transmissa notitia, & devotione erga Sanctum Martyrem, ad quem invisendum eumdem invitat. Rogat insuper, ut ad eum mittat Catalogum Patriarcharum Aquilejensium a B. Hermachora & Fortunato usque ad haec tempora, praecipue Gesta B. Quirini Episcopi & Martyris, nec non Beati Maximiliani Laureacensis Episcopi & Martyris.

CVIII. Die 14. Novemb. Tridenti. *Johannes* Episcopus Trid. scribit *Angelo* Episcopo Feltrensi, eumque advertit, quod intellexerit, quemdam Presbyterum de Regno Apuliae, Levici Capellanum, induxisse aegrotantem Rectorem ad cedendam Plebem illam in sui favorem. Hinc rogat, ne talem Presbyterum admittat, quia scire non potest quales habet mores &c., commendatque ei, atque praesentat pro illa Parochia (in casu quo aegrotans Parochus decederet) Fratrem Magistri *Bartholomaei de Bellatis* Ordinis Minorum Civem Feltrensem, qui tota hyeme fuit Romae cum aliis Oratoribus pro Causa B. Simonis.

CIX. Anno 1476. die 6. Decemb. Paduae. Fr. *Johannes Petrus* Minister Provincialis Provinciae Venetae Ordinis Minorum gratias reddit Domino Episcopo Trid. pro transmissis Reliquiis B. Simonis, eidemque promittit, quod ubique ipsemet, ac totius suae Provinciae Religiosi Martyrium B. Simonis praedicabunt, & apud Principem Venetum, ac Senatores, si qui increduli forent, causam orabit, atque eos veritatem edocebit: quod etiam agere promisit Minister Generalis apud Summum Pon-

(a) Videlicet Fr. *Joannem de Utino*, postea Episcopum Tarvisinum, atque Archiepiscopum Thebanum, vita functum an. 1483.

Pontificem, & totam suam Religionem &c. Commendat ei Conventum suum Tridenti, & Monasterium Monialium.

CX. Die 16. Decemb. Romae. *Franciscus Masseus* laetatur cum Domino Episcopo Trid., quod iterum mittat Romam *Approvinum*, cum *Melchiore*, & *Johanne* Oratoribus Causae B. Simonis; de qua tamen nihil agetur nisi post Festa Natalitia. Promittit victoriam Causae, pro qua bonos habet Commilitones, praecipue Dominum suum (*Franciscum Gonzagam*) Cardinalem Mantuanum, & Beatum Simonem &c.

CXI. Anno 1477. die 4. Januarii Romae. *Wilhelmus Rottaler* certiorem reddit Dominum Episcopum Trid. de suo ad Urbem Romam appulsu, ubi humanissime fuit exceptus a Dño S. Marci, & a Dño Senensi, qui suam mutavit sententiam in favorem Causae, quam brevi ad felicem exitum perventuram sperat. Expectat Processum ad id omnino necessarium.

CXII. Die 13. Januarii Tridenti in Castro Boni Consilii in Capella S. Andreae, praesentibus *Paulo*, & *Georgio* Fratribus *de Terlaco* &c. baptizatis Bona, & Bella Judaeabus, petierunt sacrum Baptisma etiam Sara uxor Tobiae, & Salomon vir simplex, quos Dominus *Johannes* Episcopus Trid., die 20. ejusdem mensis praesente magno populi concursu baptizavit, vita eisdem donata.

CXIII. Die 21. Jan. Romae. *Wilhelmus Rottaler* notum facit Domino Episcopo Trident. se jam recepisse Processum Tridento transmissum, & quod omnia disponit pro Causa tractanda in futura hebdomada.

CXIV. Die 27. Jan. Tridenti, Bella, nunc Elisabeth, Anna, nunc Susanna, & Sara, nunc Clara, comparuerunt in Ecclesia S. Petri ante Tumbam B. Simonis, & coram populi multitudine delictum suum palam confessae, ab eodem Beato Martyre veniam petierunt, & munera ei obtulerunt.

CXV. Anno 1477. die 5. Febr. Romae. *Wilhelmus Rottaler* refert D. *Johanni* Episcopo Trid., Cardinalem Tyrasonensem ab eo petiisse, quid in hac Causa faciat Imperator, & quid sit de illo (*Anzelino*), qui fuerat ad Urbem ductus per Vintimiliensem? ad quae respondit, quod quamvis Judaei apud Caesarem institerint, nihil tamen effecerunt, quinimo rejecti fuerunt: de captivo autem, quod adhuc detinetur in Castro (S. Angeli), & Dominus quondam (*Johannes*) *de Caesarinis* eumdem de mandato examinavit. Alii etiam Cardinales similes relationes habere volebant, sed omnes in favorem Causae propensos agnovit. (*a*)

CXVI.

(a) Inter Cardinales huic Causae faventes nullus dubito fuisse D. Joannem Michaelium Patricium Venetum, S. Marcelli Presbyterum Cardinalem, S. Angeli nuncupatum, cui Georgius Summaripa Veronensis, Poeta Synchronus, suum Poema Italicum de Martyrio Beati Simonis Tridentini dicavit.

CXVI. Die 9. Febr. Romae. Idem *Rottaler* refert Domino Episcopo Trid., quod Deputatis praesentavit Instrumentum conversionis Judaearum: quod instat pro Congregatione Deputatorum: quod Cardinalis S. Crucis se excusat propter senectutem infirmam, (a) & Cardinalis Papiensis quod non est Jurisperitus, ideoque quod necesse sit aliter providere.

CXVII. Die 10. Febr. Venetiis ex S. Francisco de Vinea. Frater *Michaël de Mediolano* gratulatur Domino Episcopo Trid. ob tot miracula, quibus Deus manifestat gloriam B. Simonis, adscribitque maximo miraculo conversionem Mulierum Judaearum, quas ipse obstinatissimas deprehenderat.

CXVIII. Die 17. Febr. Romae. *Wilh. Rottaler* refert Domino Episcopo Trid., qualiter Praepositus Constantiensis intellexit a Majoribus Curiae, Causam contra Judaeos esse in bono statu, & quod D. *Bartholomaeus de Massa* multum laborat in ejus favorem.

CXIX. Die Cinerum. Romae. *Wilh. Rottaler* insinuat dicto Domino Episcopo Trid., quod modo iterum labores incipiunt, & quod die Veneris proximo praesentabuntur Literae Dominis Cardinalibus. Laudat novum Camerae Auditorem, qui pro Advocato suo in hac Causa se gerit, & nulli parcit labori; (b) cui dignam retributionem dare non potest, eo vel maxime, quia Judaei profusissime tribuunt suis Procuratoribus.

CXX. Die 12. Febr. Romae. Idem *Rottaler* notificat Domino Episcopo Trid., quod praesentavit Domino Sancti Marci Literas, & Instrumenta super conversione Judaearum. Quod similiter exhibuit Literas Domino *Bartholomaeo de Massa*, cum quo plura tam circa factum Decanatus, quam de rebus aliis locutus est, sicque eum informavit super praedicto Decanatu, & *Ecclesia de Randena*. Quod eveniet, postea referet. Dicit, quod fuit ad prandium cum Episcopo Lunensi, sed quod nihil de Decanatu cum illo locutus est. (c) Narrat insuper, quod Judaei per Mercatores Mediolanenses 3000. Ducatos in Urbe deposuerunt ad obcaecandos &c., sed sperat, quod nihil obtinebunt, quia Causa in bono statu perseverat.

(a) Iste Cardinalis appellabatur *Angelus Capranica*, qui creatus fuit an. 1460. obiitque an. 1478.

(b) Hunc minime distinguendum putaverim a Joanne Francisco de Pavinis, cum ejus extet egregia Consultatio edita in favorem Causae nostri Beati Simonis, ipsumque laudet Hinderbachius noster, nec non, Approvinus de Approvinis Tridentinus Civis, & Legum Doctor, Consulatur nostra Dissertatio Apologetica pag. 14. not. c.

(c) Vide supra pag. 288. & 290.

CXXI. Die 24. Febr. Tridenti in Castro B. C. *Johannes* Episcopus Trid. scribit Domino Jacobo (*Piccolomineo*) Cardinali tit. S. Chrysogoni in locum Cardinalis Ravennatensis suffecto, eique enixe commendat Causam B. Simonis, utpote Causam Dei, & Catholicae Fidei, & quam attestantur Miracula, quae continuo ad Tumbam ejusdem B. Simonis patrantur. Judaeae conversae publice manifestarunt, & reatum suum tam ante, quam post Baptisma confessae sunt.

CXXII. Die penult. Febr. Romae. *Wilh. Rottaler* notum facit Domino Episcopo Trid., qualiter Dominos Deputatos visitavit sollicitando pro expeditione, & heri praesentavit Literas Dominis Cardinalibus, & Literas Domini Sancti Marci Summo Pontifici: quibus lectis Sanctissimus Dominus commisit, ut Domini Deputati convenire deberent, & postea referre, ut Causa expediatur. Unde ei affulget spes fore, quamprimum terminaturam, quamquam Judaei insistant pro liberatione Judaearum ex carceribus, ut sic Causa prorogetur; confidit tamen quod nihil consequentur. Haec prorogatio proponitur a fautoribus Judaeorum pecunia corruptis. Exponit etiam, quod nondum locutus est de Canonizatione, quia necdum est tempus hoc negotium tractandi.

CXXIII. Anno 1477. die 6. Martii. Romae. *Wilh. Rottaler* scribit Domino Episcopo Trid., quod Causa prorogatur propter excusationes, quas adducunt quidam Deputati, videlicet quod non possint convenire propter alia negotia, quibus sunt impliciti. Attamen Dominus Reatinus promisit se quamprimum congregaturum septimam Congregationem hac super re. Castellanus Sancti Angeli est multum propensus erga hanc Causam, promisitque se eam sollicitaturum apud Sanctissimum, & animat Dominum Episcopum ad resistendum, etiamsi Mitram oppignerare deberet. Unum tamen timet, quod Vintimiliensis est conterraneus Papae, & Nuntius Apostolicus, cujus honorem aliquo modo Pontifex salvare vult, absque tamen Causae detrimento. Hebraei donare voluerunt Domino Comiti *Hieronymo* Papae Nepoti 5000. Ducatos, quos refutavit, & a conspectu suo rejecit &c.(a) Gratias agit pro transmissis pecuniis, dicitque mirum non esse, tot insumendas esse pecunias, quia sunt quinque personae, & habent quatuor equos. Sperat brevi finem Causae futurum. Intellexit Vintimiliensem esse discessurum, qui vel apud ipsos conterraneos male audit. Locutus est cum Episcopo Lunensi de Decanatu, & nihil ad rem obtinere potuit.

CXXIV.

(a) Idem *Hieronymus* hoc ipso anno 1477. ad Cardinalatum fuit promotus.

CXXIV. Die 10. Martii. Romae. Idem *Rottaler* notificat Domino Episcopo Trid., quod iterum dilata est Congregatio in sequentes dies: quod Vintimiliensis probare intendit, mentem ejusdem Tridentini Episcopi esse acquirendi bona Judaeorum, ad quod tamen respondere est paratus.

CXXV. Die 24. Martii. Romae. *Aprovinus de Aprovinis* certiorem facit Dominum Episcopum Trid. de bono statu suae Causae, & de multis Promotoribus, qui stant pro eadem, quam & ipse Summus Pontifex vult quam primum finitam. Varia refert miracula etiam in illis partibus per merita B. Simonis a Deo patrata. Judaei inquirunt Procuratores, & Protectores, quorum aliqui vel mortui sunt, vel diutinis infirmitatibus cruciantur.

CXXVI. Die Veneris infra Oct. Paschae. Tridenti. *Johannes* Episc. Trid. scribit Fratri *Michaëli de Mediolano* Ord. Min., eumque rogat, quod cum per biennium Causa tractata numquam resolutionem habeat, ipse tamquam Verbi Dei Praeco insignis, Romanam Curiam petat, & eamdem suo zelo, quem etiam Tridenti ostendit, ad ultimam definitionem permoveat, proque accessu, mora & recessu, omnia ei necessaria exhibet. Ut eidem vehementiores stimulos addat, ponit ob oculos Dei gloriam, recenset tot Infanticidia a Judaeis, temporibus diversis facta, persecutiones, quas ab ipsis passus est Beatus *Jacobus de Marchia* sui Ordinis insigne decus, tot miracula B. Simonis, auctoritatem, qua apud Cardinales, & Sedem Apostolicam ipse jure ac merito gaudet.

CXXVII. Anno 1477. die 12. April. Tridenti. Institutus fuit Processus contra Israëlem, nunc Wolfgangum factum Christianum, filium Mohar, qui post tormenta confessus fuit Infanticidium B. Simonis.

CXXVIII. Eodem die. Moyses filius Salomon ad quaestionem positus, delictum confessus est. Simili confessione & Lazarus filius Aaron, necnon Moyses ejus frater, atque Israël filius Jacob, admissum crimen prodiderunt.

CXXIX. Anno 1477. die 16. Maji Venetiis ex S. Francisco Vineae. Fr. *Michaël de Mediolano* respondet Domino Episcopo Trid., quod modo mentem ejus exequi non potest, cum propter infirmam valetudinem ad Balnea se debeat conferre. Postea Tridentum veniet, negotium B. Simonis cum ipso Domino Episcopo pertractaturus.

CXXX. Die 31. Maji Tridenti in Castro Boni Consilii. *Johannes* Episcopus Trid. iterum scribit Fr. *Michaëli de Mediolano*, eumque rogat, ut absolutis Balneis ad eum properet pro Causa B. Simonis.

CXXXI. Anno 1477. die 13. Junii. Paduae, Idem *Frater Michaël* certio-

certiorem reddit Dominum Episcopum Trid., quod fama sanctitatis B. Simonis ubique divulgatur, & colitur, imo a quodam Canonico Patavino e Roma reduce audivit, quod quam primum a Pontifice inter Sanctos adnumerabitur. Promittit adventum suum brevi ad Civitatem Trid. ad habendas ibi Conciones.

CXXXII. Anno 1477. die 7. Julii. in Conventu S. Spiritus Feltri. Idem Fr. *Michaël de Mediolano* insinuat Domino Episcopo Trid. quod post decem circiter dies erit Tridenti.

CXXXIII. Anno 1477. die 15. Novemb. Tridenti. *Jo. Antonius de Guascbetis* Jurisconsultus Trid. Consultationem emitit in favorem Domini *Johannis de Salis* Potestatis Trid. accusati, quod injuste post quaestionem ad poenam mortis damnaverit Bonaventuram Coquum Samuelis, quia reus non est mortis, cum bis tantum acu vulneraverit Infantem *Simonem*. Palam facit atrocitatem delicti, contemptum Christi, & Catholicae Fidei, variisque rationibus & auctoritatibus eumdem Joannem defendit.

CXXXIV. Die 28. Novemb. Tridenti. *Johannes* Episcopus Trid. supplicem libellum mittit ad Summum Pontificem, in quo delineat Episcopum Vintimiliensem, Legatum Apostolicum, ceu virum a Judaeis pecunia corruptum, qui Roboreti moratur, ut liberius cum eisdem, utpote magno in numero ibidem congregatis, foedus sancire, secretioraque pertractare posset, quique semper ad eum nocturno tempore conveniunt: nullum examini subjicit, de quo ambigere possit, quod sit rem sincere fassurus: ex conventione Anzelinum in carcerem conjecit, ut deponeret in favorem Judaeorum, quamquam hoc facere detrectaverit; ad quem nullus nisi Judaeus accedit. Unde protestatur, quod nihili facit Monitoria, Citationes &c. talis Delegati: quinimo rogat eumdem Pontificem, ut tale scandalum amoliri velit, reclamantibus omnibus, & supplicantibus, aliumque Justitiae, Fidei Catholicae, ac veritatis amicum, & zelatorem sufficiat.

CXXXV. Die 22. Novemb. Wolfgangus filius Mohar, post ejuratum Judaismum, sine tormentis deposuit, quod a Salomone Judaeo spe lucri allectus fuerit, ut observaret ea, quae fiebant in Castro, & ea referret monoculo Notario Commissarii Apostolici; ac praecipue, ut notaret omnia, quae in Castro fiebant, & dicebantur contra Dominum Commissarium: quodque monoculus Notarius duxit eum ad Dominum Legatum dicti Commissarii tunc Tridenti existentem, & quidem occulte ne detegeretur, qui praestito eidem Wolfgango juramento, eum interrogavit, an efficere possit, quod ipsi Judaei retenti fuga sibi consulant &c.

CXXXVI.

CXXXVI. Anno 1477. die 13. Decemb. Veronae. *Wilhelmus Rottaler*, *& Approbinus de Approbinis* petunt a Domino Episcopo Trid. Originalia Processuum contra Judaeas, & Presbyterum Paulum, ut ea secum deferant velut necessaria &c.

CXXXVII. Die 30. Decemb. Romae. Iidem certiorem faciunt dictum Dominum Episcopum Trid. de eorum in Urbem adventu in festo SS. Innocentium: quod multos fautores acquisierunt Judaei vi pecuniarum; qui tamen sunt perterriti ad eorum adventum: quod Causa discutienda non esset nisi peractis Festis.

CXXXVIII. Anno 1478. die ult. Jan. Romae. *Approvinus* scribit Domino Episcopo Trid. conclusionem factam in Causa B. Simonis, pro qua Bulla componitur. Laudat Cardinalem Mantuanum (*Franc. Gonzagam*) huic Causae valde faventem. In dicta Bulla approbantur gesta per Officiales Episcopi Trid., diciturque ad tramites Juris omnia fuisse conclusa, atque Processum Vintimiliensis Episcopi penitus fuisse infirmatum; nec non indulgetur, quod Martyr Simon coli licite possit. Petit pecunias pro expensis.

CXXXIX. Anno 1478. Kalendis Febr. Romae. Idem *Approvinus* notificat Domino Episcopo Trid., quod Bulla expedictur tantummodo post Carnisprivium. Domini Cardinales Delegati volunt omnia bene perpendere ex mandato Papae, ne Judaei, & eorum fautores dicant, quod haec per Cameram transierunt. Dolet maxime de infirmitate Cardinalis Sancti Vitalis ex praecipuis Causae Protectoribus, quem precatur meritis B. Simonis liberari, & incolumem fieri.

CXL. Eodem die. Tridenti in Castro Boni Consilii. *Johannes* Episcopus Trid. gratulatur Domino Castellano Castri Sancti Angeli (*a*) pro adepta Cardinalatus dignitate, doletque super infirmitate qua detinetur, atque gaudet super voto suscepto ob merita B. Simonis, cujus Causam tanto zelo defendit. Ait, quod Statuam ceream transmissam appendi jussit ad ejus Altare cum 3000. aliis, ultra candelas, ibidem suspensis, quodque mandavit, ut ibi quotidie Missa celebretur usque ad obtentam ejus sanitatem. Describit miracula, quae Deus operatur ad ejusdem Martyris Tumbam, & populi concursum ex omnibus partibus &c. Deum precatur pro ejus salute, ut majori fervore Causam tueatur, praecipue pro Canonizatione. (*b*)

CXLI.

(a) Id est Christophoro de la Ruvere Archiepiscopo Tarantasiensi, ac Papae Nepoti.

(b) Exstant Fr. Silvestri de Balneo Regio Sacrae Theologiae Magistri Ord. Heremit. S. Aug. *Conclusiones cum earum Declarationibus, super Canonizatione B. Symonis Tridentini, quem impia gens Hebraea in contemptum fidei Christianae crudeliter enecavit, ad Reverendissimum Episcopum, & Tridentinae Civitatis Principem Dñm Johannem Hinderbachium*, Paduae die VI. Dec. Anno MCCCCLXXV. perscriptae, atque contentae in MS. Cod. chart., quem, pro sua erga me incomparabili humanitate,

CXLI. Die 6. Feb. Tridenti. Mulieres Hebraeae ad Christianam fidem conversae revocant suos Procuratores Romae, & alibi existentes, & earum Causam tractantes ad instantiam Vintimiliensis Episcopi, declarantes se reas in omnibus fuisse, & juste Hebraeos fuisse punitos propter crudelitatem in corpus B. Simonis exercitam in odium Christi.

CXLII. Die 9. Febr. Tridenti in Castro Boni Consilii. *Johannes* Episc. Trid. gratias agit Domino *Angelo* Episcopo Feltrensi pro singulari suo zelo, & devotione erga B. Simonem, & de Literis ad se missis pro benigna susceptione D. *Bartholomaei de Massa* ad Canonicatum & Praebendam Trident. Excusat se, quod transmittere non potest omnes Processus contra Hebraeos ab ipso requisitos, quia 30. Quinternionibus continentur: procurabit tamen in compendium eos reducere, & compendium illud ei communicare.

CXLIII. Die 20. Febr. Romae. *Approvinus* certiorat Dominum Episcopum Trid. de Bulla jam emissa, quam habet Cardinalis Montis Regalis: quod Pontifici displicuerit Legatum suum ubique fuisse traductum, Satyrasque contra ipsum fuisse compositas, & ejus imagines ludibrio haberi. Eum admonet, ut in suo Districtu prohibeat hujusmodi despectus, quia cadere videntur in ejus principalem, scilicet Papam. Refert, quod Vintimiliensis post Sententiam, reauditionem postulavit, sed auditus, majori sua confusione discessit. Dicit, quod sperabat mittere Bullam decisionis Causae, sed ob Papae infirmitatem Consistorium non fuit habitum, ideoque differendum.

CXLIV. Anno 1478. desinente Febr. vel ineunte Martio. Romae. *Wilhelmus Rottaler* scribens Domino Episcopo Trid. conqueritur de Dominis Deputatis, quod Processuum communicatione annuerint Judaeis, causam in longum adhuc trahere conantibus; ac refert, quod Vintimiliensis Roma abscesserit Beneventum versus, quodve ibi Judaei retro domum, in qua habitat, hortum emerint, ut facilem ac secretum ad ipsum habeant accessum. Addit, Dominum Platinam notabilem de factis ac gestis Vintimiliensis historiam texere. (a)

CXLV. Die 14. Martii. Romae. *Approvinus* scribit Domino Episcopo Trid., quod Consistorium non fuit habitum ob diuturnam Papae infir-

tate, mihi communicavit Cl. Vir Andreas Felix Oefelius Bibliothecae Bavaricae Praefectus. Hujusmodi *Concinsiones* constant pagellis 10. in 4. Earum auctor adversa multa invicto animo causa B. Simonis perpessus, tandem triumphavit.

(a) De Tractatu Platinae super rebus gestis per Vintimiliensem, deque Carminibus, quae idem Platina videre cupiebat, in laudem B. Simonis Tridentini concinnatis, legatur nostra Dissertatio Apologetica pag. 14. not. d.

infirmitatem : nihil tamen dubitat, quia resolutio jam facta mutari non potest; nec cessat opportune importune sollicitare.

CXLVI. Die 15. Martii. Romae. *Wilhelmus Rottaler* notum facit Domino Episcopo Trid. quod tandem habita fuit Congregatio, vocatisque Oratoribus Episcopi Trid. requisitum fuit, an aliquid habeant producendum. Subdit, quod etsi Vintimiliensis instet pro traducendis Romam Mulieribus Judaeorum, & aliis testibus examinandis pro Causae prolongatione; sperat tamen, quod nihil efficiet. Conqueritur, quod Processus Vintimiliensis exemplum numquam habere potuit, cum tamen Judaei habeant Processus contra ipsos confectos.

CXLVII. Die 16. Martii. Romae. *Leonardus Contarenus* Archipresbyter Lizanae gratias agit Domino Episcopo Trid. pro sibi facta exhibitione, ac protestatur, quod libenter omnia fecerit pro gloria B. Simonis. Enarrat indefessos labores Domini *Approvini* in Causa B. Simonis, quae alias periclitata fuisset, propter Judaeorum potentiam, si ab alio tractata fuisset: ac dicit, quod Cardinales omnes zelum ejusdem Episcopi Trid. laudant, & Vintimiliensem condemnant.

CXLVIII. Die 18. Martii. Romae. *Approvinus* scribit Domino Episcopo Trid. quod nihil dubitet eo quod Bulla non sit expedita, quia Dominus S. Marci eum securum reddidit, quod quam primum post Festa ipsi consignabitur, & multum gaudebit de omnibus in ea contentis. Petit Imaginem B. Simonis depictam cum Judaeis, & signis Martyrii: insuper pecunias pro solvendis expensis; & quaerit an Causam introducere velit pro Canonizatione. (a)

CXLIX. Die 24. Martii. Romae. Idem *Approvinus* totus moestitia & timore plenus scribit Domino Episcopo Trid. qualiter elapso die Mercurii Dominus S. Marci eum ad se vocavit, eique narravit, quod tota Civitas Trid. a Principe Austriae capta est, & ipsemet Tridentinus Episcopus in carceribus detinetur, omnia haec referente quodam Hebraeo ab Hebraeis Roveredi informato. Ad quae respondit, quod ista sunt falsa, & a Judaeis jactata, ut Causam infirment: rogat tamen, quod statim scribat, ut obstruere possit os loquentium iniqua. Processus contra Judaeas, & Presbyterum Paulum de Novaria se recepisse testatur.

CL. Anno 1478. die 14. April. Romae. Idem *Approvinus* scribit Domino Episcopo Trid., quod rumor per totam Urbem spargitur de Trid.

(a) De Canonizatione paulo ante jam diximus. Posteaquam noster B. Simon Martyrologio Romano adscriptus est, indultumque ejus Officium ac Missa propria pro Ecclesia Tridentina, habendus potius, in rigore loquendo, pro Beato, quam pro Canonizato a Sede Apostolica.

Tridentino Episcopo carceri mancipato jussu Principis Austriae, & Castro cum Civitate Trid. ab eodem captis, viditque Literas, quas scripsit quidam Salomon Judaeus ea de re, dictitando, quod Deus vindictam sumit de injustitia Judaeis illata. Narrat, quod Nuntius de Patavia retulerit, 80. Judaeos fuisse combustos in Vigilia Sancti Mathiae, eo quod Sacramentum emerint a quodam Christiano, videlicet octo sacras Hostias, quarum unam gladio confoderunt, & exivit Sanguis, alias conculcarunt. Petit pecunias pro solvendis debitis.

CLI. Die 16. April. Romae. Idem *Approvinus* scribit Domino Episcopo Trid., quod quamquam ab ipso non habuerit responsum de facto a Judaeis in vulgus sparso; tamen multam laetitiam ei attulerint Epistolae D. *Johannis Fogler* amici Domini Episcopi, in quibus ajebat, se in die Resurrectionis fuisse cum ipso Episcopo ad Ecclesiam S. Petri: quas Epistolas omnibus amicis ostendit, & consolati sunt. Breve quam primum se missurum spondet.

CLII. Die 20. April. Romae. Idem *Approvinus* certum facit Dominum Episcopum Trid. de accepta ab se Imagine B. Simonis. Laudat *Platinam*, qui multum laboravit in hac Causa, seque obtulit ad omnia in favorem Domini Episcopi Tridentini, quem monet, ut introducat Causam Canonizationis: & quamquam pro tot elapsis expensis exhaustus sit, se tamen obtulit Magister *Silvester* Ordinis S. Augustini (a) ad inveniendum 2000. Ducatos pro hac Causa tractanda.

CLIII. Die 21. April. Romae. Idem *Approvinus* conqueritur cum Domino Episcopo Trid., quod per sex hebdomadas nullam ejus Epistolam acceperit. Ait, Factum Hebraeorum Pataviensium multum conducere pro Causa B. Simonis: Bullam nondum esse expeditam. Relationem petit novorum Miraculorum.

CLIV. Die 30. Maji. Romae. Idem *Approvinus* respondet Domino Episcopo Trid. lamentanti, quod Bulla numquam expeditur. Dicit tarditatem hujusmodi ex eo provenire, quia pro majori robore debet fusius extendi. Fuit quidem expedita Minuta Bullae, sed noluit illam habere, quia in ea non continebatur nullitas Processus Vintimiliensis. Nihil tamen dubitet de plena victoria obtinenda. Congratulatur ei de unanimitate ac concordia cum Principe Austriae, ac de rebus compositis cum Vallibus Annaniae, & Solis. Subdit, quod pestis incipit grassari, & Curia in magno versatur periculo; proindeque sui liberationem exoptat.

CLV.

(a) De hoc Magistro Silvestro, uti quoque de Platina, in superioribus notis satis diximus.

CLV. Anno 1478. Kalendis Junii. Romae. *Leonardus Contarenus* Archipresbyter Lizanae gratulatur Domino Episcopo Trid. quod falsa fuerint omnia ab Hebraeis vulgata de ejus captivitate &c. Vult, quod sit bono animo, nec quicquam timeat de bono Causae exitu; nam modo Judaei confusi nihil aliud moliri possunt.

CLVI. Die 4. Junii. Romae. *Approvinus* certiorem reddit Dominum Episcopum Trid. super equo albi fere coloris pro Domino Sancti Vitalis, qui ei gratias agit: omnem se adhibere testatur diligentiam pro terminanda Causa; nec timendam esse aliam destinationem Commissarii Apostolici, quia jam omnia sunt satis conclusa.

CLVII. Die 5. Junii. Romae. *Marquardus Preisacher* Miles, & Orator Imperialis, monet D. Episcopum Trid. de equo Romam feliciter traducto, eique commendat D. *Johannem de Cervio* Nuntium & Oratorem Civitatis Coloniensis, amicum suum, ut per Tridentum transeuntem benigne suscipiat.

CLVIII. Die 20. Junii. Romae apud S. Petrum. *Sixtus* IV. Pontifex Maximus per Bullam confirmat justitiam factam contra Judaeos a Potestate Tridenti ad normam fuisse veri juris exercitam. Injungit tamen, ut nullus privata auctoritate audeat insurgere contra Judaeos, vel eos mutilare. Mandat insuper, ut circa introductam fidelium devotionem erga Parvulum nihil fiat, quod sit contra Constitutiones, quae in Concilio Generali sub Innocentio III. prodierunt; & quod Episcopus Trid. omnem adhibeat diligentiam, ut Infantes Judaeorum damnatorum filii, baptizentur, & Matrum Dotes eis restituantur.

CLIX. Die 26. Junii. Romae *Leonardus Contarenus* Archipresbyter Lizanae gratulatur Domino Episcopo Trid. pro Bulla expedita, magna cum laude, & gloria ejusdem.

CLX. Anno 1478. Kalendis Julii. Romae. *Approbinus* insinuat Domino Episcopo Trid. discessum suum quam primum e Roma, ac transmittit notam expensarum quarumdam Romae factarum, ut sollicitet restitutionem pecuniarum mutuo acceptarum.

CLXI. Die 7. Julii. Romae ex Palatio Apostolico. Dominus Sancti Vitalis Cardinalis Tarantasiensis (a) certiorem reddit D. Episcopum Trid., eique gratulatur de obtenta victoria, quae non solum meritis ejus Causae, sed etiam indefesso labori D. *Approvini* Oratoris attribuenda est, & pro qua ipsemet Cardinalis non parum adlaboravit.

Mmm 2 CLXII.

(a) Christophorus de la Rovere Taurinas, Archiepiscopus Tarantasiensis, Presbyter Card. Tit. S. Vitalis, creatus an. 1477.

CLXII. Die 14. Julii. Romae. *Pomponius Laetus* itidem congratulatur D. *Johanni* Episc. Trid. pro victoria contra Judaeos obtenta, & miratur, quod Judaei Causam non superaverint ob tot profusas ab iis pecunias. Hoc praecipue attribuit solertissimo *Approvino*, zelo, fortitudine, atque constantia ipsius Domini Episcopi suffulto. Se exhibet ad componenda Carmina pro B. Simone.

CLXIII. Eodem die, ac loco. *Bartholomaeus* Civitatis Castelli Episcopus similem gratulationem scribit Domino Episcopo Trid. pro victoria Causae, ac de tanto viro *Approvino* pro ea Romam misso, cujus indefesso labori, etiam cum vitae suae periculo, adscribenda est, quemque omni commendatione dignum declarat.

CLXIV. Die 15. Julii. Romae. *Paulus de Crottis* (a) Canonicus Cremonensis, & Magister Domus Cardinalis Tarantasiensis, pariter gratulabundus plaudit Domino Episcopo Trid. ob eamdem victoriam; ejusque laudat zelum, quo magnum ubique sibi nomen acquisivit: extollit diligentiam Dñi *Approvini*, & Cardinalis praedicti Domini sui: commendat Ecclesiam suam in Calavino, rogatque, ut Decimam Castri Toblini eidem Ecclesiae restitui mandet.

CLXV. Die 20. Julii. Ex Abbatia Saxi Vivi prope Fulgineum. Cardinalis S. Marci Patriarcha Aquilejensis, & *Bartholomaeus de Massa* Canonicus Trid. specialibus Literis congratulantur Domino Episcopo Trid. de victoria contra Judaeos, & plurimum extollunt indefessum laborem D. *Approvini*, adeo ut fuerit accusatus de nimia importunitate.

CLXVI. Anno 1478. die 11. Octob. Jussu Domini *Johannis* Episcopi Trident. confectum est Registrum omnium oblationum a Fidelium pietate depositarum ante Tumbam B. Simonis, ex quibus deinde, jussu ejusdem Episcopi, Capella cum Altari fuit aedificata.

CLXVII. Anno 1479. die 20. Maji. Tridenti. Literae supplices *Johannis* Episcopi, Capituli, & Cleri Trid. ad *Sixtum* IV. pro Canonizatione B. Simonis miraculis prope innumeris clari, quae a Christifidelibus desideratur.

CLXVIII. Die 27. Maji. Januae. *Baptista de Campo Fregoso* Januae Dux gratulatur Domino Episcopo Trid. de celeberrimo Martyre, ac Taumaturgo Simone, ubique propter continua miracula celebrato, quique etiam Januae Daemoniacum, & Leprosum liberavit. Hinc rogat pro aliqua Reliquia ejusdem Martyris.

CLXIX.

(a) Vide supra pag. 290.

CLXIX. Anno 1479. die 22. Junii. Paduae. *Zenus* Episcopus Paduanus Domino Episcopo Trid. transmittit Attestationes juratas quorumdam Miraculorum suo in Episcopatu factorum a Deo per merita Beati Simonis.

CLXX. Anno 1479. Epistola *Maximiliani* Imperatoris scripta Domino *Johanni* Episcopo Trid. circa custodiam Arcae B. Simonis, & oblationes eidem factas.

CLXXI. Anno 1480. die 10. Julii. Brixiae. *Johannes de Salis* scribit Domino Episcopo Trid., quod pluries cogitaverit super justitia contra Judaeos facta, & revera justissime condemnatos fuisse deprehenderit. Omnes Advocatores Venetos informavit, & in suam traxit sententiam. (a) Aliqua B. Simonis miracula suis in partibus patrata refert.

CLXXII. Anno 1480. die 6. Septemb. Tridenti. *Johannes* Episc. Trid. Encyclicam Epistolam scribit ad omnes Episcopos, in qua exponit, qualiter aliqui, etiam Religiosi, circumeunt civitates quaestus gratia sub nomine B. Simonis, & personas absolvunt a Votis erga dictum Martyrem factis. Quare eos omnes rogat, ut publicari faciant, quod nullus credat hujusmodi relatoribus, & quaestuatoribus, quinimo a suis locis tamquam latrones arceant, sed tantum credant, & in suis locis recipiant Fratrem *Petrum* Tertiarium Sancti Francisci, unum ex Custodibus ad Tumbam Beati Simonis, hujusmodi deceptores inquirentem, & eleemosynas pro dicto Martyre, ac aedificatione ejus Ecclesiae conquirentem.

CLXXIII. Die 21. Septemb. Alio simili Literarum exemplo destinatus fuit ad inquirendum, colligendasque eleemosynas, ut supra, etiam *Paulus de Roncono*.

CLXXIV. Anno 1481. Kalendis Jan. Romae. *Sixtus* Papa IV. per Bullam committit Episcopis Feltrensi, & Catharensi, quatenus Tridentum acce-

(a) Ad id etiam magnopere contulisse puto cum *Hieronymi Campagnolae Patavini ad inclytum Rogatorum Senatum in Hebraeos Orationem*, tum Anonymum Venetum a Tridentinis Consulibus per gravissimas literas exoratum, nec non arctam necessitudinem inter Paulum Maurocenum ex senioribus Veneti Senatus, nostrumque Hinderbachium; nec non Francisci Troni Patricii Veneti, & Ripae Tridentinae Praetoris, impensam erga novum Tridentinum Martyrem devotionem; cujus etiam Troni opera ac studio, typis primum Venetis, dein Tridentinis, prodiit Carmen Joannis Calfurnii Poëtae clarissimi de interitu Beati Simonis Innocentis a Judaeis mactati. Hinc mirum non est, si mox ab hujusmodi mactatu, haud minus apud Venetos, quam apud Tridentinos, Cultus ejusdem Beati Innocentis insigniter fuerit propagatus.

accedant, & Processum forment super Miraculis, & Sanctitate B. Simonis Tridentini. (a)

CLXXV. Die 8. Januarii. Romae. Cardinalis Montis Regalis tituli Sanctae Sabinae insinuat Domino *Johanni* Episcopo Trid. expeditionem Bullae in Causa B. Simonis, dicens, quo tardius, eo gloriosius id evenisse.

CLXXVI. Anno 1481. die 27. Martii. *Angelus* Episcopus Feltrensis respondet Domino Episcopo Trid., quod post Festa Paschalia eum visitabit, & tam in Causa B. Simonis, quam in Consecratione Suffraganei morem geret.

CLXXVII. Die 28. Martii. Vincentiae. *Petrus* Episcopus Catharensis, Locumtenens Cardinalis Episcopi Vincentini, (b) certiorem facit *Johannem* Episcopum Trid. de Literis Apostolicis receptis super formatione Processus pro Canonizatione B. Simonis, & de suo adventu post paucos dies Tridentum, una cum Episcopo Feltrensi in hac Causa secum Delegato.

CLXXVIII. Anno 1481. die 12. Maji. Tridenti. *Angelus* Episcopus Feltrensis certiorem reddit *Sixtum* IV. Summum Pontificem de formato Processu in Causa B. Simonis, in quo tantum principaliora sunt posita, multis aliis relictis, ne Processus nimium protraheretur.

CLXXIX. Anno 1481. desinente Majo. Tridenti. *Johannes* Episcopus Trid. scribit cuidam Nobili Militi Villae Zelandiae Trajectensis Dioecesis, cujus propositum aedificandi Altare ad honorem Dei, Beatae Virginis, & B. Simonis laudat, ac requisitas hujus Reliquias ei transmittit, illum certiorando, quod Processus a duobus Episcopis factus fuit super Miraculis ejusdem Innocentis, & sperat etiam brevi illius Canonizationem. (c)

Sequen-

(a) Episcopus Feltrensis fuit Angelus Fassolus, Catharensis vero Petrus Brutus, qui etiam Suffraganeus Vicentinus erat. Vide Bullam in mea Differt. Apol. pag. 204. not. b.

(b) Videlicet *Petrus Brutus*, cujus Vitam scripsit P. Joannes de Augustinis O. M. O. ac edidit To. 1. Hist. Scriptor. Venet. pag. 495. & seqq. Ejus librum cui tit. *Victoria contra Judaeos* habet haec Tridentina Episcopalis Bibliotheca.

(c) Vide supra pag. 219. col. 1. pag. 353. & 453. Hic autem scias, nostri *Simonis* nomen jussu *Gregorii* XIII. insertum fuisse Martyrologio Rom. 24. Martii his verbis: *Tridenti Passio Sancti Simonis Innocentis pueli a Judaeis in odium Christi saevissime trucidati, qui multis postea miraculis coruscavit*.

Sequentia Notis chronologicis destituuntur.

CLXXX. Coram Episcopo Vintimiliensi afferto Commissario Apostolico, salvis protestationibus factis, nomine Christianorum comparuit *Antonius* Notarius *de Facinis*, & ejus nomine *Jacobus de Cortesiis* publicam protestationem fecit contra Raphaëlem Notarium dicti Commissarii in Causa Hebraeorum, tamquam suspectissimum eorum fautorem, eo nomine, quia magis eis favet, quam Christianis, & quia ab Advocato Christianorum redargutus, verba in eum injuriosa protulit &c.

CLXXXI. Rationes sunt adductae cur Testes a Commissario Apostolico citati ad examen Roboreti comparere non teneantur: quia *Johannes* Notarius *de Fundo* multis negotiis pro suo officio occupatus abesse non potest, & quia tot Hebraei, qui sunt Roboreti, ejus capitales inimici, quaerunt eum interficere, & pluries ei mortem minati sunt: quia Dominus Commissarius ostendit in eum malum animum, dicendo multoties: *Illius Notarii scripta sunt falsa*. Unde timet, ne ipsum carceri tradat. Neque Svvaizer vult comparere, quia cum dictus Commissarius eum velit reum mortis B. Simonis, sic posset illum carceri mancipare: & ita dicit etiam ejus uxor. Ancilla Domini Potestatis est excusata propter senectutem, & quia servire debet Domino suo, neque tenetur aliquid deponere contra Dominum. Per tres hebdomadas, quibus fuit Tridenti dictus Commissarius, potuisset illos examinare, nec tamen id fecit: Tridentum redeat, & omnes se praesentabunt.

CLXXXII. *Antonius de Facinis* coram afferto Commissario Apostolico protulit Capitula, quibus probare intendebat contra Judaeorum Procuratores juste Judaeos fuisse punitos, tum quia in quaestione positi separatim eadem omnes deposuere, nullaque alia tormenta eis data fuerunt, nisi ea, quae etiam in minoribus delictis dari consueverunt: tum quia interrogatus Bonaventura Judaeus, quare Infantem illum occiderit, respondit, quia Pater meus, & Majores mei ita fecerunt: tum quia Judaeorum depositio ante torturam facta, quod videlicet Corpus occisum & projectum in Fossatum ad cellam vinariam Samuelis devenerit, manifeste falsa est, quia aderat obex, vulgo dictus *Rastellum*, ubi corpus sisti fuisset necesse, neque in dictam domum penetrare citra miraculum potuisset. (a)

CLXXXIII.

(a) Alia plura, quibus Judaeorum iniquitas mentita est sibi, ex authenticis Processibus adhuc exstantibus eruuntur.

CLXXXIII. Puncta, quae petere debent *Melchior de Facinis*, & *Bernardus Honzonius* Oratores Episcopi Trid. ab Illustrissimo Dominio Venetiarum, videlicet, quod Potestas Roveredi debeat exhibere copiam Scripturarum factarum contra Anzelinum, & Hospitem Roveredi, & testes examinare de pecuniis, quas iidem a Judaeis acceperunt: quod idem facere debeat Potestas Veronae pro eo tempore, quo dictus Anzelinus aufugit e manibus Commissarii Vintimiliensis, & iterum fuit captus: quod Orator Venetus Romae existens favere debeat in rebus licitis Oratoribus Tridentinis.

CLXXXIV. *Antonius de Facinis* tamquam quilibet de populo Christiano, & *Jacobus de Cortesiis* Procurator Domini *Johannis de Salis* Potestatis Trid. jurant suspectum *Baptistam* Vintimiliensem Episcopum assertum Commissarium Apostolicum, & ad Sedem Apostolicam appellant, & omnino nullos declarant actus factos, & faciendos, adductis rationibus talis appellationis, & praecipue quia dictus Commissarius aperte favet Judaeis.

CLXXXV. Capitula, quae probare intendit Jacob Hebraeus de Ripa Procurator Judaeorum coram Commissario Apostolico, sunt tredecim, inter quae, quod in Crate Fossati est foramen magnum, per quod transire poterat corpus pueri, (a) & quod ideo fuerunt ad mortem damnati Judaei, ut eorum bona ad 20000. Florenos ascendentia Episcopus sibi vindicare posset.

CLXXXVI. Querelae Episcopi Trid. contra Commissarium Apostolicum, qui contra Pontificis mentem fixit suam sedem Roveredi, cum Processus formari debeat in loco, ubi est commissum delictum: quod ad ipsum patet facilis aditus Judaeis, non vero Christianis: quod violenter Anzelinum detinet, & ad deponendum pro Judaeis urget &c.: quod interrogatoria subdole facit, & ea quae sunt de jure omittit &c.

CLXXXVII. Rationes adductae coram Commissario Apostolico a Procuratore *Johannis de Salis* Potestatis Tridenti ad eumdem Commissarium ostendendum suspectum, & praecipue quia testes, qui in favorem Judaeorum non deposuerunt, in carceres conjecit, & testium a dicto Potestate oblatorum nullum examinare voluit: quod Judaei continuo frequen-

(a) Hoc falso ipso falsius patuit oculari inspectione, quemadmodum ex iisdem Processibus constat.

quentant domum ipsius Commissarii, nec Pontificiam commissionem servat, instituendo Processum in loco delicti &c., & consequenter non teneri ejus Monitorio parere.

CLXXXVIII. Episcopus Vintimiliensis scribit suam Apologiam Cardinalibus Delegatis in Causa Hebraeorum, respondens criminationibus sibi factis, & praecipue quod Tridento abscesserit post viginti dies, quia pessimam habitationem in loco humido, in cubili imbribus exposito &c. habebat: quia nullus tuto se praesentare audebat ad deponendam veritatem ob timorem Episcopi, & Populi: unde tutiorem locum quaesivit.

CLXXXIX. Consultatio *Johannis de Liliis* Jurisconsulti, quod videlicet Potestas Tridenti judicare potuit de crimine Judaeorum tamquam suorum subditorum: quod Indultum *Gregorii* IX. (a) non potest suffragari in hac Causa, neque Processum contra eos impedire: quod ex suo officio potuit generaliter contra quoscumque pro informatione inquirere, & legitimis indiciis intervenientibus, eos torquere, & punire; quod juste torquere potuit Samuelem, & domesticos ejus, atque alios ab ipsis nominatos: quod Judaeorum confessiones dici non possunt vi tormentorum factae, neque per suggestionem.

CXC. Informatio Facti in Causa B. Simonis in odium Christi a Judaeis occisi, & de Episcopo Vintimiliensi Commissario Apostolico Judaeorum fautore, & Responsio ad ejus Apologiam, ostendendo falsitatem eorum, quae dicit, & praesertim de habitatione; nam ei fuit assignata habitatio Domini Episcopi Trid.


CXCI. *Johannis* Episcopi Trid. manifestatio facti Judaeorum ad omnes Principes Christianos, ubi rei seriem, & infanticidium B. Simonis exponit, diligentem ejus perquisitionem, Judaeorum incarcerationem, eorum uniformem confessionem, & justitiam in eos factam &c. Commissarii Apostolici corruptam inquisitionem &c.

Monum. Eccl. Trid. Vol. 4. Nnn CXCII.

(a) Consulenda est praefata Dissertatio Apologetica pag. 35. & pag. 293. ac seq. Pariter, minime obstante ejusdem Gregorii IX. Indulto, similibusque aliis Consules Ratisbonenses anno 1476. processerunt contra Judaeos, sex Christianorum Infantium interfectores, quorum ossa in eorum cellari admodum tenebroso, de sub terra deposita, reperta sunt; uti testatur Christophorus Ostrofrancus Tuberinus, Monasterii Sancti Emerammi ejusdem Urbis Monachus in suo Opusculo *de Ratisbona Metropoli Boioariae, & subita ibidem Judaeorum proscriptione*. Edit. August. 1519. Legere quoque est apud Chronicon Andreae Presbyteri Ratisbonensis una cum Paralipomenis Leonardi Bouholz Edit. Ambergen. MDCII. *Anno 1476. ex confessatis Judaeorum in Tridento comperti noxii fuerunt etiam Ratisponenses* (Judaei) *quorum eo anno decem & octo carceribus mancipati &c.*

CXCXII. Allegationes factae contra primam citationem Episcopi V timiliensis sub die 14. Octob. 1475. in Causa B. Simonis: quod c tio illa non tenet, quia ex Papali Bulla una cum Episcopo Trid. de tatus ipse fuit ad inquirendum &c. Cum ergo solus sit sine Colleg nullus ad comparendum tenetur, ut leges docent.

CXCIII. Repetitio contra Responsiones a Vintimiliensi datas con Allegationes in eum productas, ubi variis, gravissimis, invictisque tionum momentis commonstratur, nullo modo ad ejus citationes ter quemquam ad comparendum, tum quia sine Episcopo Tridentino C lega a Pontifice destinato citavit, tum quia Judaeorum Protector, consequenter Judex suspectus est &c.



DOC



DOCUMENTORUM
DECAS.

Investiturae ab Episcopis Tridentinis anno 1307. ac seqq. datae Dominis Castri de Petra Aquilaria, vulgo de Predagolara.

I. 1307.



N Christi nomine. Amen. MCCCVII. Indictione quinta, die Lunae tertia Aprilis Tridenti in Episcopali Palatio. Praesentibus Dominis Gislimberto de Brentonico, Pace de Mantua, & Jacobo Canonicis Trident., Andrea Quirino Vicecomite Trident., Aichebono Domini Omneboni Jurisperiti, Giulielmo quondam Domini Mathaei de Castro Novo, & Guifrido de Asula Brixiensis Dioecesis Sacerdote, Testibus, & aliis rogatis, & vocatis. Venerabilis Pater D. *Bartholomaeus* Dei gratia Episcopus Triden. &c. investivit Angelinum, & Giulielmum filios quondam Domini Petri de Petra Aquilaria Plebatus Terlaci Triden. Dioeces. flexis &c. Liberis &c. Quae &c. ex altera &c. Quibus &c. Feuda quae ipsi tenent &c.

II. 1307.

IN Christi nomine. Amen. Die, Loco, et Testibus proxime suprascriptis. Venerabilis Pater &c. investivit Adalperium quondam Domini Odorici de Petra Aquilaria Plebatus Terlaci Tridentinae Dioecesis, flexis &c. liberis &c. quae &c. ex altera &c. Quibus &c.

III. 1307.

IN Christi nomine. Amen. MCCCVII. Indictione quinta; die Mercurii XII. Aprilis Tridenti in Episcopali Palatio. Praesentibus Fratre Jacobino, Antonio Carnali de Mediolano Notario, Martino de Emonia, & Bartholomaeo de Padua Familiaribus Domini infrascripti Episcopi, Testibus, & aliis rogatis. Ven. Pater Dominus Bartholomaeus Dei gratia Episcopus Tridenti pro se investivit Dominum Aldrigetum quondam Domini Petri de Petra Aquilaria Plebatus Trilaci Triden. Dioecesis, flexis &c. liberis &c. de omnibus feudis suis &c. ex altera &c. Quibus &c.

IV. 1307.

IN Christi nomine. Amen. Die, loco & testibus proxime suprascriptis. Ven. Pater &c. investivit Hieremiam quondam Domini Jacobi de Trilacu Trident. Dioecesis, flexis &c., & recipientem pro se principaliter, & vice, & nomine & tamquam conjuncta persona Riprandi, Francisci, & Blasii fratrum suorum, & pro suis, & ipsorum fratrum suorum liberis &c. de omnibus eorum feudis &c. quae ipsi Fratres sic tenent &c. Quia &c. ex altera &c. Dictus Hieremias pro se principaliter, & nomine, & tanquam conjuncta persona fratrum suorum praedictorum promisit &c.; & corporaliter tactis Scripturis in sua, & eorumdem fratrum suorum animas juravit ad Sancta Dei Evangelia, quod ipse, & ipsi amodo &c. Feuda, quae ipse, & dicti Fratres ejus tenent &c.

V.

V. 1307.

IN Christi Nomine. Amen. Die, loco, & testibus proxime suprascriptis. Ven. Pater &c. investivit Guernerium quondam Domini Petri Guercii de Trilacu Trident. Dioecesis, flexis &c., & recipientem pro se principaliter, ac vice, & nomine & tamquam conjuncta persona Olvradi, & Ambrosii Fratrum suorum, liberis &c. prout in contractu proxime suprascripto &c.

VI. 1391.

IN Christi Nomine. Amen. Anno ejusdem Nativitatis Millesimo Trecentesimo Nonagesimo primo, Indictione Quartadecima, Die Sabathi quartodecimo Mensis Maji, in Castro Boni Consilii, in Sala Magna Superiori, praesentibus Venerabilibus, & sapientibus Viris Dominis Joanne Rauter, Decretorum Doctore, infrascripti Domini Episcopi Prothonotario, Antonio Jurisperito infrascripti Domini Episcopi Vicario in Temporalibus de Tridento, Nobili Viro Domino Henrico de Liechtenstayn infrascripti Domini Episcopi Consiliario; Providis Viris Paulo Notario quondam Ser Joannis quondam Fati de Fatis de Terlaco, & Sicho quondam Guilielmi de Tridento, Testibus, ac aliis vocatis, & rogatis. Ibidem Reverendus in Christo Pater, & Dominus Dominus Georgius Dei gratia Episcopus Tridentinus, Dux, Marchio, atque Comes, Praedecessorum suorum Ecclesiae Tridentinae volens in bonis vestigia imitari & acquisitum, atque relictum sibi per eos thesaurum incomparabilem, Amicos videlicet, & fideles, omni qua potest cura, & sollicitudine conservare, pro se, Successoribusque suis canonice intraturis, & Ecclesia sua Tridentina, nomine recti, antiqui, & honorabilis Feudi cum una Carta, quam in manibus tenebat, legitime investivit Nobiles Viros Adalperium quondam Ser Petri de Predagolara de Terlaco de supra Tridentum, Antonium quondam Ser Salvamontis de dicto loco, Franciscum quondam Ser Aldrigeti de eodem loco, Joannem filium Ser Dominici de eodem loco, ibidem praesentes, & flexis genibus, devote, & humiliter petentes, requirentes, ac recipientes pro se ipsis principaliter, ac vice, & nomine Ser Dominici Patris suprascripti Joannis, & Jacobi dicti Terlagini quondam Mathaei de loco suprascripto, & omnium aliorum suorum consortalium, de Domo sua de Predagolara, eorumque, & cujuslibet eorum liberis legitimis in perpetuum descendetibus ex eidem, & quolibet eorumdem, de omnibus eorum Feudis, Juribus, & Nobi-

Nobilitatibus infrascriptis particulariter declaratis, & specificatis, videlicet, Primo de Decima unius Domus muratae, copertae, & soleratae jacentis in Villa Covali, cui cohaeret apud Bonamicum dictum Merlo de Covalo, apud Viam Communis, apud suprascriptum Antonium quondam Ser Salvamontis. Item de Decima unius Domus cum Curtivo, & Horto simul se tenentibus jacentis in dicta Villa Covali, cui cohaeret apud Parisium quondam Bonaventurae de Covalo Plebis Callavini Dioecesis Tridentinae. Item de Decima unius Domus, seu Mansi siti in pertinentiis Terlaci in loco, qui dicitur *en Casal* cum quibusdam Petiis terrae aratoriae, & grezivae dictae Domui contiguis & propinquis, quibus cohaeret apud Viam Communis, apud Commune de Terlaco, & apud Antonium suprascriptum. Item de Decima, & jure decimandi in Villa, & pertinentiis Covali in loco *al Vajon de Cadenis*, & *in Ariol* cum quibusdam Petiis terrae aratoriae pertinentibus, & spectare solentibus dictae Decimae. Item de Decima, quae percipitur in dictis pertinentiis de Covalo *a Mosna longa*, & *in Aroncho*, quae quidem pars Decimae, seu Decimarum suprascriptarum spectat & pertinet ad dictum Ser Adalpretum. Item de Decima unius Domus muratae, copertae, & soleratae, jacentis in dicta Villa Covali, cui cohaerat apud Ser Adalpretum suprascriptum atque viam publicam desubtus, & apud viam consortalem, quae domus olim fuit in duabus Casis. Item de Decima unius Domus muratae, copertae, & solleratae, jacentis in dicta Villa Covali, cui cohaeret apud quondam Vivorium Hendrici de Covalo ab una parte de subtus, apud Parisium de supra, & apud viam communis. Item de Decima unius Petiae terrae aratoriae, jacentis in dictis pertinentiis Covali, in loco, qui dicitur *alla Palù*, cui cohaeret apud Laurentium dictum Budellam quondam Vivorii de Covalo, & apud viam communis de supra. Item de Decima unius petiae terrae hortalivae, jacentis in Villa Covali, cui cohaeret apud Bonaventuram dictum Canazanum de Covalo praedicto, apud haeredes quondam Joannis dicti Pilati de Covalo praedicto, & apud viam communis. Item de Decima unius Petiae terrae aratoriae jacentis in dictis pertinentiis Villae Covali praedicti, in loco qui dicitur *Faye*, cui cohaeret apud Laurentium dictum Budellam praedictum, apud Antonium suprascriptum quondam Ser Salvamontis. Item de Decima unius Domus, seu Mansi, jacentis in pertinentiis Terlaci, in loco qui dicitur *en Casal*, cum quibusdam petiis terrae aratoriae, & grezivis jacentibus in dicta Contrata, & in Val Condrana, ad dictam Decimam spectantibus apud Commune de Terlaco, & viam communis, & Ser Adalpretum suprascriptum. Item de duobus Lacubus, sive Lagestellis sitis in Monte Terlaci, quorum unus nominatur *Lacus sanctus*, alter L

cus de lamar, quae quidem pars Decimarum suprascriptarum spectat, & pertinet ad dictum Antonium quondam Ser Salvamontis. Item de Decima unius domus muratae, copertae, & solaratae cum canipa, & curtivo, jacentis in Villa Terlaci in Contrata, quae appellatur *in Plazola* versus Contratam de Castello, cui cohaeret apud viam communis, apud viam consortalem, apud haeredes quondam Ser Pauli de Castello de Terlago, & Jacobum quondam Salvanelli de Terlacho. Item de Decima unius petiae terrae hortalivae dictae domui adjacentis, positae in dicta Contrata, cui cohaeret apud viam communis Joannes quondam Demelguardi de Terlacho, & haeredes quondam Antonii dicti Valmardii de Terlacho. Item de Decima unius petiae terrae hortalivae, jacentis in dicta Villa, & quae olim partim fuit Casalina, in loco qui dicitur *en Valmorell*, cui cohaeret apud viam communis, & Ser Franciscum quondam Zenarii de Terlacho. Item de Decima unius petiae terrae hortalivae jacentis in dicta Villa, in loco ubi dicitur *a Castion*, apud Nascimbenum de Terlaco, & apud viam communis, & Dossum. Item de Decima unius petiae terrae aratoriae jacentis in pertinentiis Terlaci in loco, qui dicitur *en Memol*, cui cohaeret apud Dominicum quondam Adelperii ab una parte, & ab alia parte Franciscus quondam Ser Joannis Fati de Terlaco, & apud Commune. Item de Decima unius petiae terrae grezivae jacentis in dictis pertinentiis in loco, qui dicitur *alla Sant*, apud Haeredes quondam Hendricii Ragacii, & Joannem quondam Demelguardi de Terlacho. Item de Decima unius petiae terrae grezivae jacentis in dictis pertinentiis in loco ubi dicitur *a Dosal* apud Blasium quondam Salvanelli de Terlacho & Commune. Item de Decima unius petiae terrae aratoriæ jacentis in dictis pertinentiis Terlaci in loco, qui dicitur *a Fania*, cui cohaeret apud haeredes quondam Jacobi quondam Pacis de Vomigo de Terlacho ab uno capite, apud Dominam Margaritam quondam Nicolini de Terlago, & Riprandum quondam Antonii de Terlaco, & Magistrum Petrum Barberium quondam Ser Boni Spole de Terlaco, & Joannem quondam Migrelli de Terlaco, & Franciscum quondam Aldrigheti. Item de Decima unius Petiae Terrae aratoriae, & vineatae simul in uno tenere jacentis in Pertinentiis Villae Terlaci in loco, qui dicitur *a Prar*, cui cohaeret apud Guilielmum quondam Ser Preti de Madrucio Civem Tridentinum ab una parte, apud Dominicum quondam Bras Telani de Predagolara de Terlaco ab alia parte, apud viam communem desubtus, apud Antonium quondam Magistri Andreae de Terlago de supra, quae quidem pars pertinet, & spectat ad suprascriptum Franciscum. Item de Decima unius Petiae Terrae aratoriae, & vineatae simul in uno Tenere

re jacentis in Pertinentiis Terlaci, in loco qui dicitur *a Trar*, cui cohaeret apud Franciscum praedictum, apud viam communis, & Terlacum dictum Pisotam quondam Joannis de Terlacho. Item de una Decima, & jure decimationis, & decimandi, quae percipitur, & colligitur in pertinentiis Terlaci, in loco qui dicitur *a Dosso*. Item de Decima unius petiae terrae aratoriae, jacentis in dictis pertinentiis Terlaci, in loco qui dicitur *in Sovia*, quae petiae terrae possidentur per Blasium quondam Viviani de Terlacho, cui cohaeret apud Franciscum praedictum ab una parte, & Commune. Item de Decima unius petiae terrae dimidii plodii, vel circa, jacentis in pertinentiis Terlaci, in loco ubi dicitur *a Loplo*, quae possidetur per Andream quondam Ser Boni de Terlaco, cui cohaeret apud ipsum Andream ab una parte de supra, & Petrum Buttarellum habitatorem Terlaci ab alia parte de suptus, & apud vias communes a capitibus. Item de Decima unius petiae terrae vineatae a duobus Zapatoribus, vel circa jacentis in dictis pertinentiis Terlaci, in loco qui dicitur *a Cire*, cui cohaeret apud ipsum Ser Dominicum quondam Ser Castellani, apud Crisinbennum quondam Odorici de Terlacho, & viam consortalem. Item de Decima unius petiae Terrae aratoriae jacentis in pertinentiis Terlaci, in loco qui dicitur *in Memol*, quae possidetur per haeredes quondam Ser Concii Notarii de Terlacho, cui cohaeret apud Odoricum dictum Gasonum de Terlacho, & apud Franciscum quondam Ser Joannis Fati de Terlico, & apud Commune. Idem de Decima unius petiae terrae aratoriae, & grezivae, jacentis in dictis pertinentiis Terlaci, in loco qui dicitur *alla Strada*, cui cohaeret apud Delaitum quondam Viviani de Terlacho, apud Commune, & vias communis, quae duae petiae terrae possidentur per haeredes quondam Ser Concii Notarii de Terlacho, quae pars Decimarum suprascriptarum spectat, & pertinet ad dictum Ser Dominicum, & suprascriptum Joannem ejus filium. Item de Regula, quae dicitur *Plovania* in Villa Covali Plebis Calavini Dioecesis Tridentinae, cum jure quarti pignorum omnium dictæ Villæ, quae Regula spectat, & pertinet communiter ad praedictos Ser Adalpretum, Antonium, Ser Dominicum, & Franciscum. Item de Castellantia, sive Dosso Castri de Predegolara de Terlacho, situati in Monte Mezzana de pertinentiis Terlaci, cum costa, & pede dicti Dossi usque ad vineas, seu divisa hominum de Terlacho, & usque ad divisa hominum de Covalo, & ad Gardosum, & usque ad vineas hominum de Vigulo Supramontis. Item de venationibus, capulationibus, & piscationibus, & aucupationibus, & de pasculo Salvareze usque ad Fontaneam Zoliam, & de aliis pasculis eisdem pertinentibus, quae quidem

jura

Jura Doffi, five Caftellantiae, venationum, capulationum, & aucupationum, & aliarum Nobilitatum fpectant, & pertinent ad praedictos Ser Adalpretum, Ser Dominicum, & Joannem, ejus Ser Dominici filium, Antonium, Francifcum, & Jacobum dictum Terlaginum, & alios eorum Conforrales de Domo et Progenie fua de Predagolara, & ad quemlibet eorum pro parte ad eum, five ad eos tangente, quae omnia Bona Feudalia fuprafcripta praedicti Ser Adalpretus, Ser Dominicus, Antonius, Francifcus, & Jacobus, eorumque Progenitores, & Majores de Domo praedicta de Predagolara ab antiquo tenuerunt, & poffederunt, ac vifi funt tenere, & poffidere in Feudum, & Jure Feudi antiquiffimi ab Epifcopatu, & Ecclefia Tridentina, quam vero Inveftituram fecit idem Dominus Epifcopus falvo femper omni fuo Jure, fuaeque Ecclefiae Tridentinae, & omnium Perfonarum, eam fic demum valere decernens, fi in eamdem Ecclefiam non reciderint ipfa Feuda, vel fint Decimae, feu Feuda, quae per ipfos jufte nequeant poffideri, verfa quoque vice praedicti Ser Adalpretus, Antonius, Francifcus, & Joannes pro fe, & vice, & nomine praedictorum Ser Dominici, & Jacobi, & omnium fuorum Conforralium de Stirpe, Progenie, & Domo fuis de Predagolara fuprafcripto Domino Epifcopo pro fe, fuifque Succefforibus canonice intraturis, & fua Ecclefia antedicta ftipulanti folemniter promiferunt, & tactis corporaliter Sacris Scripturis ad Sancta Dei Evangelia juraverunt puram, meram, & veram fidelitatem, & omagium eifdem Domino Epifcopo, Succefforibus, & Ecclefiae praeftare, & fervare, & per omnia impertiri, & integraliter facere, omniaque quae Vaffalli Domino fuo de jure facere, fervare, & impertiri tenentur.

Ego Paulus quondam Ser Martini de Tridento Publicus Imperiali Auctoritate Notarius his omnibus interfui, & rogatus ea publice fcripfi &c.

VII. 1399.

IN Chrifti Nomine. Amen. Anno Nativitatis ejufdem millefimo trecentefimo nonagefimo nono, Indictione feptima, die Sabathi vigefimo quinto menfis Octobris, Tridenti in Caftro Boni Confilii, in Cancellaria. Praefentibus Venerabilibus Viris Dominis Joanne Rauter Decretorum Doctore Cancellario infrafcripti Domini Epifcopi, Joanne de Stamefdorfer Capellano ejufdem Domini Epifcopi, & Canonico Tridentino, ac Nobili Viro Ser Gulielmo de Belafio, Teftibus, & aliis ad hoc

hoc vocatis, & rogatis. Ibidem ad praesentiam Reverendi in Christe Patris, & Domini Domini Georgii Dei gratia Episcopi Tridentini, Ducis Marchionis, atque Comitis, accedens Nobilis Vir Ser Blasius quondam Se Aldrigetti dicti Salvanelli de Castello de Terlaco Tridentinae Dioecesis, sponte refutavit, & libere resignavit in manibus, & potestate praelibati Domin Episcopi omne suum Jus Feudale, quod habet, & habere potest, sei posset, seu visus est habere in una particula Lacus de Terlaco, cui particulae Lacus praedicti siti subtus Villam Terlaci, in loco qui dicitur subtus Dossum, cohaerent ab una parte particula Lacus, quae possidetur pe Franceschinum quondam Petri Tamagni de Terlaco, ab alia parte particula quaedam dicti Lacus, quae possidetur per dictum Ser Blasium Resignatorem, ab aliis partibus, sive ripis cohaerent Communia Terlaci, forte alii sunt veriores confines, cum omnibus juribus, & honoranti ad ipsam spectantibus, & pertinentibus, quam partem Lacus idem refutator confessus fuit, ac ibidem legitime docuit, se jure recti, antiqui, honorabilis Feudi a praefato Domino Episcopo, & Praedecessoribus sui & ejus Ecclesia Tridentina recognovisse, & recognoscere, & hanc refutationem fecit praedictus Blasius in praefati Domini Episcopi manibu ut idem Dominus Episcopus Nobilem Virum Joannem filium quonda Ser Dominici dicti Monchoni, olim Ser Castellani de Predagolaria Terlaco Dioecesis Tridentinae ibidem praesentem de praedicta partici Lacus jure recti, & honorabilis Feudi investire dignaretur. Qua refutatione facta, sic praedictus Joannes cum omni qua decuit reveren humiliter, & devote supplicavit praefato Domino Episcopo, quaten idem Dominus Episcopus investire dignaretur eumdem Joannem pro liberisque suis de praedicta particula Lacus dictae resignationis praete tu. Insuper etiam supplicavit eidem, quatenus idem Dominus Episcopi Dux, Marchio, atque Comes antedictus, jure renovationis, & renotae concessionis ad rectum, & honorabile Feudum investire dignare praedictum Joannem tamquam filium, & haeredem universalem quond dicti sui Patris, qui ab uno anno citra vitae suae diem clausit ext mum, de omnibus, & singulis Feudis, & bonis feudalibus infra nc tis, quae dictus ejus Pater, dum viveret, habuit, tenuit, & possec & ad ipsum legitime spectarunt, & pertinuerunt, & quae a praef Domino Episcopo, & Praedecessoribus ejus, & Ecclesia Tridentina pr dicta habuit, & recognovit in Feudum, eamdemque Concessionem, Investituram alias a se factam Genitori suo praefato, auctoritate plen sim a confirmaret. Unde praelibatus Dominus Georgius Episcopus T dentinus, Dux, Marchio, atque Comes, considerans quod preces ju

tiae

tiae, & aequitatis vallo munitae, parere non debent repulsam, ac studens relictum, atque acquisitum sibi thesaurum incomparabilem, amicos videlicet, & fideles, omni qua potest cura, & sollicitudine conservare, & in bonis praecessorum suorum vestigia imitari, pro se, successoribusque suis canonice intraturis, & Ecclesia Tridentina praedicta, nomine recti, antiqui, & honorabilis Feudi, cum una carta, quam in manibus habebat, praedictum Joannem flexis genibus stantem humiliter, & devote petentem infrascriptam Investituram pro se, liberisque suis ex eo in perpetuum descendentibus recipientem, legitime, & actualiter investivit de particula praedicta Lacus suprascripti refutati, cum omnibus, & singulis suis juribus, & honorantiis dictae particulae pertinentibus, nec non idem Dominus Episcopus jure renovatae Concessionis Investituram, & Concessionem de infrascriptis Decimis, & Bonis Feudalibus alias per se factam praedicto quondam Genitori suo, & omnia, & singula in ea contenta, utpote provide, & rite facta, auctoritate plenissima confirmavit, & in renovationis, & confirmationis signum eumdem Joannem, tamquam haeredem quondam dicti sui Patris, pro se, liberisque suis, ut praefertur, legitime, & actualiter investivit de omnibus, & singulis bonis, decimis, & rebus feudalibus infrascriptis. Primo de parte Castellantiae Dossi Predagolariae cum omnibus Juribus, & honorantiis universis, & possessionibus prope ipsam, & ad ipsam Castellantiam spectantibus, & pertinentibus. Item de venationibus, & piscationibus in Villa Terlaci, & in Plebe Supramontis, & Callavini, & in ipsarum Pertinentiis. Item de parte Regulae, & Plovaniae Villae Covali, cum omni jure pignorandi, & pignora mulctandi, & faciendi secundum usum, & antiquam consuetudinem dictae Regulae, & Plovaniae, & cum omni jure ad dictam Regulam, & Plovaniam spectante, & pertinente. Item de Pascuo Cervareze, quae Salvareza appellatur, cum omnibus juribus, & honorantiis ad ipsum ratione dicti pascui spectantibus, & pertinentibus. Item de Decimis, & jure decimationis, & decimandi, ac tollendi, levandi, percipiendi, & exigendi Decimam Bladi, Leguminum, Raparum, Vini, Foetuum, & Nutrimorum, & omnium aliarum rerum secundum usum, & ritum dictae Villae, in infrascriptis locis, & de infrascriptis Bonis, & Possessionibus. Primo de Decima, & jure decimandi, quae colligitur, & percipitur, & colligi, ac percipi consuetum est in campis, & possessionibus situatis, & jacentibus in pertinentiis Terlaci, in loco qui dicitur *ad Dossum*, infra Confines inferius annotatos, videlicet incidiendo a via, quae dicitur *de Sorari*, eundo versus Prata Communia, sive pascua usque in campum, seu possessionem, qui possidetur per Blasium

sium quondam Viviani Garzeti de Pine de Terlacho . . . . . & a via quae dicitur Via communis, a Dosso dirigendo versus Lacum usque in Tramitem, seu Senterium, qui est subtus Dossum, & per quem itur ad possessionem haeredum quondam Antonii Vallandri de Terlacho, salvo tamen Jure Ecclesiae Sancti Andreae de Terlacho in aliqua certa parte infra dictos Terminos, seu Confines. Item de Decima, quae percipitur, & colligitur in una petia Terrae aratoriae, quae possidetur per Jacobum quondam Nicolai Battedelli de Terlacho, quae jacet in dictis Pertinentiis, in loco qui dicitur *in Sottovia*, cui cohaeret via communis a capitibus, haeredes quondam Blonde ab una parte, & Vincentius Tervisanus Caprarius habitator Terlaci ab alia parte. Item de Decima unius petiae Terrae aratoriae, quae possidetur per Ser Andream quondam Ser Boni de Terlacho jacentis in dictis pertinentiis, in loco qui dicitur *a Loplo*, apud viam Communis a capitibus, apud ipsum Ser Andream ab una parte, & apud . . . . . Item de Decima unius petiae Terrae aratoriae, & vineatae, quae possidetur per dictum Joannem, & jacentis in dictis pertinentiis, in loco qui dicitur *a Trar*, apud Franciscum Petocium quondam Aldrigentini de Terlacho, apud Viam Communis, & apud Terlachum quondam Joannis Pissote de Terlacho. Item de una petia Terrae vineatae, quae possidetur per ipsum Joannem, jacentis in dictis pertinentiis, in loco qui dicitur *a Cire*, apud Crisinbenum quondam Odorici ab uno capite, apud Viam Consortalem de subtus, & apud ipsum Joannem de supra. Item de Decima unius Domus muratae, copertae, & solleratae, & aedificatae, jacentis in dicta Villa Terlaci, in loco qui dicitur *ad Plateam*, apud haeredes quondam Francisci a Platea, apud viam Consortalem, & apud viam communis, quam de praesenti . . . . inhabitat. Item de Decima unius Domus sitae in dicta Villa Terlaci in Contrata, quae dicitur *ad Dossum*, apud ipsum Joannem a parte de retro, & a parte de suptus, apud Terlachum Pissotam de Terlacho a parte de supra, & apud Viam Communis de ante, quae Domus possidetur per dictum Joannem, & forte dictis rebus alii sunt veriores confines, & generaliter de omnibus suis aliis rectis, & antiquis Feudis, ac Juribus, & honorantiis, quae dictus quondam ejus Pater habuit, tenuit, & possedit, & in Feudum ab Ecclesia Tridentina recognovit, etiamsi praedicta Feuda in ipsum, aut ejus Ecclesiam fuissent quovis modo legitime devoluta, ad habendum, tenendum, & possidendum, ac uti fruendum cum omnibus, et singulis juribus, et honorantiis dictis rebus, et bonis feudalibus in integrum quoquo modo spectantibus, et pertinentibus. Hanc tamen Investituram et renovatam con-

Conceffionem fecit idem Dominus Epifcopus, falvo femper Jure ipfius Domini Epifcopi, et Ecclefiae fuae Tridentinae, omniumque aliarum Perfonarum. Verfa quoque vice ibidem, et in praefenti dictus Joannes folemniter promifit, et corporaliter ad Sancta Dei Evangelia tactis Scripturis juravit, quod ipfe amodo fidelis erit Vaffallus praefato Domino Epifcopo, et Succefforibus fuis, et Ecclefiae Tridentinae praedictae, et quod fidelitatem perpetuo obfervabit, et adimplebit, et omnia faciet, prout in Sacramento fidelitatis, quod praeftatur Domino a Vaffallo, plenius continetur. Caeterum praefatus Dominus Epifcopus mandavit hoc praefens publicum Inftrumentum per me Notarium infrafcriptum confcribi publice, et fui Sigilli munimine roborari in teftimonium praemifforum.

Ego Paulus Civis Tridentinus filius quondam Ser Joannis quondam Ser Fati de Terlacho, Notarius, fuprafcriptis Refignationi, Supplicationi, Inveftiturae, et Conceffioni, ac Confirmationi, Promiffioni, et Juramento, et omnibus, et fingulis fuprafcriptis una cum praenominatis Teftibus praefens fui, eaque fic fieri vidi, et audivi, et rogatus, ac de mandato praefati Domini Epifcopi ea publice fcripfi etc.

VIII. 1365.

Inveftitura Anno 1365. data Dominis Caftri Sancti Hippolyti in Anaunia fupra Villam Mecli.

IN Chrifti nomine. Amen. Anno Domini 1365. die Jovis 4. Menfis Decembris Tridenti, in Caftro Boni Confilii, in Stuba a Fornello parva fuperiori: prefentibus difcretis Viris D. Ebelle Judice de Caftro Clefii, Hainrico dicto Campanario de Termeno, Petro q. Ser Symeonis de Caftro Thoni, & D. Henrico Capellano infrafcripti Domini Epifcopi, Teftibus, & aliis ad hec rogatis & vocatis. Ibique Reverendus in Chrifto Pater & Dñs Dñs *Albertbus de Ortenburg Dei & Apoftolice Sedis gratia Electus & Confirmatus in Epifcopum Majoris Ecclefie Tridentine*, Dux, Comes atque Marchio, ftudens pro viribus in bonis Predecefforum fuorum veftigia imitari, atque acquifitum & relictum fibi per ipfos thefaurum incomparabilem, Amicos videlicet & Fideles, qua poteft cura & fo-

& sollicitudine conservare: audito & experto quomodo infrascriptorum de *Sancto Yppolito* Antecessores & Progenitores habuerunt, tenuerunt & recognoverunt a Predecessoribus dicti Domini Episcopi, & ab Ecclesia Tridentina, multa Feuda & Bona Feudalia, & maxime infrascripta, easdem Concessiones & Feuda, ipsarumque rerum Possessionem, & omnia & singula ab ipsis Domini Episcopi Predecessoribus circa hec ut putat provide & rite facta, *Leonhardo & Anthonio Fratribus q. Ser Bertoldi de S. Yppolito* petentibus & instantibus pro se ac vice & nomine *Federici* eorum Fratris absentis, presentes renovate Concessionis auctoritate plenissima confirmavit, & in confirmationis & renovationis signum premissos *Leonhardum & Anthonium* pro se ac vice & nomine dicti *Federici* eorum Fratris de dictis suis Feudis antiquis generaliter omnibus, que hactenus tenuerunt per se & Predecessores suos, & visi fuerunt possidere & tenere ab Ecclesia Tridentina, nec non de Feudis quibuslibet noviter acquisitis successione propinquorum, emptione, vel aliquo alio titulo, & specialiter de infrascriptis, cum quadam Carta, quam idem Dominus Episcopus prelibatus tenebat in manibus, stantibus antedictis flexis genibus humiliter petentibus pro se, & dicto nomine, investivit, sublata, purgata & abolita qualibet mora, quam premissi incurrissent in non petenda dicta Investitura tam novorum quam antiquorum Feudorum; salvo semper jure prelibati Domini Electi & Confirmati & Ecclesie sue Tridentine & cujuslibet alterius Persone. Promittens dictus Dominus Episcopus per se suosque successores dictis *Leonhardo & Anthonio* Fratribus per se & vice & nomine dicti *Federici* eorum Fratris absentis & eorum Filiis & omnibus ex eis descendentibus legitimis masculis, stipulantibus & recipientibus prefatam Concessionem renovatam ac Investituram de dictis Feudis infrascriptis tam novis quam veteribus, & omnia & singula suprascripta perpetuo firma, rata & grata habere & tenere, & non contrafacere vel venire per se vel alium aliqua ratione vel causa. Ac ibidem versa vice dicti *Leonhardus & Anthonius* pro se ac vice & nomine *Federici* predicti eorum Fratris dicto Domino Episcopo de fidelitate servanda, pro ut in singulis capitulis fidelitatis continetur, & pro ut debet quilibet Vasallus Domino suo, sollennem promissionem fecerunt & corporale prestiterunt juramentum. Feuda autem de quibus supra fit mentio sunt infrascripta. Primo *medietas Castri superioris de S. Yppolito*. Item *totum Castrum inferius de Sancto Yppolito*. Item medietas Decime de *Villa Mecli*. Item quarta pars Decime de *Villa Mayani*. Item medietas Decime de *Villa Romeni*. Item medietas Decime de *Villa Anbli*. Item medietas Decime de *Villa Molari*. Item quarta pars Decime de *Villa Coradi*.

Item

Item medietas Decime de *Villa Vervoi*. Item quarta pars Decime de *Villa Livi*. Item medietas Decime *Villarum Bresseni* & *Baselge*. Item medietas Decime de *Villa de Caldesio*. Item quarta pars Decime de *Villa Contzage*. Item quarta pars Decime de *Villa Monclassici*. Item quarta pars Decime de *Villa Moncesi*. Item medietas Decime de *Villa Tmarii*. Item quarta pars Decime de *Villa Mestriagi*. Item tota Decima *Villarum Cussiani* & *Volzane*. Item medietas Decime de *Villa Comassini*. Item medietas Decime de *Villa Strabiani*. Item medietas Decime de *Villa Zellatitii*. Item de *Matzalorssa* de *Villa Revoi* cum Filiis & Filiabus & cum peculio toto. Item Heredes q. *Bonamigi* de *Bonodeno* cum toto peculio. Item *Cressentius* de *Cartrono* cum Filiis & Filiabus & cum peculio toto. Item *Bonamatus* de *Cartrono* cum Filiis & Filiabus & toto peculio. Item *Odoricus* de *Cartrono* cum Filiis & Filiabus & cum toto peculio. Item *Petrus* de *Cartrono* cum Filiis & Filiabus & cum toto peculio. In quorum fidem omnium premissorum Sigillum prefati Domini Electi & Confirmati, quo huc usque usus est & ad presens utitur, publice huic Instrumento est appensum.

(L. S.) Ego *Petrus* fil. q. Ser *Alexandri* de *Nano* Imp. auctoritate Not. hiis interfui, & de mandato dicti Domini Electi & Confirmati scripsi, & signo meo consueto predictum Instrumentum roboravi.

IX. 1404.

Solemnis Compositio Anno 1404. peracta inter Episcopum Tridentinum, & Xiconem de Caldonatio.

EGO *Franciscus de Carraria* Padue pro S. R. I. Vicarius Generalis &c. Cupiens amicitiam inter cunctos, pacem, vigereque tranquillitatem, presertim inter hos, quibus amore singulari afficior. Audiens igitur & sentiens egregium Militem mihi fidum ac dilectum amicum *Xiconem de Castronovo de Caldenatio* per Familiares seu Officiales Reverendissimi Patris ac Domini Domini *Georgii Dei gratia Episcopi Tridentini* mihi majoris, intimi & cordialis amici ac singularissimi, post tamen multas querelas subjectorum ipsius Domini Episcopi contra prefatum *D. Xiconem* expositas, captivatum fuisse & detentum; quam captivitatem idem Dominus

nus Episcopus ratam habuit & gratam, adeoquod pluribus diebus & mensibus captivatum tenuit & inclusum, me personaliter ad Terram Rippe transtuli, ubi tunc prefatus Dominus Episcopus residebat, mecumque duxi Nob. Virum *Jacobum de Castronovo* filium prefati *D. Xiconis*, ut captata concordia, ipsius *Domini Xiconis* liberationem procurarem. Factumque est ita, quod manu cuncta cernentis, pacemque in terra jubentis, habito colloquio cum prelibato Reverendiss. Dño Dño Episcopo, de consensu, voluntate & dispositione prefati Domini Episcopi pro se ipso, Ecclesiaque sua ac Successoribus suis ex una parte, & Nob. Viro *Jacobo* predicto pro prefato *D. Xicone* Genitore suo, & pro *Anthonio*, & se ipso *Jacobo* Fratribus & Filiis ipsius *D. Xiconis* ex alia parte gerente, amicus & amicabilis compositor ad talem deveni concordiam infrascriptam, quam universis et singulis presentes meas Litteras patentes inspecturis notam facio per presentes et manifestam: videlicet &c. (*Heic sequuntur* 15. *Articuli Concordiae, quos brevitatis grati omittimus*)

In quorum omnium etiam premissorum evidens testimonium et lucidiorem claritatem has meas patentes litteras fieri jussi et mandavi, et mei plaustralis Sigilli pendentis munimine roborari. Actum et Datum in Terra Rippe in Domo *Pasii q. Federici* de dicta Terra Rippe, presentibus egregiis Viris *D. Henrico de Gallis de Padua*, *Hengulso de Comitibus de Padua*, Civibus Paduanis, *Guillelmo de Belasio*, et *Paulo Notario de Fatis de Terlaco Cive Tridentino*, testibus habitis et aliis. Die Veneris penultimo Mensis Maji, Anno Domini 1404. Indict. 12.

(L. S.) Ego *Anthonius* Filius Ser *Jacobi de Montagnana* Civis Habitator Padue in Quarterio Pontis Altinati Centenario S. Blasii Contrata Falaroti, Imperiali et Apostolica auctoritate Notarius publicus et Judex Ordinarius, ac prefati Magnifici *D. Francisci de Carraria Pad.* &c. Cancellarius, hec omnia suprascripta de prefati Magnifici Dñi mandato scripsi, et in presenti forma reduxi sub meis nomine et no consuetis.

X. 1745

X. 1745.

Indultum Benedicti Papae XIV. super Decanatu, ac decem & octo Canonicatibus, totidemque Praebendis Ecclesiae Cathedralis Tridentinae.

BENEDICTUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. In supremo Apostolatus Solio immensa Dei providentia, etc.

§. 1. Sane pro parte Dilectorum Filiorum modernorum Civium Urbis Tridentinae, ac Consularis ibidem Magistratus Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felic. recor. *Paulus* Papa III. Praedecessor Noster, clarae memoriae *Ferdinando* Romanorum Rege, qui etiam Hungariae, et Bohemiae Rex, atque Archi-Dux Austriae tunc erat, Advocato, et Protectore Ecclesiae Tridentinae, quae inter alias illarum partium Cathedrales Ecclesias Insignis admodum reputabatur, et recolendae memoriae *Bernardo*, dum viveret, tituli Sancti Stephani in Monte Caelio nuncupati de Urbe Presbytero Cardinale, qui dictae Ecclesiae Tridentinae ex concessione Apostolica, etiam tunc praeerat, Praesule respective existentibus, attentis eorum supplicationibus per suas Literas circa Decanatum, et octodecim Canonicatus, totidemque Praebendas dictae Ecclesiae, quaedam perpetuo statuit, quarum Literarum tenor est, qui sequitur:

„ §. 2. PAULUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpe-„ tuam rei memoriam. Cunctis Orbis Ecclesiis etc.

„ §. 3. Dudum siquidem, postquam per felic. record. *Sixtum* Papam IV. „ Praedecessorem Nostrum, accepto, quod in Civitate Tridentina retro-„ actis temporibus seditiones, adversitates, & turbationes plerumque „ exortae fuerant, & quotidie exoriri verisimiliter formidabantur, qua-„ rum occasione clarae memoriae Federico Romanorum Imperatori, ac „ quondam Sigismundo Austriae Duci, totique Domui Austriae, cuius „ Dominia Dioecesi Tridentina terminabantur, ac etiam Episcopis Tri-„ dentinis pro tempore existentibus, & eorum statui damna quamplu-„ rima subsequi possent, cum ex hujusmodi perturbationibus Civitas „ Tridentina, quae veluti Porta ad dictae Domus Austriae Dominia esse „ dignoscebatur, in potestate aliorum, prout plurimum formidabatur, „ de-

„ devenire posset, quod profecto cederet ad totalem desertionem Eccle
„ siae Tridentinae, & Ecclesiasticae Libertatis ejusdem.

„ §. 4. Propterea Imperator, & Dux praefati malis, & scandal
„ hujusmodi, ne illa evenirent, obviare, & tam dictae Ecclesiae, eju
„ que Episcopo pro tempore existenti, quam ipsorum Imperatoris,
„ Ducis statui, quieti, & tranquillitati, quantum in eis foret, prov
„ dere intendebant, potissimum cum ipsa Ecclesia, quae inter alias ill
„ rum partium Cathedrales Ecclesias Insignis admodum reputabatur,
„ Imperatoribus fundata, ab eorumque Praedecessoribus dotata fuisse
„ fructusque, redditus, & proventus Mensae Capitularis dictae Eccl
„ siae pro majori parte in eorum Dominiis colligerentur; ipsique I
„ perator, & Dux ejusdem Ecclesiae Advocati, & Protectores exis
„ sterent, dictus Praedecessor, Imperatoris & Ducis praedictorum su
„ plicationibus in ea parte inclinatus, per suas Literas ex certa scien
„ perpetuo statuerat, & ordinaverat, nec non Dilectis Filiis Capit
„ ejusdem Ecclesiae indulserat, quod ex tunc deinceps perpetuis futu
„ temporibus nullus cujuscumque gradus, status, ordinis, vel condi
„ nis foret, vigore quarumcumque concessionum, seu gratiarum, et
„ ab eodem Praedecessore, vel Apostolica Sede forsan emanatarum,
„ posterum emanandarum, qui non ex Imperatorum Romanorum Do
„ niis in Alemania existentibus, sive etiam ex Dominiis Ducum
„ striae pro tempore oriundus, aut de eorum, nec non Episcopo
„ Tridentinorum pro tempore existentium Familia existeret, in Can
„ cum dictae Ecclesiae recipi, seu admitti posset, neque deberet, nis
„ minus duae Partes Canonicorum Capitularium ejusdem Ecclesia
„ praedictis Dominiis, vel Familia existerent.

„ §. 5. Decernens, quod Dilecti Filii Canonici dictae Eccle
„ & praefatum Capitulum, etiam praetextu quarumcumque Concessio
„ Literarum Apostolicarum, Gratiarum, Expectativarum, specialium
„ servationum, seu Nominandi facultatum, cum quibuscumque
„ Motu proprio, & ex simili scientia, ac derogatoriarum derogat
„ clausulis, & verborum formis, etiam de Statuto, Ordinatione, &
„ dulto hujusmodi specificam, & expressam mentionem facientium
„ lum contra Statutum, Ordinationem, & Indultum hujusmodi re
„ re, seu etiam quomodolibet admittere tenerentur, quodque proc
„ sententiae, censurae, et poenae contra ipsos Canonicos, et C
„ tulum praemissorum occasione, et ad quorumcumque instantiam
„ modolibet ferendae, eosdem Canonicos, et Capitulum arctare
„ me possent, neque deberent. Irritum quoque, et inane quidqu

„

„ eus super iis a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter
„ contingeret attentari.

„ §. 6. Piae memoriae Clementi Papae VII., etiam Praedecessori
„ Nostro pro parte Charissimi in Christo Filii Nostri, tunc sui, Ferdi-
„ nandi Romanorum Regis Illustris exposito, quod causae, propter
„ quas dictae Literae emanarant, adhuc tunc existebant, et propterea
„ idem Ferdinandus, ac Dilectus Filius Noster Bernardus Tituli Sancti
„ Stephani in Caelio Monte Presbyter Cardinalis, qui dictae Ecclesiae
„ Tridentinae ex concessione Apostolica etiam tunc praeerat, cupiebant
„ praefatas Literas pro earum firmiori subsistentia, ac Dominiorum ipsius
„ Ferdinandi Regis securitate, et quiete, nec non dictae Ecclesiae tran-
„ quillo statu, et felici successu, suae approbationis munimine ro-
„ borari.

„ §. 7. Praefatus Clemens Praedecessor, tam Ferdinandi Regis,
„ quam Bernardi Cardinalis praedictorum in ea parte supplicationibus
„ inclinatus, Statutum, Ordinationem, et Indultum, ac Decretum, nec
„ non cum omnibus, et singulis in eis contentis clausulis desuper con-
„ fectas Literas Sixti Praedecessoris hujusmodi, etiam per suas Literas
„ approbavit, et innovavit, ac perpetuae firmitatis robur obtinere, et
„ firmiter observari debere decrevit.

„ §. 8. Et nihilominus pro potiori cautela praemissa omnia de no-
„ vo, quodque etiam ex tunc de caetero perpetuis futuris temporibus
„ ex Canonicis Ecclesiae hujusmodi, semper duae tertiae Partes ex utro-
„ que Parente Germano geniti, et Linguam Germanicam sufficienter
„ loquentes esse deberent.

„ §. 9. Reliqui vero Itali, aut aliarum Nationum esse possent,
„ dum tamen ex Subditis, vel Familiaribus Domus Austriae, et pro
„ tempore existentis Episcopi Tridentini existerent.

„ §. 10. At Decanus ejusdem Ecclesiae, Dignitatem inibi post Pon-
„ tificalem majorem obtinens, Germanus ex utroque Parente, et Lin-
„ guam Germanicam sufficienter loquens, ac in Sacerdotio constitutus
„ esse deberet, et idem Decanus continuam residentiam facere tene-
„ retur.

„ §. 11. Et quod nullus cujuscumque dignitatis, status, gradus,
„ ordinis, vel conditionis, foret, etiam vigore quarumcumque conces-
„ sionum, quascumque etiam derogatoriarum derogatorias clausulas in
„ se continentium, in Canonicum dictae Ecclesiae, nisi de Nobili ge-
„ nere ex utroque Parente procreatus, et legitime natus, aut in Theo-
„ logia Magister, vel Licentiatus, seu in utroque, vel altero Jurium

„ Doctor, vel Licentiatus , qui ad minus per quinquennium continuo „ in Universitate Studii Generalis literis operam dedisset , & rigoroso „ praecedenti examine ad Magisterii, seu Doctoratus , aut Licentiaturae „ in Theologia, vel Jurium hujusmodi gradum, promotus fuisset, assu- „ mi, seu recipi, & admitti, seu illius Canonicatus, & Praebendas obti- „ nere, vel assequi, aut jus sibi acquirere quoquo modo posset, aut „ deberet.

„ §. 12. Quodque collationes, provisiones, & quaevis aliae dispo- „ sitiones de Canonicatibus, & Praebendis dictae Ecclesiae aliis Personis, „ quam, ut praemittitur, qualificatis, quomodolibet, etiam per Sedem „ praefatam pro tempore factae, nullius roboris, vel momenti existe- „ rent, & Capitulum praefatae Ecclesiae alium, quam, ut praefertur, „ qualificatum recipere, & admittere minime tenerentur, nec ad id com- „ pelli, aut propterea aliquibus censuris innodari possent.

„ §. 13. Quodque ipsum Capitulum uni Canonico dictae Ecclesiae „ obsequiis Episcopi Tridentini, pro tempore existentis, actu insistenti, „ fructus, redditus, & proventus suae Praebendae in absentia ministra- „ re tenerentur, & nullis aliis, nec plures fructus suarum Praebendarum „ ministrare deberent, seu tenerentur, inter alia perpetuo statuit, prout „ in ejusdem Literis plenius continetur.

„ §. 14. Cum autem, sicut tam Ferdinandus Rex, quam Bernardus „ Cardinalis praefati Nobis nuper exponi fecerunt, dicta Ecclesia, in qua „ praeter Decanatum praedictum, & forsan alias inibi Dignitates, de- „ cem & octo Canonicatus, & totidem Praebendae fore noscuntur, & „ Germanos, & Italos Subditos habeat, & conveniens censeatur, quod „ etiam ipsius Ecclesiae subjecti, etiam non Germani, alias tamen, ut „ praefertur, qualificati, Decanatum, ac Canonicatus, & Praebendas „ Ecclesiae hujusmodi obtinere possint, pro parte eorumdem Ferdinandi „ Regis, qui etiam Hungariae, & Bohemiae Rex, & Archi-Dux Au- „ striae existit, ac Bernardi Cardinalis, Nobis fuit humiliter supplicatum „ ut pro tranquilliori statu ejusdem Ecclesiae super his opportune pro „ videre de benignitate Apostolica dignaremur.

„ §. 15. Nos igitur, qui dictae Ecclesiae felicem statum, & salu „ brem directionem sinceris exoptamus affectibus, hujusmodi supplic „ tionibus inclinati, Statuta, & Ordinationes, & Indultum, nec nc „ cum Decretis, ac omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, L „ teras Sixti, & Clementis Praedecessorum hujusmodi ad hoc, ut du „ tertiae partes Canonicorum ipsius Ecclesiae, videlicet duodecim „ eis de Nobili genere ex utroque Parente procreati, aut in Theo

„ gia

„ gia Magistri, vel Licentiati, seu in utroque, vel altero Jurium Do-„ ctores, vel etiam Licentiati, qui ad minus per quinquennium inte-„ grum, seu continuum in Universitate Studii privilegiata, seu appro-„ bata studuerint, & in ea ad Magisterii, seu Doctoratus, vel Licen-„ tiaturae gradum per rigorosum examen, ut moris est, non autem „ per solum Privilegium, promoti fuerint, ac Germani ex utroque Pa-„ rente, Linguam Germanicam sufficienter loquentes, Jurisdictioni Men-„ sae Episcopalis Tridentinae, aut Ditioni temporali Archi-Ducis Au-„ striae pro tempore existentis immediate Subditi, seu ex Familiaribus, „ ut praefertur, Nobilibus, seu Graduatis Episcopi Tridentini, vel Ar-„ chi-Ducis Austriae pro tempore existentium, eorum obsequiis actu „ insistentibus, alterius Nationis Germanicae.

„ §. 16. Reliqua vero tertia pars Canonicorum Ecclesiae hujus-„ modi, quae numeri Senarii existit, Itali, seu Nationis Italicae, non „ tamen Exterae, sed ex iis Italis, qui Jurisdictioni temporali Eccle-„ siae Tridentinae immediate subesse dignoscuntur, ac Judicibus, & Of-„ ficialibus in temporalibus ejusdem Ecclesiae, nec non Episcopi Tri-„ dentini pro tempore existentis parent, & obediunt.

„ §. 17. Et tres ex tertia parte hujusmodi Magistri, seu Docto-„ res, vel Licentiati, ut praefertur.

„ §. 18. Reliqui vero tres, licet Nobiles, seu Graduati non fue-„ rint, tamen ex bonis Parentibus geniti, literisque, & bonis moribus „ instructi.

„ §. 19. At Decanus ejusdem Ecclesiae ex Germanis aut Italis, modo „ supradicto qualificatus, omnino esse debet.

„ §. 20. Quodque unus ex Familiaribus ipsius Bernardi Cardinalis, „ & pro tempore existentis Episcopi Tridentini, actu sibi servientibus, „ & per eum nominandus, ut praefertur, Graduatus, etiam cujuscum-„ que alterius Nationis Italicae, qui in numero tertiae partis Canoni-„ corum computari debeat, in Canonicum ipsius Ecclesiae eligi, seu „ illi Canonicatus, & Praebenda ejusdem Ecclesiae conferri possint.

„ §. 21. Quodque Capitulum praefatis Canonicis ejusdem Eccle-„ siae, qui reliquorum illius Canonicorum licentia ad hoc petita, licet „ non obtenta, Theologiae, vel Philosophiae, aut Juris Canonici stu-„ dio in loco, ubi illud vigeat generale, operam dare voluerint, „ quamdiuque ad sex annos, ad plus id fecerint, tertiam partem fru-„ ctuum, reddit
uum, & proventuum Canonicatuum, & Praebendarum „ suarum ministrare debeant, auctoritate Apostolica tenore praesentium „ extendimus, & ampliamus, ac reducimus, & moderamur.

„ §. 22.

„ §. 22. Reliqua vero quaecumque in eisdem Literis contenta, „ auctoritate, & tenore praedictis approbamus, & innovamus, ac de „ novo concedimus.

„ §. 23. Decernentes extensionem, ampliationem, reductionem, „ moderationem, approbationem, innovationem, & novam concessionem „ hujusmodi perpetuae firmitatis robur obtinere, & inviolabiliter obser- „ vari debere, &c.

„ §. 24. Nulli ergo omnino hominum liceat &c.

„ §. 25. Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationi „ Dominicae millesimo quingentesimo trigesimo septimo, decima non „ mensis Februarii, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

§. 26. Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, alternantibu temporibus varia praefati Indulti Pauli Praedecessoris hujusmodi fueri interpretatio, variaeque lites, & turbationes retroactis temporibus exind subortae fuerint, ulterioresque verisimiliter formidari possent, quibus, ut prae veniatur, optimum medium esse videtur, ut in posterum loco s Canonicatuum, & totidem Praebendarum in dictis Literis Pauli Pra decessoris praefati pro Italis destinatorum, sublato hoc nomine Italorur uti etiam Germanorum, utpote, quae ad plures Lites ansam praebu runt, protinus, ac in posterum octo Canonicatus, totidemque Praebend pro Tridentinis immediate subditis destinentur, quorum Sex, ad ten rem dictarum Literarum, illis conferantur, qui pro iis obtinendis eis fuerint digni reputati.

§. 27. Duo Canonicatus autem, totidemque Praebendae, qui r viter eis nunc accrescunt, duobus Civibus Tridentinis immediate Su ditis, vel Nobilibus, vel Doctoribus, & non aliis.

§. 28. Reliqui vero decem Canonicatus, totidemque Praeben Ecclesiae Tridentinae solis Subditis Austriacis immediatis, vel Nobilib vel Graduatis, ad tenorem dictarum Literarum, remaneant, ac c ferantur, & ad praefatae Ecclesiae Tridentinae felicem statum, & sa brem directionem cupiant Cives, & Magistratus praefati per Nos, Sedem Apostolicam eis, ut infra benigne indulgeri.

§. 29. Quare pro parte Civium, & Magistratus praefatorum in cedentibus Charissima in Christo Filia Nostra Maria Theresia Roma rum Imperatrice, Hungariae, & Bohemiae Regina, quae etiam Ar Dux Austriae existit, & ejus nomine, Dilecto Filio Nostro Alexan Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Albano nuncupato, Statuum Dominiorum praefatae Mariae Theresiae Imperatricis, Reginae, ac chi-Ducis Austriae Protectore, nec non Venerabili Fratre Nostro Do

nic

nico Antonio moderno Episcopo Tridentino Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus Litium hujusmodi extinctioni, et extirpationi, ac praefatae Civitatis, et Ecclesiae Tridentinae hujusmodi decori in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

§. 30. Nos igitur, qui, quantum cum Domino possumus, Insignium Ecclesiarum decorem, ac Civium utilitates, et commoda procurari paternis, et sinceris desideramus affectibus, praefatis Civibus, et Magistratui, et eorum cuilibet specialem gratiam facere volentes, ipsosque modernos Cives, et Magistratum, et eorum quemlibet a quibusvis Excommunicationis, Suspensionis, et Interdicti, aliisque Ecclesiasticis Sententiis, Censuris, et Poenis a Jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, eisdem Civibus, et Magistratui, ut ex nunc de caetero perpetuis futuris temporibus ex Canonicis praefatae Ecclesiae Tridentinae, decem sint Subditi immediati Germano-Austriaci, ac de Nobili genere ex utroque Parente Germano legitime procreati, Linguam Germanicam sufficienter loquentes, aut in Theologia Magistri, vel Licentiati, seu in utroque, vel altero Jurium Doctores, vel Licentiati, qui in aliqua Universitate Studii Generalis privilegiata, seu approbata per integrum quinquennium studuerint, & ad Magisterii, seu Doctoratus, aut Licentiaturae Gradum per rigorosum examen, uti moris est, non autem per solum Privilegium, promoti fuerint.

§. 31. Iique pro Subditis Germano-Austriacis ad praemissum effectum censeri debeant, qui immediate Jurisdictioni Archi-Ducis Austriae pro tempore existentis, in Partibus Imperii, subesse dignoscuntur, illiusque Tribunalibus, Judicibus, & Officialibus parent, & obediunt.

§. 32. Iis autem, aut eorum quolibet decendentibus, vel decedente, atque hujusmodi Canonicatibus, & Praebendis, vel Canonicatu, & Praebenda quoquo modo vacantibus, & vacaturis, vel vacante, & vacaturo, etiam in Romana Curia, aut per viam resignationis, cessionis, vel permutationis, aut alias quovis modo, alii semper Germano-Austriaci immediate Subditi, ut praefertur, qualificati, tam Apostolica, quam Ordinaria respective auctoritate providendi, succedere debeant, & respective nominandi, & eligendi, seu aliter admittendi sint.

§. 33. Reliqui vero octo Canonici praefatae Ecclesiae Tridentinae sint Subditi immediati in temporalibus Ecclesiae, & Episcopi Tridentini; id est de iis, qui, eorumque familiae Jurisdictioni temporali Ec-

cle-

clesiae Tridentinae immediate subesse dignoscuntur, ac pro solito eorum Foro actualiter Judicibus, & Officialibus in temporalibus ejusdem Ecclesiae, nec non Episcopi Tridentini pro tempore existentis parent, & obediunt.

§. 34. Quorum tres ex octo hujusmodi Nobiles ex utroque Parente, aut Magistri, seu Doctores, vel Licentiati, ut praefertur.

§. 35. Alii vero tres, licet Nobiles, aut Graduati non fuerint tamen immediate Subditi, & ex bonis Parentibus geniti, literisque, a bonis moribus instructi.

§. 36. Quodque unus ex Familiaribus ipsius Dominici Antonii, a pro tempore existentis Episcopi Tridentini, ad tenorem dictarum Literarum Pauli Praedecessoris praefati, in Canonicum ipsius Ecclesiae, q in numero horum sex Canonicorum computari debeat, eligi, seu i Canonicatus, & Praebenda ipsius Ecclesiae conferri possint.

§. 37. Sed demum alii duo semper esse debeant Subditi simul immediati, & Cives Tridentini, actualiter ipsi, vel eorum Familiae Civit Matriculae inscripti, Civitatis Jure gaudentes, ex utroque Parente Nobiles, vel Graduati, ut supra, & non aliter.

§. 38. Ipsis vero Canonicis praefatae Ecclesiae Tridentinae subditi immediatis, & eorum quolibet decedentibus, atque Canonicatibus, Praebendis hujusmodi quoquomodo vacantibus, & vacaturis, etiam Romana Curia praefata, aut per viam resignationis, cessionis, vel p mutationis, seu alias quovis modo, alii semper subditi immediati T dentini, ut praefertur, qualificati, tam Apostolica, quam Ordinaria respect auctoritate praefata sufficiendi sint, & specialiter bini Canonicatus p Civibus Tridentinis Nobilibus, vel Graduatis, modo destinati, specifice in separata Classe determinandi, perpetuo, & successive ab jusmodi Civibus impleri debeant, etiam si alii Cives Tridentini imi diate subditi, ut praefertur, unum, plures, vel reliquos omnes Canonicatus, & Praebendas immediate subditorum Ecclesiae Tridenti praefatae actualiter obtinerent.

§. 39. Decanus autem ejusdem Ecclesiae Tridentinae, Decana Dignitatem inibi post Pontificalem majorem existentem obtinens, ex ditis immediatis Germano-Austriacis, vel ex subditis immediatis Tri tinis, ut supra qualificatus, omnino esse debeat.

§. 40. Nec non Capitulum hujusmodi praefatis Canonicis ejus Ecclesiae Tridentinae, qui reliquorum illius Canonicorum licenti hoc petita, licet non obtenta, Theologiae, vel Philosophiae, aut J Canonici Studio in loco, ubi illud vigeat Generale, operam dare

fuerint

luerint, quamdiuque ad sex annos ad plus id fecerint, tertiam partem fructuum, redditunm, & proventuum Canonicatuum, & Praebendarum suarum ministrare debeant.

§. 41. Ac in reliquis sine praejudicio Jurium Episcopo Tridentino pro tempore existenti competentium, & ad tenorem Literarum praefatarum, Apostolica auctoritate tenore praesentium, perpetuo concedimus, & indulgemus.

§. 42. Praesentes quoque Literas semper, & perpetuo validas, & efficaces esse, &c.

§. 43. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae Absolutionis, perpetuae Concessionis, Indulti, Decreti, & Derogationis infringere &c.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo quinto, Nono Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Hujusmodi Indultum seorsim prodiit his ipsis Monaunianis typis anno 1746., cujus editionis exemplar nos prae oculis habentes, sicut cetera, ita & §. 25. intactum reliquimus, etsi annus quartus Pontificatus aliquam nobis ingesserit difficultatem.

F I N I S.

ADDENDA VEL EMENDAND[A]

Pag.	col.	lin.	
18.	1.	31. *filius*, *adde*: tametsi ab aliis verius adseratur *sorore nepos*.	
22.	1.	11. Spicilegiis. *adde*: sed vide inferius pag. 264. col.	
24.	2.	21. *beneficia*. *adde*: De concessione hujusmodi Parochi rum recurret sermo pag. 278.	
87.		35. *Noi*.	*Not*.
95.	2.	17. Urbe, *adde*: cognominatus *Alraim*, utpote *truus* alterius *Nicolai Alraim de Bruna* infra memorandi pag. 98. 102. col. 2. Fuit primum	
116.	2.	16. cap. 117. *adde*: Benemeritum de Millestadiensi Mo sterio in Carinthia referunt Lazius, & Megiserus apud Bollandia To. 1. Feb. ad diem 5. in Comment. de B. Domitiano.	
133.	2.	11. Archidux	Archiducem
		16. Archiducem	Archidux
134.	2.	37. mandandum	mandandam
155.	2.	30. *Aug.* paulo sup.	*Aug.* superius
156.	2.	32. *supultus*	*sepultus*
157.	2.	34. Latino. *adde*: sed vide inf. pag. 400.	
158.	1.	8. de Revoho, *adde*: Thomas Pratus Tarvisinus Po	
164.	2.	4. *constanitssime*	*constantissime*
170.		lin. pen. *Minorum*. *adde*: sed quum ab an. 1494. usqu an. 1538. ut infra dicemus, memorato Hospitali praefuerit I *Thomas de Bremonicis*, in an. 1499. errorem irrepsisse putam	
173.	1.	29. F. Pauli	F. Cornelii Pauli
		31. *Flemmarum*	*Flammarum*
191.	1.	35. *Matrimonio*. *adde*: praeter Tractatus illos quo 2. pag. 74. indicavimus.	
195.	1.	ult. tumulatus. *adde*: novissime accepi integrum, accuratum indicati Epitaphii exemplum, in quo praeter alia T rexisse dicitur Campiliense Hospitale annis 44., vitamque c se die 24. Aprilis 1538.	
195.	2.	21. an. 1549. *adde*: vel 1547. uti praefert aliud plar Epitaphii, quod legere est Calavini in Sacello Madr Ecclesiae Parochialis, ubi *Aliprandi* ossa quiescunt.	
216.	1.	11. *Pratanus* *adde*: alias de la Pree, Clericus	

ra

Pag. *col.* *lin.*

racensis Dioecesis ; publicus Apostolica auctoritate Notarius, & in Archivo Romanae Curiae descriptus,

211. 1. 17. nobilitatis. *adde*: Praefatum annum 1532. fuisse nostro *Ludovico* natalem constat quoque ex Literis Apostolicis, quibus anno 1550. confirmatus exstitit Administrator Episcopatus Tridentini cum futura successione, in iis enim dicitur *in decimo octavo, vel circa suae aetatis anno constitutus*.

211. 2. 30. *vigesimum secundum* *adde*: (hic in memoriam revoces annum natalem *Ludovici*, emortualem *Caroli V.*, electionis *Pii IV.*)

215. 2. 27. *Ritu*. *adde*: in cujus Litaniis minoribus invocantur etiam *S. Vigilius*, *S. Romedius*, & *S. Maxentia*; in majoribus vero adduntur insuper *SS. Hermacoras & Fortunatus*, *SS. Sisinius*, *Martyrius*, *& Alexander*, ac *S. Rochus*. Ex eodem Rituali constat, paulo ante editum fuisse libellum sub laudati Cardinalis nomine ac titulo: *Admonitio ad omnes Parochos, & Curatos, & ad quoscunque Sacerdotes, qui Confessiones audiunt* &c. Idem circa tempus, Cardinalis nostri jussu, typis vulgatus fuit quoque libellus inscriptus: *Dottrina Christiana da insegnarsi da i Curati nelle loro Parochie a' Putti*, in quo habentur Litaniae Sanctorum, commemorantes *S. Simonem* ante ly *Omnes SS. Innocentes*. Item *S. Vigilium*, *SS. Sisinium*, *Martyrium & Alexandrum*, *SS. Hermacoram & Fortunatum*, *S. Gotardum*, *S. Romedium*, *S. Annam*, *S. Dorotheam*, & *S. Maxentiam*.

241. 2. 16. die 20. Maii — die 18. Maii

247. 1. 18. ex Commentariis — ex Commentariis Viri Cl. Francisci Antonii de Albertis, ejusdem Episcopi ex fratre nepotis, Consiliarii Aulici, ab luce sublati an. 1722. die 24. Nov., mihique communicatis ab humanitate Equitis

256. 27. Jo. Franciscus — Authographum Bortianum rectius habet: *Jo. Bernardinus Linciensis Decanus Patruus*, *Jo. Franciscus Salisburgensis Aulae Cancellarius* &c.

261. 2. 14. sequentem. *adde*: Hujusmodi renunciationis literae Salisburgi datae, cum reservatione administrationis quo ad usque successor pacificam obtinuisset possessionem, exhibitae fuerunt Capitulo Tridentino ab Illust. D. Jo. Bapt. Antonio de Albertis de Poja Equite, Consiliario, & Cancellario Aulico Tridenti, die 12. Dec. 1755.

Pag. *lin.*

272. 3. ad an. 1189. — ad an. 1195.

Pag.	lin.	
274.	28. Plebani	Plebanus
279.	31. in Francofurti	Francofurti

283. 32. Henricus &c. *Lege :* Henricus Millaunef de Mefano Artium Liberalium Baccalaureus, Canonicus Trid. anno 140 ad Praebendas admissus. Anno 1412. agebat Officialem Generale ad Athesim, Bulsani potissimum residens, Friderici Ducis Austria ac Tirolis Comitis. Anno 1415. die 10. Maii se se subscrip Archidiaconum quoque Tridentinae Ecclesiae. Anno 1419. co stitutus fuit Praepositus Canonicorum Regularium Neocellensi apud Brixinam, quorum Canonicam Professionem solemniter emi an. 1420. Ab an. 1421. usque ad mortem, quae accidit Oe ponti an. 1427. Non. Dec., Cancellarii munere functus est Du laudati. Jacet tumulo conditus in Neocellensi Collegio. *Ex Puellio.*

283. 38. quoque 1423. *adde :* Forte in an. 1423. irrepsit erro legendumque 1413., namque apud laudatum Puellium reperi Instrumentum an. 1415. die 10. Maii scriptum Brixinae *a Geor Hilprandi Tridentinae & Brixinensis Ecclesiarum Canonico.*

284. ult. circa *deleatur.*

284. post lin. 2. *adde :* Anonymus Archidiaconus 142

288. 12. Perentucello Parentucello

289. 5. Aprilis. *adde :* Ad unum ex memoratis Con pertinet quod habet Gentilotti Catal. Codd. Theol. Bibl. Vind nempe : „ Codex 148. saeculi XV. in cujus principio legit
„ *Iste liber datus Ecclesiae Ardacensi ex parte Domini Chunradi*
„ *derpach Plebani in Ybs & Canonici Ecclesiae S. Stephani Wienae*
„ *olim Decani & Canonici praefatae Ecclesiae Ardacensis.*

290. 2. Perentucello Parentucello

291. 3. Gabriel &c. *adde :* Hic videtur ille Gabriel de G eliis, Andreae nobilis Fanensis filius, qui an. 1504. creatus Episcopus Urbinas, tandemque S. R. E. Cardinalis. Vide U lum in Episcopis Urbin., & V. C. Petrum Mariam Ami part. 2. pag. 92. *delle Memorie Istoriche della Città di Fano.* brieli nostro Canonicatum Tridentinum contulit Innocentius Octavus.

291.	19. Brixinensis 1515.	Brixinensis 1511. & 1515.
293.	15. & 1544.	*adde :* nec non 1550.
	18. & 1548.	& 1514.
293.	post lin. 18.	*adde :* Sigismundus Han de Hanp Dec

Decretorum Licentiatus ; Canonicus Trid. & Brixinensis ab anno 1508. usque ad an. 1593.

293. post lin. 34. *adde:* Joannes Scheurlus, Patricius 293. Wratislaviensis, J. V. D. Canonicus Augustanus, Tridentinus, Legnizensis, & Wratislaviensis, Archidiaconus Glogaviensis, Aulae Episcopalis Wratislaviae Vicarius & Officialis Generalis ad an. 1511.

294. 9. Anno 1517. *adde:* die 28. Junii ab Episcopo Bernardo investitus fuit de Parochiali Ecclesia in Lomaso. Eodem an. 1517. die 4. Sept.

296. 7. an. 1548. *adde:* Reperi ante laudatum *Albertum* geminos alios ex eadem Familia exstitisse Canonicos Tridentinos; videlicet *Simonem*, & alterius Alberti, Antoniaeque filium *Nicolaum*, propatruum Canonici *Alberti*.

296. 12. post Banalensis Plebis renunciationem *deleatur*.

14. & 1528. *adde:* Vivebat quoque an. 1530., quo Plebem Banalensem in Judicaria citeriori renunciavit.

19. an. 1504. an. 1584.

26. an. 1548. *adde:* & 1550.

297. 17. & 1544. *adde:* ac 1550.

298. 19. *Quindenae.* *Decadis.*

299. post lin. 10. *adde:* Simon de Thono 1538. & 1550. postea Decanus.

299. 11. de Mossis de Banissis

25. annus 1543. *adde:* Mensem emortualem *Ottonis* fuisse mensem Aprilis accepimus ab ejus Epitaphio apud Ughellum *loc. cit.* Hinc nescimus quo nixus fundamento Nicolaus Comnenus Papadopoli in *Hist. Gymn. Patav.* To. 2. pag. 75. scripserit, ejusdem Cardinalis obitum accidisse *IV. Nonas Augusti*. Subiicit praefatus Comnenus, Dilingam fuisse postea translatum *Ottonis* cadaver

300. post lin. 11. *adde:* Petrus de Brochis 1548. obiit circ an. 1558. quo successorem habuit.

300. post lin. 23. *adde:* Joannes Ludovicus Baro de Madrutio 1550. Hoc anno licet tantummodo *in decimo octavo, vel circa aetatis anno, & ex Dispensatione Apostolica in Diaconatus Ordine constitutus*, possessionem iniit Administrationis Episcopatus ac Principatus Tridentini, obtinuitque indultum suscipiendi Episcopalem consecrationem anno aetatis suae 27. inchoato, cum facultate tunc adsumendi titulum Episcopi Tridentini.

301. post lin. 12. *adde:* Bartholomaeus Botsch, seu Wotsch 1549.

301.

Pag. lin.

301. 15. ab an. 1555. *adde*: imo ab an. 1549.
20. obtinuerat. *adde*: Reperi eumdem *Jacobum* inter Canonicos Tridentinos ad an. 1549. & 1560.

311. 21. *emeruit* *adde*: Prae manibus habeo libellum ab eodem Antistite *Antonio Crosino* lucubratum, atque curante *Georgio Stier in Neüdheimb* Sacerdote impressum primo Brixinae an. 1679. typis Pauli Nicolai Fuhrer in 16. pagg. 77. sub tit. *Euthynon*, *seu Synoptica Instructio omnibus animarum curam habentibus in praxi utilissima*. Inscriptus est *Paulino* Episcopo ac Principi Brixinensi.

313. 26. Scholasticus Brixinensis. *adde*: anno 1678. die 19. Dec agebat Brixinensis Episcopi *Paulini* Vicarium Generalem. Resignavit Canonicatum Tridentinum an. 1681. Vide infra pag. 331.

314. 16. translatum. *adde*: Ad meam notitiam pervenit eumdem *Jos. Victorium* fuisse quoque Canonicum Uratislaviensem, a Priorem S. Leonardi.

315. 2. pervenit. *adde*: Obiit die Veneris 14. Nov. 169[illegible] *Jacobus Antonius* quoque appellabatur.
30. etiam enim

316. post lin. 31. *adde*: Franciscus Sigismundus de Albertis fit Can. Trid. ac Prior SS. Thomae, atque Leonardi an. 169[illegible]

319. post lin. 6. *adde*: Jo. Bernardinus Gentilottus, Pl[illegible]banus, Decanusque Lincienfis in Dioecesi Pataviensi ad an. 1681 teste P. Sebast. Inspruggero part. 2. *Austriae Mappis Geographic[e] distinctae* pag. 85., fit Canonicus Trid. an. 1712., quem Can[o]nicatum an. 1722. resignavit in favorem sui ex fratre nepotis *J[o.] Benedicti*, de quo supra pag. 251. Vide pag. 332. & seq.

320. 6. ad an. 1729. *adde*: imo ad an. 1727.

321. 14. *Quindenae*. *Decadis*.

335. 28. ignoro. *adde*: Reperi *Stanislaum* eumdem app[el]latum *Praepositum Tridentinum*, *Canonicum Cracoviensem*, *in Arti[um] Liberalibus Magistrum*, *ac virum clarissimum*, in Cod. 251. Theo[l.] saeculi XV. Bibl. Caes. Vindob. apud MS. Catal. Cl. Gentilot[ti]

337. 15. Eodem an. 1679. Eodem an. 1579.

343. 16. Salurni. *adde*: Indulgentias concessit F. Joann[es] nedum visitantibus Altare, sed & Ecclesiam, eisque munus p[or]rigentibus, praesertim in Anniversario Dedicationis dictae Ecc[le]siae, scilicet Dominica secunda post Festum Resurrectionis Do[mi]ni, in Anniversario Dedicationis praefati Altaris, nempe in Fe[sto] S. Christophori: item in festivitatibus SS. Simonis & Juda[e]

Ol-

Olderici, Undecim milium Virginum (quorum Reliquiae, una cum aliis S. Christophori, & Sepulcri Dñi sunt in ipso Altari) in festis Nativitatis Dñi, Epiphaniae, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, omnium Apostolorum, in omnibus festis B. M. V., & per Octavas omnium dictorum Sanctorum, Feria 6. in Parasceve, ac per totam Quadragesimam. Porro earumdem Indulgentiarum numerus hic est: auctoritete Dñi Papae unus annus criminalium, & unus venialium: auctoritate ejusdem Episcopi *Joannis*, nec non Episcoporum *Tridentini*, *Castellani*, *Exulani*, *Paduani*, *Tervisini*, *Concordiensis*, & *Cenetensis*, pro quolibet 40. dies.

343. 29. ampliatam. *adde*: Idem *Frater Augustinus* ceu Suffraganeus *Alberti* Episcopi Tridentini, anno, uti notatum reperi, 1368. Indulgentiis auxit Ecclesiam S. Stephani Protomartyris in pago Carisoli Plebis Randenae.

344. 20. die 23. Maii — die Veneris 22. Maii

345. 3. Romedii — Remedii, *ut habet Originale.*

22. desiderantur. *adde*: Porro ex eo, quod *Vitalis* in nostris tabulis titulum *Fratris* non praeferat, ac sileatur professio *Ordinis Minorum*, haud inferendum illico non fuisse Regularem, quum Suffraganeus quoque XII. in Charta an. 1447. appellatus fuerit tantummodo *Dominus Johannes Thinarum & Michonarum Episcopus*, & nihilominus, teste etiam Episcopo Hinderbachio, certum sit fuisse Minoritam. Idem dixerim de Suffraganeis XVI. XX. & XXIII. Causam ob quam plures religiosi viri extra claustra conversantes professionem suam celaverint, subministrat P. Jacobus Echardus To. 2. *Scriptor. Ord. Praed.* pag. 37. ac 223.

346. 3. anni. *adde*: Anno 1454. die 27. Aug. reconciliavit memoratam Ecclesiam Carisolensem S. Stephani, cum Altaribus, & Coemeterio, vereque poenitentibus & confessis ipsam visitantibus &c. relaxavit 40. dies Indulgentiae; quos pariter concessit comitantibus Dominicum Corpus cum luminibus, vel incenso, dum ad aegrotos, vel in publicis supplicationibus defertur.

346. 25. Anaunia. *adde*: Anno 1466. Episcopali Sede vacante, idem *Fr. Albertinus* dedicasse dicitur praefatam S. Stephani Ecclesiam cum Altaribus.

348. 23. Pinetanae. *adde*: Anno 1503. die 6. Aug. in praedicta Carisolensi Ecclesia S. Stephani consecravit Altare S. Michaëlis, in eo recondens reliquias etiam S. Romedii.

354. post lin. 16. *adde*: XXIV. SEBASTIANUS Cataneus, Ord. Praed. S. T. M., Provincialis Hungariae,

Wol-

Pag. lin.

Wolfgangi Theodorici Salisburgensis Archiepiscopi Theologus, a Vicarius Generalis, tumque ab anno 1589. desinente, vel 159c ineunte Chiemensis Episcopus, adseritur *Tridentini Episcopatu Suffraganeus* ab eruditissimo Joanne Sianda O. Cist. in *Bibliothec Polemica* verbo *Sebastianus*. Hinc factum est, quod idem Sebastia nus die 11. Febr. 1596. in Episcopum consecraverit Tridenti C *rolum Madrutium*, quodque (referente Anonymo Tridentino Vita ejusdem Caroli) dedicaverit anno 1601. die 11. Nov. E clesiam S. Crucis PP. Capuccinorum extra muros Tridenti. Acced ejusdem *Sebastiani Catanei Episcopi Ecclesiae Chiemensis Summulam* C *suum Conscientiae* editam fuisse Tridenti nedum anno 1592., qu adhuc vivebat Suffraganeus *Alexandreus* eiusdem O. P., sed etia an. 1600., ac tertium an. 1603., haneque tertiam editionem ab ip auctore sub datum Tridenti Calendis Maii 1603. dicatam fuisse pr fato Carolo Madrutio *amico suo*. Praeter hoc, alia quoque laud *Sebastiani* Opera recensentur ab Echardo To. 2. *Script. O. P.* p 369. & seq., ubi adjungitur, quod ineunte Saeculo XVII. (dicunt anno 1602.) aetate, ac laboribus fractus, ad Ecclesiam glebanensem a Clemente VIII. translatus, Marsilio Landriano d fuerit Coadjutor cum futura successione, quodque nihilominus ei Marsilio in Sede non successerit, utpote praemortuus 28. Apr. 16 aetatis suae an. 64. ac sepultus cum Epitaphio apud suos S. Eusto

355. 31. Instituti *adde*: Episcopo Sappatensi:

387. not. b. lin. 5. *elava Jesu* *laeva Jesu*

398. not. a. lin. 1. Beatus Beatus enim

402. 20. Neapolitani *adde*: dicitur *patria Neapolitanus* a Oudino To. 3. *de Scriptor. Ecc.* col. 2310. edit. Lips. 1722. Aub. Miraeus, & Sixtus Senensis, ab eodem Oudino alleg atque Trithemius, ipsum appellant *Genuensem*. Forte Neapolita dixit, quia suum Opus direxit ad Fratres sui Ordinis in Cc bio Neapolitano studentes.

412. 30. observentia? *adde*: Maxime quum supra memorat 1461. die 24. Aug. *F. Albertinus* Georgii nostri Suffragan Apostolicae Sedi addictus, atque ab ipsa plerisque favoribus c latus, in Dedicatione Capellae Castri Campi in Judicariis, nomine laudati Episcopi *Georgii* Indulgentias contulerit, Instr toque hujusinodi Dedicationis & Concessionis praeter annum vitatis Dominicae, annum quoque Pontificatus *Pii secundi* adj

417. 36. aquae quae

IND

INDEX.

A

B

Bar-

S. Clau-

F

B. Fri-

G

In-

K

L

M

S. Mar-

Mi-

N

Ober-

O

P

Q

R

Re-

S

Spe-

Vi-

Z

A P-

APPENDICULA.

Pag. 23. *col.* 1. *lin.* 25. relatis. *Adde*: Memoratur praeterea tacito nomine ab Ughello in Episcopis Senensibus n. 42. de *de Gualfredo* Episcopo Senensi post an. 1084. usque ad an. 1127. dicente: „ Scripsit „ Gualfredus librum, cui titulum fecit *de Utroque Apostolico*, ubi „ Urbanum II. Gilbertumque Antipapam introducit, subjecitque „ quod scripserat, censurae Episcopi Florentini, viri in jure do„ ctissimi, Constantini Episcopi Aretini, ac *Praesulis Tridentini*. " Hunc *Praesulem Tridentinum* fuisse *Adelperonem* inde evincitur, quia Urbanus II. electus fuit an. 1088., mortuus autem est an. 1099., intra quod temporis spatium praefatus *Adelpero* adhuc in vivis erat. Allegatum Ughelli locum nobis indicavit in suis MSS. Additionibus & emendationibus Ughellianae Italiae Vir Cl. Joan. Hyacinthus Sbaralea, S. T. M. Ordinis Minorum Conventualium, non levi Reipublicae Literariae jactura defunctus in alma Urbe an. 1764. mense Januario.

Pag. 77. *col.* 2. *lin.* 13. alumnus. *Adde*: Laudatus P. Sbaralea in citatis MSS. Additionibus, ubi de *Philippo* nostro, haec habet: „ Non ex „ patre Oprandino nobilis familiae Arrivabenae natus, ut quidam „ tradiderunt apud Wadingum ad an. 1303. n. 2., sed filius Pin„ namontis Bonacolsi, qui Mantuanum arripuit Principatum an. 1274. „ obiitque an. 1289. Exstat enim in Ferrariensi Tabulario S. Fran„ cisci Minorum Conventualium Testamentum Nobilis Viri *Thoma*„ *sini de Fontana* Ferrariensis, actum Bononiae in Capella Infirma„ riae Fratrum Minorum die ultima Septembris an. 1297. manu Ge„ rardi Ferrarii, in quo Testamentarii Executores instituuntur Ve„ nerabilis Pater Dñs *Frater Philippus quondam Domini Pinamontis* „ *de Mantua Episcopus Tridentinus*, Frater Pellegrinus de Pollitiano, „ & Frater Petrizolus de Apossa Ordinis Minorum. " Alios ejusdem *Pinamontis* filios, cum nepotibus, ac pronepotibus, recenset Monumentum anni 1314. a nobis allatum Vol. 2. pag. 165.

Pag. 88. *col.* 1. *lin.* 23. electum. *Adde*: De hoc ipso certius perhibet testimonium *loc. cit.* Pater Sbaralea, inquiens: *Bartholomaeus an.* 1304. *IV. Idus Januarii a Benedicto XI. missus est ad Albertum Romanorum Regem, teste Bzovio in Annalibus Ecclesiasticis ad eumdem an.* 1304. *n.* 2. &c.

Omnia ad majorem Dei gloriam, Divorumque Tridentinae Ecclesiae Tutelarium honorem.